Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
34 K
14

E 114

M

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DIRECTORIVM
SACRIFICANTIVM.

Digitized by Google

Digitized by Google

DIRECTORIVM
SACRIFICANTIVM

IDEST

TRACTATVS DE SACRIS MISSÆ RITIBVS.

In quo facili, ac perſpicua methodò diſcutiuntur potiores difficultates circa Miſſales Cereemonias.

Opus perutile, & neceſſarium.

AVCTORE

IOANNE MARIA TVRRINO

AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D.

D. IO: LVCIDVM CATTANEVM

EPISCOPVM MANTVANVM

Principem Sac. Romani Imperij, March. Morani, & Ponzani &c.

ROMÆ, Typis Reu. Cameræ Apoſtolicæ M.DC.LXXXI.

Superiorum permiſſu, & Priuilegio.

Digitized by Google

Digitized by Google

TRactatum; *cui titulus*, Directorium Sacrificantium, *ideſt* Tractatus de Sacris Miſſæ ritibus *Auctore Ioanne Maria Turrino Mantuano, iuſſu Reuerendiſſimi Patris Raymundi Capiſucchi Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri in ijs, quæ ſpectant ad Sacros Ritus, & Cæremonias Eccleſiaſticas accuratè perlegi, & quia inueni, omnia diligenter explicari, idcircò non modò prælo dignum, verum etiam perutile, & proficuum ijs, qui Sacras Cæremonias ritè, & rectè exercere cupiunt fore cenſeo.*

Petrus Paulus Bona SS. A. SS. C. M.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

I. de Angelis Archiep. Vrbin. Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Raimundus Capiſuccus Sac. Palatij Apoſtolici Mag. Ordinis Præd.

Digitized by Google

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D.
D. MEO CLEMENTISSIMO
D. IOANNI LVCIDO EPISCOPO MANTVANO

Sacri Romani Imperij Principi, Marchioni Morani, & Ponzani &c.

PRÆFECTI Sacrorum Rituum Prouinciam ſuſcepi ſub felicibus auſpicijs tuis Illuſtriſſime Antiſtes, huicque pro modo imbecillitatis meæ ſatisfacere per plures annos curaui; Mihi tamen minime ſatisfactum arbitratus sũ, niſi aliquas lucubrationes circa Sacram Liturgiam perficerem, in quibus, & animus meus conquieſceret, & Amplitudo tua ardens ſeruitutis meæ deſiderium dignoſceret; Has igitur rudi ingenio peractas tuæ inſigni pietati ſiſto Illuſtriſſime Præſul quem non propria cupiditas, non inanis gloria, ſed aliena vtilitas, ſumma pietas Sacrum Principem fecit; Scatentes tenebris tuo lumini illuſtrandas propono Religioſiſſime Pontifex, qui in opere Dei diligentiſſimus, in Sacris Ritibus obſeruantiſſimus in hac Mantuana Eccleſia velut luminare maius effulges. Nomini tuo ampliſſimo di-

andas putaui, qui ingenium meum, meque ipſum totum beneficentiæ tuæ magnificentiſsimæ iamdudùm ſacraui; Te ab iniurijs tutelam, te vindicem præſtolor, neque parùm profuturum mihi ſuadeo, ſi hæc mea, qualiacunque ſtudia, ſereno vultu exceperis, qui Nobilitatem tuam moribus, exemplo, ac Vitæ integritate illuſtrans, Te, tuamque Eccleſiam, reſque Sacras religioſiſsimè defendens, Sapientiorum admirationem, Potentiorum venerationem, totiuſque Populi obſequium mancipaſti. Si faueas ſtudijs à te meo capite, tamquam à Ioue, in lucem prodituris, tu animam illicò præſtans, ingenij mei abortum in Mineruam commutare potes; Sic ego ſtrictiſsimè deuictus ignita cordis mei vota pro incolumitate tua, qua publica ſalus continetur, exſoluam, precatus Deum, vt ea velit ſemper ſolui, ſemperque ſignari.

Dominationis tuæ Illuſtriſs. & Reu.

Romæ Kalendis Iunij 1681.

Humill. Deditiſs. & Obſequentiſs. Ser.

Ioannes Maria Turrinus.

PRÆ-

PRÆFATIO

Ad Lectorem beneuolum.

ECCLESIASTICOS Ritus, quos Sacro aſflante Spiritu primæuis temporibus Apoſtoli, & ſubſequentibus ſeculis Domni Apoſtolici, & Oecumenica Concilia in Sacris Myſterijs obeundis indixere, peculiari, qua par erat deuotione à teneris vſque annis ſum proſecutus; Creuit ſemper cum ætatis profectu huius venerationis Religio, & Sacerdotio tandem diuina miſeratione inſignitus, Sacris aſtans Altaribus, quam in pijs Vatibus commendare aſſueueram, hanc mihi diligentiſſimæ obſeruantiæ commendabilem formam ſtudui comparare, & tùm ſtudio, tùm imitatione exactiſſime perficere curaui. Primus huius diſciplinæ addiſcendæ ardor, pariter & exercendæ nobilitas fuit Magiſtri, eius nempe, quem ab Omnipotentia, & Sapientia æterna ante omnia ſecula procedentem Sanctæ Eccleſiæ Deus Pater Deum dono dedit, qui docet homines ſcientiam, tribuens intellectum, menteſque malitia excæcatas ſuperni luminis gratia illuſtrans, quemque ſidereo ſedentem in ſolio obſequentiſſimis venerationibus omnis mortalium turba, omnis Beatorum cœtus, omnis Angelorum Chorus collaudat, exaltat, adorat; eorum item Pontificum, qui non humana prudentia, quæ plerumque obnoxia erroribus eſt, ſed diuina Sapientia, quæ nec fallere, nec falli poteſt, cuncta diſponunt. Hunc fouebat ſpes non temnenda ſpiritualis profectus; experientia enim acceperam, & excitari animum Agentis per hæc miſtica ſigna, & his quaſi adminiculis ſupra ſe tolli, Deo per pios motus approximare, eique omni euagatione ſubmota firmiùs adhærere, & aſtãtium mentes per hæc viſibilia, quaſi per breuiora, & efficaciora

docu-

Digitized by Google

documenta, inuiſibilia Dei facilius attingere, & ad deuotionem vehementius inflammari. Sed validius omnis creaturæ, tùm rationalis, cum inanima exempla mouebant, quæ ordine ſibi à Natura præſcripto gratum Altiſſimo Plaſti obſequium rependunt; Hinc ſiquidèm diuinæ Mentes Sacratiſſimum Thronum circumſtantes exactiſſima veneratione gratos ſe reddunt Omnipotenti; Hinc Firmamentum, ſuo ſe librans pondere, æternumque ſtans ſuperbo frontis faſtigio ſcabellum exhibet ſolio Tonantis; Hinc coruſcantes cœlorum Orbes, hinc ſydera errantia varijs ſe agitationibus circumuoluentia, ventorum agmina, cæca nubila terrifica fulmina obſibilantia, circumcurſantia, obſtrepentia miniſterium implent ſuæ ſubiectionis; Elementa coeuntia partim, partim diſſidentia, cætera quæque per diuerſas temporum vices munus ſuũ obeuntia maxima quidem conſenſione diſparibus tamen officijs ſibi inuicem cõſonantia debitum ſuæ ſeruitutis ordinatiſſima diſpoſitione rependunt. Quare me quoque, qui plus cæteris in miniſterio Sacerdotali accepiſſe cognoueram plus etiã cæteris gratum obſequium, quam maiori poſſem diligentia, & obſeruantia exhibere geſtiens potiora quæque rituum ad certa capita reducere ſtudui, ne quid per me, aut perperam, aut indecorè in Sanctiſſimo Miniſterio fieri contigiſſet; Sed cum Ampliſſimi Antiſtis IOANNIS LVCIDI CATTANEI Mecænatis, & Domini mei Clementiſſimi mandato Præfecturam Ceremonialem aſſumpſerim in hac Cathedrali Mantuana, & proinde non mei tantùm, ſed vniuerſorum Sacerdotum, qui in hac Diœceſi degunt, quo ad ritualis diſciplinæ obſeruantiam onus mihi impoſitum ſenſerim, opuſculum hoc, quod mihi primùm paraueram, venerabilibus Patribus, Sacerdotibus huius ciuitatis, & Diœceſis, quorum me minimum, & obſequentiſſimum fateor, expono. De ſolis Miſſalibus ceremonijs in hoc egi, niſi quantum ipſa Miſſalis Rubrica, aut neceſſitas ad proximũ aliquem ritum explicationis curſum declinauit. Opus triparti-

tum

tum eſt; In priori parte documenta omnia, & veluti præparatoria in genere diſpoſui, ex qua vna ſolutiones prope omnes educere quiſque ex ſe valeret; In ſecunda quæ pertinēt ad rem Sacram peragendam, tam publicam ſiue ſolemnem, quàm priuatam collocaui, reticendo, vt plurimum Rubricam Miſſalis, quā hic inſerere ſine meo tædio & lectoris incommodo, me non poſſe duxi, & ibi incipiendo vbi ipſa deſijt. In tertia ritus peculiares iuxta temporum differentias, & ordinem ſum proſecutus, quos indigere explicatione cognoui, cæteris omiſsis; In priori parte agendum duxi, & de regulis rituum, & de Rubrica Miſſalis, quæ eſt potiſsima regula ceremonialis, & de Miſſa, ex quarum diuiſionibus innumeras difficultates ſtudioſi ſoluere poſsint. Conſultò tractaui primùm de Miniſtro Miſſæ priuatæ, prout de magis neceſſario, de Aſsiſtente poſt Diaconum, & Subdiaconum tamquam de ſupernumerario poſt Miniſtros conſuetos, & de Magiſtro Cereemoniarum poſt Clericos miniſtrantes in ordinibus inferioribus, cum neque adhibeatur, vt plurimum, nec eius nomen, & officium vix cognoſcatur, & pro hoc magis excitamenta ad ſedulitatem ſuadendam, & decorem ſeruandum poſui, ne in opprobrium incidat, vtque dicteria lædentia, & naſutorum ſatiricos ſarcaſmos effugiat, quod vt experentia docet, ſatis credi non poteſt, quàm vt eius officium exponerem, de quo numquam ſatis; tum de cereemonijs, quæ in actione conſiſtunt, & demùm de requiſitis neceſſarijs ad celebrationem. Secunda pars habet praxim totius Miſſæ vbi, quæ ſeorſim in prima fuerant collocata, ſuis locis diſpoſita inueniuntur, & in hac primò circa Officium Miſſæ, deinde de partibus eiuſdem Officij; tùm de tota Miſſa, quatenus complectitur Officium, & externos actus Celebrantis, & Miniſtrorum, ſermonem feci; His partes accidentales proximum locum ſunt ſortitæ, quas ſequitur tractatus de paſsionibus, vel proprietatibus Miſſæ, & ſingularum eius partium. Vltimum obti-

nuere

vuere Miſſæ extraordinariæ, quæ ratione additi exigunt notabilem Rituum immutationem. Ordo tertiæ partis ſatis patet; nec eſt cur de eo aliquid demonſtretur. In his omnibus ſtylo rubricarum orationi conſono, aperto nempe, & facili ſum vſus, & nimiam breuitatem declinando, ne aliquid ad claritatem deeſſet, & ſuperflua deuitando, ne rerum claritas multiloquio inuoluta contingeret offuſcari; Auctoritatibu Doctorum omnium, quos ſemper veneratus ſum, & maximi feci, me quantum fas fuit ſubſcripſi, & inter hos, cum diſcordarent, probabiliorem ſententiam ſum proſecutus, niſi vbi vetera relinquere nouis ſuperuenientibus coactus ſum. Aliqua etiam contra ſententias probatorum docere non omiſi, quæ ambitioſo rationum (vt aliqui temerè crepitantibus buccis dictitantes obmurmurant) apparatu niſus ſum approbare; ſciant tamen, aliquam auctoritatem grauium Doctorum, vel librorum authenticorum caracthere Papalis confirmationis obſignatos, numquã meis ſcriptis deſiderari. Suſcipite ergò læto animo Patres venerabiles, quibus hæc obſeruanda propono, non quaſi (cum extremus ſim, & omnium minimus, & infirmitatis meæ admodùm conſcius) aliquid licentiæ ad cenſuram vindicans, ſed non indebita affectione tantummodò adhortans; Suſcipite, & reciproca charitate perlegentes vos ad commendabilem obſeruantiam diſponite; ſcripta mea in lucem primò prodeuntia à liuidorum Zoilorum morſibus, & inuidorum obtrectatorum, quorum non mediocris copia eſt, dentibus vindicandam ſuſcipite, mihi orationibus veſtris, quibus maximùm fido, opitulemini, & ſi quid aut ſuperfluum exaraui, aut neceſſarium (quod videatur) omiſi, ea quæ decet Sacerdotem modeſtia fauete linguis, & ignoſcite; meliora Deo fauente, ſi vita manſerit, habituri:

INDEX

Digitized by Google

INDEX CAPITVM

PARS PRIMA

SECTIO PRIMA

Cap. 1. De Ritibus, & Cereemonijs.
2. De regulis rituum, & ceremoniarum.
3. De Rubrica.
4. Quid ſit Miſſa, & quotuplex.

SECTIO II.

Cap. 1. De Miniſtro Miſſæ priuatæ.
2. De Miniſtro Miſſæ ſolemnis.
3. De Cappellano cum pluuiali aſſiſtente.
4. De Thurifirario.
5. De Ceroferarijs.
6. De Magiſtro Cereemoniarum.

SECTIO III.

Cap. 1. De Sacro Crucis ſigno.
2. De Ordine dandi pacem.
3. De Incenſatione.
4. De Manuum iunctione, diſiunctione &c.

SE

Digitized by Google

SECTIO IV.

Cap. 1. De Altari, & eius ornatu.
2. De Calice, patena, & acceſſorijs.
3. De Sacris veſtibus Sacerdotum, & Miniſtrorũ.
4. De Coloribus paramentorum.
5. De Miſſali.

PARS SECVNDA

SECTIO PRIMA.

Cap. 1. De Semiduplici, Feria, & Vigilia.
2. De Miſſis votiuis, & alijs à currenti.
3. De Translatione Feſtorum.
4. De Miſſis Defunctorum.

SECTIO II.

Cap. 1. De Confeſſione, Introitu, Kirie, & Hymno Angelico.
2. De Orationibus.
3. De Commemorationibus.
4. De Symbolo.
5. De Offertorio &c. vſque in finem.

SECTIO III.

Cap. 1. Additio ad tit; Rubricæ. De ingreſſu Sacerdotis ad Altare.

2. De

Digitized by Google

2. De introitu vſque ad Euangelium excluſiue.
3. De Symbolo,& reliquis vſque ad Canonem excluſiue.
4. De Canone vſque ad Conſecrationem.
5. De Canone poſt conſecrationem vſque ad Orationem Dominicam.
5. De Comunione vſque ad finem Miſſæ.

SECTIO IV.

Cap.1. Additio ad tit. Rubricæ: De Offertorio.
2. De Communione Miniſtrorum, ſeù Laicorum in Miſſa.
3. De Pixide purificanda.
4. Additio ad tit. Rubricæ. De ijs quæ omittuntur in Miſſis Defunctorum.

SECTIO V.

Cap.1. De his quæ clara voce &c.
2. Additio ad tit. Rubricæ: De hora celebrandi Miſſam.
3. Additiones ad tit. Rubricæ:De ordine ſedendi.

SECTIO VI.

Cap.1. De Miſſa, quæ celebratur coram Sanctiſs: Sacramento.
2. De Miſſa, quæ cantatur coram Epiſcopo in Diœceſi.
3. De Prima Miſſa noui Sacerdotis.

PARS

PARS TERTIA

SECTIO PRIMA.

Cap. 1. De benedictione, & diſtributione candelarum in die Purificationis.
2. De benedictione cinerum feria quarta initio Quadrageſimalis ieiunij.
3. De Dominica Palmarum.
4. De aſperſione aquæ benedictæ.

SECTIO II.

Cap. 1. De Feria quinta in Cœna Domini.
2. De Feria ſexta in paraſceue.
3. De Sabbato Sancto.

SECTIO III.

Cap. 1. De Tempore Paſchali.
2. De Feſto Corporis Chriſti.
3. De Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum.
4. De die Natalitia Domini Noſtri IESV CHRISTI, cui honor, & laus per ſæcula.

SECTIO I.

CAPVT I.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

De ritibus, & ceremonijs.

CEREMONIÆ nomen antiquiſſimum eſt, quod non ſolum in Eccleſia Dei,ſed etiam in Synagoga,& à Gentilibus eſt vſurpatum. Ethimologiam eius à Cerete Oppido ductam, alij à carendo deriuatam volunt *Conrad. Brun. de ceremonijs lib.* 1. *cap.* 1. priores quia ſacra omnia à Flamine Quirinali, & Veſtalibus in Oppido Cerete ſeruata ſunt in bello gallico, quando ab hoſtibus vrbs capta fuit, & euerſa, quapropter à Romanis inſtitutum eſt ſacra omnia ceremonias vocari, quia Ceretani ea in ſtatu fracto Reipublicæ ſeruauere, & in eo ſtatu coluere perinde ac Romæ in florenti; poſteriores quia obſeruantes viri ijs careant, quibus abſtinent. Volunt alij ceremonias dici à Cerere *Frà Ang.Cont.auuert.3.ex S.Thom.* quaſi Cereris munia, videlicèt dona Cereris, quia antiquitùs primæ oblationes, quę vtique ſunt ceremoniæ,fiebant ex primitijs frugum. Vide *Ration.Rub.lib.2.cap.46.*

Quod ad rei definitionem attinet, vel deſcriptionem, Ceremonia eſt quiuis Ritus accidentalis,vel actio Religioſa externa ad cultum, & decentiam Sacrificij inſtituta ab Eccleſia *Rub.hic Suarez.diſp.*15.*ſect.*1.§.*ex his*, cum quo ſtat *Quart.quæſt.proem. punct.*2. vel eſt quæuis ſolemnitas, quę ex Eccleſiæ inſtitutione in Officijs Diuinis exercetur à Sacerdotibus, & Eccleſiaſticis viris. *Cont. ibid. Bonac. de*

Digitized by Google

Sacram. in gen. Poſterior definitio, ſiuè deſcriptio omnes amplectitur ceremonias, tùm Miſſæ, tùm Sacramentorum, & quorumcumque Sacramentalium, & cuiuſcumque Perſonæ. Prior verò coarctatur ad ſolas miſſales.

Ritus in tota latitudine ſua acceptus vſum ſignificat, non modo hominum, ſed etiam brutorum *Cic. de Am.* ſed magis propriè etiam olim ſignificabat omnes mores approbatos adhibitos in Sacrificijs *Feſt. de verbor. ſignif.* Nos verò dicimus Ritus, omnes, & quaſcumque circumſtantias, qvæ requiruntur ad Miſſæ celebrationem, & ſolemnitatem, ſiuè ſint verba, ſiuè actiones, vaſaue, aut veſtes. *Quar. ibidem.*

Patet ergo ex dictis ritum, & ceremoniam non omninò conuenire; ceremonia enim minùs latè patet, quàm ritus, ſiquidem ritus ſignificat omnem, & quamcumque circũſtantiam ad miſſæ ſolemnitatem requiſitam, ſiuè eſſentialis ſit, ſiuè accidentalis; ſiuè ab Eccleſia ſit inſtituta, ſiuè á Chriſto Domino. Ceremonia autem ſignificat ritum accidentalem ab Eccleſia inſtitutum. Vndè etiam colligitur diuiſio ritus in accidentales, qui dicuntur cerœmoniæ, & ſubſtantiales, qui propriè conſiſtunt in conſecratione, & communione *Bonac. de Sacram. in gener.*

Antiquiſſimæ ſunt miſſales ceremoniæ, vt potè quæ primis naſcentis Eccleſiæ temporibus adinuentæ, & Apoſtolorum, ac antiquorum Patrum auctoritate introductæ, & per tot ſæcula receptæ, & conſeruatæ *Conc. Trid. ſeſs. 22. cap. 25. & Conrad. Brun. lib. 2. cap. 1.* niſi quantùm prout ratio dictabat, & locorum, ac temporum varietas poſtulabat, aut immutatæ, aut omninò ſublatæ fuerint ex illis aliquæ.

Inter has aliæ inſtitutæ ſunt propter ſignificationem moralem,

Digitized by Google

lem, vel miſticam, aliæ propter ſolam decentiam operandi, vt rationibus, & auctoritatibus probat ibidèm *Quart.* Quotquot autem ſunt ceremoniæ,& ritus ſunt adinuenti, & ob decentiam ſacroſancti Sacrificij, vt grandi quodam, & actionum, & precum apparatu eius maieſtas eluceſceret, tùm vt corpus exterioribus humilitatis, & reuerentiæ ſignis exerceretur coram Deo ſicut anima internis affectibus, & cultu inuiſibili Deum veneratur iuxtà illud Pſalmiſtæ. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum* Pſalm.83. & illud Pauli ad Cor.1.cap.14. *pſallam ſpiritu, pſallam, & mente* vt explicat Bellar. in præfat. in librum pſalmor. *cantabo ſpiritu oris canendo voce laudes Dei, & cantabo mente*. Adinuentæ ſunt etiam propter ignaros, ſunt enim ceremoniæ veluti explicationes eorum, quæ fiunt; Et propter infirmiores, & carnales, quibus veluti incitamentis ad Deum trahuntur; Tùm ob fouendam charitatem, & deuotionem, quia ceremoniæ, quæ ex pio affectu emanant charitatem ſeruant, & adaugent, vt quiſquis in ſe facilè experitur. *Conc.Trid ſeſs.22.cap.4. & 5.*

Rituum in miſſali deſcriptorum alij cadunt ſub præcepto, alij ſunt de conſilio, vti vnanimiter Doctores tradunt. Illos, obligantur Sacerdotes non omittere ſub mortali, hos aut ſub veniali tantùm, aut etiam ſinè culpa; Priores ſunt, qui ad integritatem Sacrificij ſpectant, vel à Sacris Canonibus ſub graui pœna præcipiuntur, vel de quibus concordant Doctores præcipi ſub mortali, vt vult *Gauantus par.3.tit.11.* Tamburinus non multùm à Gauanto diſcordat; vult enim illos ritus præcipi ſub mortali obſeruandos, qui grauiter mandantur à iure, vel longa, & legitima conſuetudine ſunt introducti, vel in rubricis præcipiuntur ſub mortali *Tambur. de ſacrif. Miſſ. lib.2. cap.5. §.1. n.3.*

Digitized by Google

Fagundez è contra docet ritus deſcriptos in miſſali non mandari ſub præcepto mortalis peccati *Fagundez. in præcept. Eccleſiæ lib.3.cap.21.num.16.* & in ſimilem ſententiam declinare videtur Poſſeuinus vbi dicit, quod conſtitutio Pij V. in fronte miſſalis poſita videtur obligare ad præſcriptorum rituum obſeruantiam tantummodò Prælatos. *Poſſeu.de off.cur.cap.2.num.16.* & non Sacerdotes.

At vtraque ſententia falſa eſt. Prior quia eſt expreſsè contra Tridentinum *Conc.Trid.ſeſs.7.can.13.& ſeſs.22. de ſacrif. miſs.* quod damnat anathemate eos, qui dixerint conſuetos ritus miſſæ, aut omitti, aut mutari poſſe ſed (ego infero) omitti non poſſunt, & mutari, ergo quia præcipiuntur, nàm ſi eſſent de conſilio poſſent pro libito celebrantis omitti, vel mutari, cum conſilia non obligent vt patet. Poſterior item falſa eſt, quia eſt contra conſtitutionem Pij, qui quamuis mandet primò rituum obſeruantiam Eccleſiarum Prælatis, vbi dicit: *mandantes, & diſtrictè omnibus, & ſingulis Eccleſiarum prædictarum Patriarchis &c.* attamen obligat etiam Sacerdotes non Prælatos vbi ait: *volumus autem, & eadem auctoritate decernimus &c.* quod etiam exprimit ſuperiùs, vbi docet, cauſam finalem reformationis miſſalis ſubdens: *nempè, vt Sacerdotes intelligant, quibus precibus vti, quos ritus, quaſuè ceremonias in miſſarum celebratione poſthac debeant.* Ex quo ego infero, Finis, ob quem reformatum eſt miſſale fuit, vt Sacerdotes ſciant, quos ritus adhibere debeant, ergo Sacerdotes etiã non Prælati obligantur ad eos ſeruandos, cum intentio Pontificis talis fuerit.

Sententia Suarez aliorumque *tom.3. in 3.par. diſp.83. ſect.3. & 84.diſp.3. Quart. in quæſt.proem.ſect.2.punt.2.* eſt quod ritus omnes, qui in ipſo actu celebrationis continentur,

præ-

præcipiantur ſub mortali, eos autem, qui præcedunt, & ſubſequuntur actum celebrationis, eſſe de conſilio; probant, quia principaliter præceptum Pij loquitur de ipſo actu celebrationis, ergo præceptum cadit tantùm ſuper ritus exercendos in ipſo actu celebrationis.

Quæritur modo an ritus, qui pertinent ad ſacros Miniſtros cadant ſub præcepto, & proindè ab illis ſeruari debeant ſub mortali?

Quarti hic putat eſſe de conſilio, & proindè Miniſtros non peccare omittendo ritus proprios, niſi ob ſcandalum, aut aliquod aliud. Ratio eius eſt, quia præceptum Pij non extenditur niſi ad Sacerdotes, ergo non compræhendit Miniſtros. Nihilominùs contrariũ verum eſt quia: Quandocumq; aliqua actio præcipitur in quam plures cõcurrunt, quamuis non æquè principaliter, omnes tamen æqualitèr obligantur ad illam, ſed Pontifex præcipit cantari Miſſas (vbi cantari debent) iuxtà formam à ſe traditam, ergò æquè obligat Sacerdotes, & ſacros Miniſtros; cum, & ille, & hi requirantur ad celebrandam Miſſam iuxtà præſcriptum Pontificis.

Neque dicas, eo modo obligari, quo in ea actione concurrunt, & conſequenter Sacerdotem primò, ac per ſe obligari ad ritus ſeruandos, Miniſtros verò ſecundariò, & per accidens. Contrà enim eſt, quia maior, vel minor obligatio non conijcitur ex maiori vel minori concurſu compartium ad actionem, ſed ab intentione præcipientis, à qua tota deſcendit obligatio, ergò tàm obligatur ſub mortali Sacerdos, quàm Miniſtri ad exercendos ritus proprios. Cæterùm etiamſi primariò obligaretur Sacerdos, & ſecundariò Miniſtri, quòd concedere non renuo, non ſequitur tamen Miniſtros non obligari ſub mortali, ſicuti ex eo

quia præcepta Eccleſiæ, & leges humanæ ſecundariò nos obligant reſpectu præceptorum Dei, quæ obligant nos primariò, non poteſt ideò dici, quod eorum obligandi ius non ſit ſub mortali.

Probatur etiam alio argumento noſtrum aſſertum ſic: quando aliqua lex fertur cuius obſeruatio haberi non poteſt, niſi cuiuſdam generis perſonæ obligentur, quæ in ea lege non exprimuntur, illæ perſonæ nihilominùs ad obſeruationem illiùs legis obligantur, ac ſi eſſent expreſſæ, ſed obſeruatio conſtitutionis Pontificiæ non poteſt haberi niſi ſacri Miniſtri obligentur ad ſuos ritus exercendos, ergo dicendum eſt eos obligari. Maior patet, aliàs Legislator imprudentèr egiſſet legem ferendo nullius roboris. Minor probatur, quia conſtitutio Pij vult Miſſas decantari, vt ipſe tradit, & ipſe tradit, quod Miniſtri quoſdam peculiares ritus exerceant, ſed poſito quod non obligentur Miniſtri, poterunt alios ritus exercere, vel præſcriptos nolle obire, ergo obſeruatio conſtitutionis haberi non poteſt, niſi etiam obligentur Miniſtri, ergo etiam hi obligantur.

Quæſitum eſt an omiſſio rituum, qui in actione conſiſtant nullamque habeant moralem, vel miſticam ſignificationẽ, ſed ad decentiam tantummodò ſint inſtituti, cenſeatur defectus in materia leui? Reſpondeo, quod omiſſio huiuſmodi ſecundùm ſe conſiderata defectus eſt in materia leui. Probari poteſt, quia ad dignoſcendam grauitatem, vel leuitatem materiæ, de qua fertur præceptum, inſpiciendus eſt finis à Legiſlatore intentus, quod ſi hæc materia multùm conducat ad finem legis, materia grauis cenſenda, eſt quòd ſi parùm, leuis eſt æſtimanda, ſed finis intentus à Pontifice eſt, vt tollatur diuerſitas celebrandi, vt ex ipſa

con-

Digitized by Google

conſtitutione patet, quæ diuerſitas habebatur, tùm ex varietate precum, tùm ex multitudine Miſſarum, quæ ex diuerſarum Eccleſiarum miſſalibus collectæ à Sacerdotibus celebrantibus iuxtà vſum Romanum adhibebantur, ergo omiſſio rituum huiuſmodi defectus eſt in materia leui.

Dixi, ſecundùm ſe conſiderata: quia ratione ſcandali, vel contemptus, dubium non eſt, quòd poſſit fieri defectus grauis, quorum ab altero, nempè contemptu neſcio quomodo excuſari poſſint iſtas ceremonias omittentes ſępe ſæpius, immò immutantes, transferentes, & confundentes.

Videant, quid agant; recogitent quid tractent; cognoſcant quid operentur. In miniſterio Altiſſimi, cuius opus qui negligentèr agit maledicitur, negant Sacerdotes miniſterijs Dei mancipati quædam minutiora exhibere obſequia? Proh dolor? diligentiores obſequentioreſque aulicos ſuos habent Principes terræ, quorum dies ſicut vmbra prætereunt, quorum vita ſicut flos mane floret, veſpere areſcit, ac decidit, cuius nitori, & maieſtati horror, & fœtor ſupereſt ſepulcri, quàm omnipotens Deus Cœli cuius æternum eſt Regnum, æterna eſt gloria, infinita eſt Maieſtas. Qui ergo Angelos ſuos Cœleſtes aulicos facit, ſpiritus, ideſt veloces ad ſibi parendum nuntios, Angelos terræ, Sacerdotes ſcilicèt, qui Angeli ſunt Domini exercituum *Malach. cap.* 2. duros reluctantes, ſeruitijque impatientes experietur? Vè nobis qualem miſeri theſaurizamus nobis iram in die iræ! qualem nobis interitum vitali ſacrificio paramus.

CAPVT II.

De regulis rituum, & ceremoniarum.

HAbent ritus, & ceremoniæ miſſales ſuas peculiarés regulas, iuxtá quas ſi eliciantur, laudabiliter, & benè exercentur. Aliæ harum regularum ſunt ſcriptæ, aliæ non ſcriptæ. Scriptæ ſunt rubricæ Miſſalis, Ceremoniale Epiſcoporum, Decreta Sacræ Congregationis Rituum, Deciſiones Rotæ, Canones, & Concilia, Auctoritates Sanctorum Patrum, & Prudentum Sententiæ, ſiuè Auctorum placita, qui de ceremonijs ſcripſere. Non ſcriptæ ſunt conſenſus communis Eccleſiæ, conſuetudo ſingularum Eccleſiarum. Examinanda eſt modo vis ſingularum.

Rubricæ Miſſalis ſunt regula propria, & immediata rituum Miſſæ tùm priuatæ, tùm ſolemnis. Ratio eſt, quia: regula nihil aliud eſt, quàm menſura, ob quàm agens inducitur ad agendum hoc, vel illud, hoc, vel aliò modo, vel ad agendum, aut non agendum, ſed rubricæ Miſſalis ſunt hujuſmodi menſura, vt patet, ergo ſunt Regula rituum. Quod autem ſint regula proxima probatur, quia: illa eſt regula proxima reſpectu alicuius actionis, quæ proximè, & immediatè ordinatur ad illam, ſed rubricæ Miſſalis proximè, & immediatè ordinantur ad ritus, & ceremonias Miſſæ, ergo rubricæ ſunt regula proxima rituum Miſſalium.

Ceremoniale Epiſcoporum eſt regula, ideſt continet plures regulas proximas rituum pro Miſſa ſolemni, & aliquas pro priuata. Ratio eſt, quia in eo libro multa habentur, quę pro-

proximè ordinantur ad ritus ſolemnis Miſſæ, ergò in illo habentur proximæ regulæ &c.

Dices primò. Ceremoniale impreſſum eſt pro Epiſcopis vt patet ex titulo libri,& ex denominatione, ergo non eſt regula niſi rituum pontificalium. Reſpondeo falſum eſſe,quod prò Epiſcopis tantùm valeat, primò quia ex conſtitutionibus Clementis VIII.& Innocentij X.habemus,etiã Collegiatis Eccleſijs, & alijs eſſe neceſſarium,ergò non tantùm Prælatis; ſecundò quia etiamſi pro Epiſcopis tantùm fuiſſet impreſſum, nonnè in his, in quibus Epiſcopi, & ſimplices Sacerdotes conueniunt, erit regula etiam pro Sacerdotibus?

Dices ſecundò: Rubrica Miſſalis habet regulas Miſſæ ſolemnis, ergò regulæ poſitæ in Ceremoniale, vel ſunt ſuperfluæ reſpectu Sacerdotum non Prælatorum, vel tantùm pro Prælatis ſunt editæ. Reſpondeo primò, in Miſſali parciùs agi de ritibus ſolemnibus, vt vtrumque legenti patet, & teſtatur etiam *Gauantus par.2. tit.2. in num.5.* quapropter Ceremoniale ſuffragatur Miſſali, eiuſq; ſupplet defectum. Reſpondeo ſecundò, quod non ſunt ſuperfluæ pro Sacerdotibus non Prælatis, quia ſunt complementum, ac veluti perfectiuum Rubricarum Miſſalis, quas Ceremoniale ſupponit, & quarum eſt acceſſorium; quapropter cum idem iudicium ferendum ſit de principali, ac de acceſſorio, cum ſint eiuſdem naturæ, ſequitur, quod ſi Rubricæ non ſint ſuperfluæ, neque eſt ſuperfluum Ceremoniale; tùm etiam quia in Conſtitutionibus Clementis, & Innocentij Ceremoniale dicitur vtile, & neceſſarium Collegiatis,& cæteris omnibus Eccleſijs; cum igitur vtile &c. non vtique ſuperfluum.

Regulæ, quæ pro Sacerdotibus etiam non Prælatis faciunt, ſunt

ſunt de thurificatione, de pacis oſculo, de ordine iungendi, & diſiungendi manus &c. de orationum diuerſis tonis, de organo, organiſta &c. de Miſſa in Dominica Palmarum, & reliquis diebus maioris hebdomadæ, de Diacono, Subdiacono, de Presbytero aſſiſtente &c. quæ hic ſingillatim recenſere ſuperfluum eſt.

Pontificale item habet aliquos ritus in Miſſis Pontificalibus ſeruandos, & Rituale Romanum alios, iner quos ille eſt communicandi in Miſſa *in ordine communicandi*; & tempus celebrandi pro Defunctis præſente corpore, & abſolutionis *in tit. de exequijs*, & abſente corpore *in die trigeſimo &c.* & aſperſionis aquæ in die Dominico in *in ordine faciendi aquam benedictam*; tempus celebrandi diebus Palmarum, & Purificationis, & Corporis Chriſti &c. Officium pariter aliquos habet præcipuè de hora celebrandi, quod habetur bis in die Natalis Domini, vide etiam rubricam diei Sabbathi Sancti.

At dices quænam regula poteſt aſſignari, quæ infallibiliter doceat, documentorum, ceremonialis hoc pertinere ad Sacerdotes illud ſpectare ad Epiſcopos? Reſpõdeo, quidquid traditur per Ceremoniale, quod non ſit proprium Ordinis, vel Dignitatis Epiſcopalis, omne pertinere ad Sacerdotes non Epiſcopos, quapropter ad dignoſcendũ, nùm aliquid reſpiciat Epiſcopũ, quà Epiſcopus eſt, vel quà præciſè eſt Sacerdos, opus eſt examinare, nùm illud ſit inſigne Epiſcopale, aut ritus Epiſcopalis, aut ſignum iuriſdictionis, quia eo caſu pertinet ad Epiſcopum, ſecùs ad quoſcumque Sacerdotes. Poteſt etiam aſſignari alia regula, & eſt. Quotieſcumq; in eodem Ceremoniali ponitur expreſsè alia regula pro Sacerdotibus diuerſa à priori, etiam abſolutè poſita; Vel in Rubrica Miſſalis traditur ritus diuerſus à Ceremoniale,

Digitized by Google

niale, vel aliquod Decretum Sacræ Congregationis explicat aliquam partem Ceremonialis facere tãtùm pro Pontificibus; tunc Ceremoniale non eſt Regula pro Sacerdotibus, quia exceptio firmat regulam in contrarium.
Exemplum prioris habes *lib.* 1. *cap.* 12. vbi poſtquam docuerit Epiſcopum parari ſacris veſtibus ad Altare, & erigi credentiam cum vaſibus argenteis &c. limitat dicens. *Non celebrante Epiſcopo &c.* & *cap.* 11. vbi poſtquam dixerit, quod familiares Epiſcopi miniſtrant aquam ad lotionem manuum, limitat dicens, quod Acolythus miniſtrat Sacerdoti celebranti; exemplum poſterioris habes in *Rub. gener. par.* 2. *tit.* 1. *num.* 4. *& alibi*; Quoad tertium habes in Decreto emanato 11. Februarij 1623. vbi declaratur anulus in Miſſa conuenire ſoli Epiſcopo, quod & 20. Nouembris 1628. iteratum fuit. Et 18. Iulij 1626. vbi declaratur, quod Sacerdos diſtribuens palmas, cineres, & candelas poſt ſolemnem benedictionem ſtet aperto capite.

Decreta item Sacrę Congregationis rituum circa Miſſam ſunt regula proxima eorumdem rituum. Probari poteſt quia, hæc Congregatio facultatem habet interpretandi, & declarandi quæcumque dubia, quæ oriuntur circa ritus Eccleſiaſticos. *Sixtus V. in ſua Conſtitutione* 74. *quæ incipit*: *Immenſa bonitas*, & ad eam confluunt Eccleſiaſtici ex toto Orbe pro negotijs rituum, & eius reſponſa habentur, vt oracula Pontificis, ergo eius Decreta circa Miſſam erunt regula proxima rituum Miſſæ. Tùm etiam quia, Sacra hæc Congregatio non minorem habet facultatem circa ritus, quàm habeat Sacra Congregatio Concilij in interpretandis dubijs, quæ emanant circà Decreta, & Canones Concilij; & Congregatio Sanctiſſimæ Inquiſitionis circa negotia fidem concernentia; ſed Decreta Patrum pro interpreta-

pretatione Concilij habenda ſunt, vt Decreta Papalia, *Bonac. de leg.diſp.1.punct.8.propoſ.1.* & alij quamplures, *& Sixtus V. ibid.*& Decreta Patrum Sanctiſs.Inquiſitionis sũt regula, à qua non licet recedere ab Officialibus S.Inquiſitionis,vt habet Sixtus ibid.ergo etiã Decret. Sac. Congreg. Rituum ęſtimanda ſunt vti Conſtitutiones Papales,& ſunt regula,à qua viri Eccleſiaſtici non debent recedere,cum nõ minùs Eccleſiaſtici ſint ſubiecti, quoad ritus Congreg.Rituum, quàm Officiales S. Inquiſitionis, quoad negotia, & res proprias, Congregationi Sancti Officij.

Quæres primò, vtrum interpretationes, & declarationes Sacræ Congregationis ſequi debeant viri Eccleſiaſtici non tantùm in eo peculiari caſu pro quo feruntur, verùm etiã in alijs ſimilibus? Reſpondeo affirmatiuè, quia maximam habent auctoritatem, & in omnibus ſimilibus caſibus vim habent interpretationis generalis, vt docet *Bonac.* ibidem de Decretis Congregationis Concilij: Dò Exemplum: Sacra Congregatio declarauit ſignum, quod fit cum patena poſt Orationem Dominicam, eſſe ſignum Crucis, ergo quotieſcumque Rubrica dixerit ſignat, vel ſignat ſe, ſemper de ſigno Crucis intelligendum erit, quod eſt in multis locis, v. gr. poſt oblationem Calicis *veni ſanctificator &c. ſignat manu dextera*; idem habes initio Canonis: Et in Conſecratione Calicis ait Rubrica:*dextera ſignat ſuper eum.* Item antè Orationem Dominicam: *ter ſignans manu dextera communiter ſuper Calicem, & Hoſtiam*; & paulò inferiùs: *ſignat ter cum Hoſtia à labio ad labium &c.* Dó aliud exemplum: Dubitatum fuerat, an primo die ieiunij quadrageſimalis cineres diſtribuendi eſſent aridi, vel in modum luti. Sacra Congregatio reſpondit, aridos eſſe diſtribuendos. In ſimili caſu quando publicè pœnitentibus cineres

neres imponuntur, vt in Pontificali par. 3. ſtandum eſt ſupradicto Decreto Sacræ Congregationis.

Quæres ſecundò quamnam obligationem inducant declarationes Sacræ Congregationis? Reſpondeo, eandem, quam inducit Rubrica, vel materia, cuius eſt Decretum, vel interpretatio; Ratio eſt, tùm quia ſunt acceſſoria illi Rubricæ, & habent eandem naturam, tùm quia, qui declarat nihil noui inducere dicitur *l. haeredes palàm*, *ff. ſi quis poſt teſtam.* ergo habent eandem vim obligandi, niſi noua obligatio addatur. Cæterum Sacræ Congregationis Decreta habent vim legis ſicut Decreta Sacræ Congregationis Concilij, & aliarum Congregationum, primò quia ſæpè ſunt declarationes ſtatutorum obligatiuam vim habentium, quibus declarationes inſunt ab initio, & acceſſoriæ ſunt *l. ita fidei*, *ff. de iure fiſci.* Secundò quia æſtimandæ ſunt prout eſſent declarationes Pontificis, tertiò quia ſi vim legis non haberent, ſequeretur, quod eſſet inutilis inſtitutio Sacræ ipſiuſmet Congregationis, vt ait Bonacina de Congregatione Concilij loco citato.

Noto tamen, quod, vt obligandi vim habeant, debent eſſe ſufficienter propoſitæ, & publicatæ, quia ſicuti lex nullam vim habet, niſi publicetur, vt omnes tenent, ſic etiam interpretatio, cum ſit eiuſdem naturæ cum lege. Addit tamen Bonacina, quod in rebus claris, & manifeſtis declarationes dicuntur ineſſe legi, & obligare, etiam ſine peculiari publicatione; At quomodò vbi ſunt declarationes, & interpretationes, poſſunt leges eſſe claræ, & manifeſtæ? In rebus autem dubijs, in quibus poſſunt eſſe opiniones contrariæ, opus eſt publicatione, vt obligent ad eorum auctoritatem ſequendam, quia aliud eſt legem obligare iam conditam, & publicatam, aliud eſt eius interpretationem obligare.

Deci-

Digitized by Google

Deciſiones item Rotæ in materia rituum ſunt Regula proxima in profeſſione ceremoniali, & quidem Miſſæ, ſi verſentur circa Miſſam. Probatur quia, quamuis Rota ſoleat regulariter iudicare, & cognoſcere cauſas ciuiles &c. aliquando tamen ſe in rebus ceremonialibus ingerit, & negotia rituum declarat, vt ipſa Sacra Rituum Congregatio reſpondit die 5. Iulij 1603. cuius tamen ſententiam priùs Rota requirit, vt declarauit eadem Sacra Congregatio ibidem. Debent tamen etiam hæ deciſiones eſſe ſufficienter propoſitæ, ſicuti diximus de Decretis Sacræ Congregationis, cum eadem militet ratio.

Quæres, vtrum ſint ſufficienter propoſitæ, & habeantur pro publicatis, quando referuntur ab aliquo Auctore? Reſpondeo, quod ſemiplenam habent fidem, nec maior haberi debet eis fides, quàm illis Doctoribus, qui eas referunt, vt de ijs, quæ à Gratiano referuntur in ſuo decreto docet *Bonacina de leg. diſp. 1. q. 1. punct. 3. in fine*, & proindè non ſunt ſufficienter propoſitæ.

Canones item Pontificij, & Conciliorum ſunt regula mediata, & remota exercendi ritus. Probari poteſt, quia ex his Eccleſia confecit aliquas Rubricas, aliquos omninò, aliquos in partem tantummodò, prout diuerſa locorum, & temporum conditio poſtulauit, acceptando, ergo dicti Canones ſunt regula remota rituum; Antecedens patet, conſequentia probatur, quia illa dicitur regula remota reſpectu alicuius artis, ex qua deſumitur immediata menſura operandi, ſicuti illa eſt proxima, quæ in illa arte eſt immediata menſura operationum, ſed Canones Pontificum, & Conciliorum ſunt illi, ex quibus Eccleſia compilauit Rubricas, quæ ſunt regula proxima Rituum Miſſalium, ergó dicti Canones ſunt regula remota rituum. Probari poteſt

maior.

Digitized by Google

maior: Cauſa mediata, & remota alicuius effectus dicitur ea, quæ influit in effectum non per ſe ipſam, ſed per aliquid ſui, ſicuti proxima, quæ immediatè, & per ſe cauſat effectum, ergo à pari regula remota alicuius artis eſt illa, quæ non per ſe, ſed per aliquid ſui eſt menſura agendi, & regula proxima illa, quæ immediatè, & per ſe dirigit operationem.

Auctoritates Sanctorum Patrum, & Auctorum ſententiæ ſunt item regula remota exercendorum rituum; Ratio eſt quia ex Doctrinis Sanctorum Patrum, & Doctorum Rubricæ iuxtà aliquam ſui partem confectæ ſunt, ergo ſunt regula remota reſpectu rituum. Antecedens patet examinando Rubricas, de defectibus, *ſi admixtus ſit granis alterius generis* tit. 3. num. 1. & tit. 3. *ceperit corrumpi &c.* quę Gauant. in par. 3. ex S. Th. tranſtuliſſe ait Pontificem in Rubricas prout etiam nu. 7. & de defectibus ſæpè ſæpiùs, ergo ſunt regula remota rituum. Hæc autem regula præcipuè in defectu regulæ proximæ omninò tenenda eſt, quia in dubio iuris regula vniuerſalis eſt, ſtandum eſſe peritis in arte *l. ſemel, C. de re milit.* ergo in dubio auctoritates Sanctorum Patrum, & ſententiæ Auctorum ſunt regula exercendi ritus. Probatur etiam paritate. In dubio optima regula actuum humanorum eſt ſententia Doctorum, quæ dicitur probabilitas extrinſeca, ergo actuum ceremonialium regula in dubio erit probabilitas extrinſeca Patrum, & Doctorum in hac profeſſione ceremoniali, videlicet eorum traditiones, & ſententiæ.

Communis conſenſus Eccleſiæ circa aliquos ritus eſt regula proxima non ſcripta exercendi actus rituales hoc, vel illo modo. Probatur quia conſenſus communis eſt tantæ auctoritatis, vt ab eo recedere quis non poſſit abſque nota teme-

temeritatis, & periculo certo aberrandi, ergo conſenſus communis Eccleſiæ eſt regula rituum. Probatur conſequentia. Regula eſt menſura dirigens operationes Agentium, vt rectè eliciantur, & de ratione regulæ reduplicatiuè eſt, quod doceat modum agendi, ſed communis conſenſus in quacumq; re dirigit operationes, & docet modum benè agendi, ergo communis conſenſus Eccleſiæ eſt regula &c. & quidem proxima, quia per ſe ipſam dirigit Agentem.

Vſus item, & conſuetudo legitima Eccleſiarum in Rubricis dubijs eſt regula proxima operandi hoc, vel illud; Ratio eſt quia conſuetudo optima eſt legis interpres *l. 37. ff. de legib. & c. cum dilectos de conſuet.* Quapropter à fortiori, vbi nulla eſt rubricarum diſpoſitio, vel alterius regulæ proximæ, conſuetudo vim legis habebit, tùm quia ſicuti conſuetudo contra legem habet vim obligandi ſubditos contra legis prǽſcriptum, ſic etiam vbi nulla eſt lex, conſuetudo vim legis obtinet, tùm quia vulgatum eſt axioma, quando lex deficit ſtandum eſſe conſuetudini, imò etiamſi rubrica, & conſuetudo non ſint omninò conformes, dummodò conſuetudo ſit laudabilis, nec aduerſetur conſuetudini vniuerſali totius Eccleſiæ poteſt eſſe regula proxima excluſa rubrica, vt reſpondit Sacra Rituum Congregatio die 17. Septembris 1611.

At dices: concurrentibus duabus conſuetudinibus diuerſis, peculiari videlicet huius Eccleſiæ, & vniuerſali totius Eccleſiæ, vel Prouinciæ, ſicuti etiam concurrentibus duabus ſententijs Auctorum contrarijs, quænam eſt amplectenda? Reſpondeo ad primum, quod non obligamur amplecti vniuerſalem relicta peculiari, dummodò ſit legitima, ratio eſt, quia per conſuetudinem peculiarem alicuius loci excludi-

cluditur lex generalis ab eo loco, ergo etiam conſuetudo vniuerſalis per peculiarem excluditur, quia ſicuti conſuetudo legem, ſic etiam abrogat conſuetudinem; tùm etiam quia propria ſunt alienis præferenda cæteris paribus; Tamen non obligamur ſequi peculiarem noſtram conſuetudinem, ſed poſſumus etiam vniuerſalem amplecti, niſi peculiaris ex deuotione inchoata, poſtea continuata ſit, vt obligatoria. Ratio eſt quia tunc tenemur ſequi conſuetudinem quando eſt obligatoria, ſed fauorabilis poteſt reſpui, & amplecti vniuerſalis ea ratione, qua vnuſquiſque poteſt iuri ſuo renuntiare. Reſpondeo ad ſecundum, quod poſſumus ſequi, quem malumus, vterque enim dat bonam regulam; Ratio eſt, quia illa eſt bona regula, per quam Agens prudenter operatur, ſed qui auctoritatem in ſententia probabili alicuius Doctoris ſequitur prudenter operatur, ergo vtraque ſententia eſt bona regula. Noto autem ob tollendum hoc dubium, quod diuerſitas horum procedit ex varijs Eccleſiarum conſuetudinibus, quas illi ſcribunt, vel ex vario ſenſu, quem habent rubricæ, & ſic vtraque ſententia amplecti poteſt, quia vtraque eſt probabilis.

At dices: aliquando ſunt contra Rubricas: Reſpondeo in eo caſu, in quo procul dubio conſuetudinem aliquam tradũt, bonam habere regulam pro ijs Eccleſijs, quæ ſimilem habent conſuetudinem, quia, vt dictum eſt, conſuetudo legitima, & immemorabilis non tollitur per Ceremoniale, vt ſtatuit Sacra Congregatio Rituum modo relata, adde tu neque per Rubricas cum par ſit ratio; pro illis autem Eccleſijs, quæ contrarium habent vſum, non ſunt audiendi.

Quæres quid agendum ſit, quando duæ regulæ proximæ ſunt ſibi inuicem contrariæ. Reſpondeo, quod regula in hoc

caſu ſeruanda eſt iuris, videlicet quod poſteriora derogant prioribus; quapropter ſi oppoſitio ſit inter Rubricam. & aliquod Decretum Sacræ Congregationis, vel deciſionem Rotæ emanatam poſt editionem Rubricæ, Rubrica corrigitur per ſuperueniens decretum, quod etiam ſequi tenemur; limita tamen primo, vt decretum emanatum ſit pro eadem numero Rubrica, quia à ſimili tutum non eſt in eo caſu arguere; limita ſecundò, vt ſit publicatum, vel ſufficienter propoſitum, quia non ſufficit ex ſuperius dictis, quod referatur ab aliquo Auctore, quia in eo caſu maior fides non habetur Decreto, quàm Doctori, illud referenti, & conſequenter maior fides præſtari debet Rubricæ, quæ auctoritate Papæ eſt fulcita, & eſt in vſu, quàm alicui Auctori qui poteſt falli. Exemplum habe. Rubrica docet thurificari Reliquias Sanctorum in Altari poſitas, tàm poſt Offertorium, quàm antè Introitum; Sacram Congregationem Rituum declaraſſe dicunt non eſſe incenſandas niſi in thurificatione oblatorum, die 20. Aprilis 1602. Tù Rubricam ſequere, quæ te obligat; Decretum, quod te non obligat, quia neque publicatum eſt, nec tibi ſufficienter propoſitum, ne ſequaris. Idem dic de legitima, & obligatoria conſuetudine, quod dictum eſt de Rubrica. De conſuetudine autem non obligante, ſed ex deuotione inſtituta, & vi deuotionis continuata dicendum eſt, quod ſicuti non habet vim obligandi, ita poteſt deponi aſſerente de contrario decreto aliquo Auctore; Poteſt tamen etiam conſeruari vſquequò decretum euulgetur, ratio eſt quia tanti debet æſtimari publica conſuetudo, quanti aſſertio priuata alicuius Auctoris.

Inſtabis: quando duæ regulæ proximæ, quæ æquè primo datæ ſunt, v. gr. Rubricæ Miſſalis, & Ceremoniale ſibi contrariantur

riantur quid agendum? Reſpondeo temerarium eſſe dicere, quod in aliquo Rubricis aduerſetur Ceremoniale, & è contra quando agitur de eodem ſecundùm idem, quia tota differentia inter Rubricas, & Ceremoniale eſt, quod altera clariùs explicat id, quod aliud parcè docet, aliud diffuſius agit de ijs, quæ compendioſè tractantur ab illa. Quod ſi aliquando videntur opponi eſt ideò, quia de eodem agunt cum diuerſo reſpectu, vel aliud explicitè habet aliquam ſolemnitatem, quam alia habet implicitè, vel aliud loquitur de aliquo ritu, prout reſpicit Pontifices, alia prout Sacerdotes priuatos, quapropter ſimplex Sacerdos ſequatur Rubricam, Prælati verò Ceremoniale.

CAPVT III.

De Rubrica.

RVbrica, terra eſt rubri coloris ſanguineo proximi vnde nomen traxit, multis in locis habetur, ſed maxima Ponto; plura alia nomina habent, videlicèt minium, cinnabrum, purpuriſsum, & alia, *S. Iſidor. hiſpal. Ep. Ethimol. lib. 9. de color. cap.* 17.

A Legiſtis nomine Rubricæ intelligitur titulus, ideſt thema, ſiue argumentum eorum de quibus tractari debent; quapropter optima interpres nigri dicebatur rubrica, quæ rubris characteribus ſcribebatur, *Nicol. inſt. ciuil. lib.* 1. *tit.* 1. Hinc factum eſt, quod præmonitiones, præcepta, & deſcriptiones rituum dicerentur Rubricę, quia rubeo colore ſcriptæ fuerant antiquitùs, & quamuis generales nunc colores mutauerint, attamen nomen omninò tenuere.

Si plura cupis, vide Gauantum initio.

Ex his Rubricis aliæ agunt de illis, quæ ſunt communia omnibus Miſſis ſolemnibus, & priuatis, votiuis, ac de tempore, & habent relationem ad Miſſam vt ſic, præſcindendo à quibuſdam circumſtantijs, & hæ dicuntur generales, atque collocantur in principio Miſſalis; Aliæ agunt de Miſſis in particulari, quid addendum hoc tempore, quid prætermittendum, vel agendum ſit in hac, & illa, & dicuntur particulares, atque habentur ſparſæ hinc indè per Miſſale; diuiduntur hæ in Rubricas Miſſarum de tempore, proprias de Sanctis, communes de Sanctis, in votiuas, & pro defunctis, quæ diuiſio habetur etiam in Rubrica generali *par.* 1. *tit.* 14. Rubricæ in collectas tàm pro defunctis, quàm pro varijs neceſſitatibus viuorum, reducuntur ad Miſſas quarum ſunt acceſſoriæ.

Ex his Rubricis tàm generalibus, quàm peculiaribus, alię pertinent ad Miſſas priuatas, alię ad ſolemnes. De generalibus videre eſt in omnibus propè titulis ſecundæ partis, in quibus enarratis omnibus, quæ ſpectant ad Miſſam priuatam additur: *In Miſſa autem ſolemni &c.* Pro peculiaribus Rubricis, quæ hinc inde habentur poteſt dari hæc regula. Quandocumque Rubrica facit mentionem Diaconi, & Subdiaconi, vel cantus, aut thuris, aut de pace per oſculum danda, aut de Horis antè Miſſam perſoluendis, videlicét Prima, Tertia, Sexta, Nona, ſiue de ſolemni proceſſione, aut benedictione ſolemni præcedente, vel aſperſione aquæ luſtralis, tunc Rubrica agit de Miſſa ſolemni. Ratio eſt, quia hæc in priuatis Miſſis non adhibentur, nec aliqua harum ſolemnitatum admittitur. At dices, cantum, & thus adhiberi, necnon horam ſeruari, & proceſſiones, ac aſperſionem aquæ fieri in Conuentualibus, & Parochialibus

Miſſis,

Miſſis, vt tradunt Doctores, ergo non tantùm in ſolemnibus. Reſpondeo, quod Rubricæ Miſſalis nullam Miſſam docent, quàm priuatam, & ſolemnem, quod ſi in minoribus Eccleſijs vbi copia Sacerdotum, aut Cleri non ſufficit ad conſtituendum chorum cantantium, & chorum miniſtrantium ad Altare, vt habet Rubrica, cantantur Miſſæ ſine Miniſtris, non ſequitur tamen, id fieri ex vi Rubricarum Miſſalis; Rubrica ergo ſignificat Miſſam ſolemnem, per accidens autem eſt, & extra intentionem Rubricæ, quod Miſſæ Conuentuali ſine Miniſtris factæ aliqua, & aliqua Parochiali accommodentur; neque dicas in Rubrica generali *par. 2. tit. 6. num.* 8. tradi aliquas regulas ſeruandas in Miſſis cantandis abſque Diacono, & Subdiacono, ex quo videtur colligi, quod non tantùm doceat ſolemnem, & priuatam, ſed etiam mediam inter vtramque, nec omninò priuatam, nec omninò ſolemnem. Reſpondeo enim, quod Auctor Rubricæ ſciens aliquando cantari huiuſmodi Miſſas, pro quibus nequaquam intendit tradere regulas, tamen, ne epiſtola cantaretur niſi à Lectore, & Euangelium ab alio, quàm à Sacerdote, ponit non regulam, ſed exceptionem regulæ ſuperius datæ in numeris præcedentibus, ne ſcilicet ſicuti à Miniſtris hæc cantantur in ſolemni, ſic in hac minùs ſolemni, cantaretur à Miniſtro cotta induto Euangelium, & Epiſtola à Clerico non lectore. Ex hoc tamen non ſequitur, quod Rubrica tradat Regulas pro huiuſmodi Miſſis decantatis, ſicuti non dicitur tradere regulas Miſſæ Pontificalis, eò quia aliqua tradat, quæ à Pontificibus ſunt obſeruanda, ſed ſicuti tradit regulas ad Miſſas Epiſcopales ſpectantes, vt ſignificet in his non eſſe ſeruandam doctrinam traditam pro Sacerdotibus non Prælatis, ſic etiam ponit regulam ſpectantem ad Miſſam cantatam

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſine Miniſtris, vt ſciant Sacerdotes non eſſe obſeruanda in hac, quæ pro ſolemni traduntur.

Inſuper ex Rubricis aliæ reſpiciunt Perſonas in dignitate conſtitutas, vel aliquo priuilegio Pontificali gaudentes, aliæ Sacerdotes priuatos, vel etiam Pontifices, quatenùs non ſolemniter celebrant. Primi generis ſunt illæ, quæ habentur in titulo de Præparatione Sacerdotis, de ſtola, & manipulo, de pace per Presbyterum aſſiſtentem danda, de benedictione finali, & aliæ ſimiles. Secundi generis reliquæ ſunt.

Vlteriùs aliæ Rubricæ Miſſalis referuntur ad perſonas ſingulares, etiam Prælatos, alię ad Collegia Canonicorum, aut etiam aliquando ad Parochos. Ad dignoſcendas has ab illis hę duæ regulæ aſſignantur. Prima eſt: Quotieſcumque Rubrica agit de ſola celebratione præſcindendo à quacumq; illarum circumſtantiarum, quibus afficiuntur Miſſæ ſolemnes, tunc quoſcumque Sacerdotes reſpiciunt ſingillatim. Ratio eſt quia Rubricæ, quæ agunt de ſola celebratione, datę ſunt ad inſtructionem eorum, qui celebrationem vt ſic debent obire, quicumque illi ſint, ſicuti Rubricæ Pontificalis, & Ritualis libri ad eorum eruditionem, qui muniaſ Pontificalia, & Parochialia exercere debent ſunt adinuentæ, & conſcriptæ; ſed quicumque Sacerdotes etiam in dignitate conſtituti ſacrum debent facere, ergo quoſcumque Sacerdotes reſpiciunt, etiamſi ſint Prælati, quia etiam illi eoſdem ritus tenentur ſeruare, vt diximus *in cap. de ritibus, & ceremonijs*, ac patet ex conſtitutione Pij. Secunda regula eſt. Quandocumque Rubrica, vel poſt aliquam ex horis canonicis, quæ regulariter ſunt Prima, Tertia, Sexta, & Nona, vel poſt ſolemnem aſperſionem aquę, vel poſt proceſſionem, aut benedictionem ſolemnem decernit

cernit

Digitized by Google

cernit Miſſę celebrationem ad Collegia, & ad Parochos ſpectat. Probatur primo, quia benedictiones ſolemnes facere, Proceſſiones ducere ſunt de iuribus Parochialibus, quę non niſi Parochis de iure, vel etiam Collegiatis, & Cathedralibus competunt, ergo Rubricæ pręcipientes huiuſmodi functiones non ſpectant ad ſingulos Sacerdotes, ſed ad Parochos, vel ad Collegia.

Probatur ſecundò, quia benedictiones palmarum, candelarum, cinerum, cerei magni, noui ignis, fontis baptiſmalis, aſperſionis aquæ habent horam ſtatutam, ideſt poſt Tertiam, vel Nonam, ergo hæc Rubrica loquitur de Miſſa Conuentuali, ſed ad Miſſam Conuentualem non obligantur niſi Capitula, & Collegia, ergo ex hoc capite de ijs tantum ſermo eſt in Rubrica. Dixi ex hoc capite, quia ſi præſcindamus ab hora, conſtat ex iſtis aliqua pertinere ad Eccleſias Parochiales, vt ſupra dictum eſt.

Inter ea, quæ diximus, Rubrica præcipiens antè Miſſam aliquam horam canonicam, ſicuti etiam Rubrica præcipiens duas Miſſas non ad Parochiales, ſed ad Collegiatas tantummodò pertinet. Ratio eſt, quia tempus hoc determinatum aſſignatur Miſſis Conuentualibus. At dices primò: tempus poſt horam ſtatuitur etiam Miſſis ſolemnibus, ergo in Parochialibus, quando cantantur Miſſæ ſolemnes, hęc Rubrica obſeruanda eſt. Reſpondeo, quòd Rubrica dicit de Miſſa ſolemni, ſimul ac Conuentuali, quia vbi Rubrica dicit: *Miſſa autem Conuentualis, & ſolemnis, par. 1. tit. 15. num. 2.* ly *&* eſt particula coniunctiua, non diſiunctiua, quod conijcitur ab exceptione poſita in numeris ſequentibus; Si ergo ſolemnis eſt, & Conuentualis, non eſt Miſſa Parochialis. Dices ſecundò: in nocte Natiuitatis Domini Rubrica docet, dici duas Miſſas, alteram poſt Matutinum

Digitized by Google

elapſa media nocte, aliam poſt Laudes in aurora, quæ dicuntur Conuentuales in citata Rubrica,& tamen communis vſus Parochialium eſt celebrandi has Miſſas poſt Officium, ergo conſuetudo interpretatur ſenſum Rubricæ, quod nempè per iſtam Rubricam precipientem aliquam horam antè Miſſam ſolemnem obligentur non tantùm Collegia, ſed etiam Parochiales. Dices tertiò,etiam Parochos teneri perſoluere publicè horas canonicas in Choro ex *cap. vltimo diſt.* 8 2. *& cap.* 1. *de celebr. Miſs.* ergo etiam teneri perſoluere ſuam Miſſam principalem poſt aliquam horam, & conſequenter hac Rubrica obligari; nam principalis, & Conuentualis eadem eſt ex generali Rubrica *par.* 1. *tit.* 4. *num.* 3. Reſpondeo enim, quod Parochus non tenetur perſoluere Officium in Choro publicè, vt docent Doctores, *Bonac. de hor. can. diſp.* 1. *q.* 3. *punct.* 5. *Suarez to.* 2. *de Relig. lib* 4. *num.* 4. *&* 11. & hoc propter contrariam conſuetudinem,per quam duobus dictis Canonibus derogatum eſt; ſi autem alicubi mos eſſet celebrandi horas canonicas in Parochialibus, tunc eas tenerentur perſoluere, quia dicti Canones eſſent in viridi obſeruantia, quod dicti Doctores dicunt verificari communiter de Veſperis diebus feſtis; In eo igitur caſu etiam miſſa iuxta horas ſtatutas eſſet celebranda, vt habetur in textu, & gloſſa *cap.* 1. *de celebrat. Miſſar.* dummodò tamen conſuetudo vigeret, etiam quoad partem; Addo idem dicendum eſſe, vbi in Parochijs perſoluitur Officium in nocte Natiuitatis Domini. Hæc tamen non fiunt ex vi Rubricæ, ſed conſuetudinis peculiaris.

Nequè dicas pro ijs locis vbi horæ celebrantur Rubricam habere vim obligandi, & conſequenter non obligare tantùm Collegia, vt diximus; nàm reſpondeo dato etiam

quod

Digitized by Google

quod ſit obligatoria alicuius Parochialis non Collegiatæ, non tamen indè ſequi hanc regulam non dari tantùm Collegiatis. Ratio eſt quia Rubrica loquitur de Miſſa Conuentuali, ergò ſemper loquitur de Collegiatis, quia Conuentualis Miſſa eſt, quæ cum Cleri conuentu celebratur in Eccleſijs Cathedralibus, & Collegiatis vt colligitur ex *Rub.gen.par.1.tit.15.* ex hora celebrandi, quod ſi obligantur, id non prouenit ex his Rubricis, ſed ex memoratis Canonibus obligantibus Parochiales ſimul cum conſuetudine. Vides ergo, quod hæc Rubrica non obligat Parochiales, quia hæ Eccleſiæ non habent conſuetudinem perſoluendi Officium ſaltem communiter, & vt plurimū; quod ſi aliquæ haberent hunc vſum, adhuc Rubrica non poteſt denominari obligatiua, cùm denominatio deſumatur à maiori parte.

Collige ex dictis, quòd in triduo maioris hebdomadæ pro quo habentur Rubricæ de horis Canonicis non obligant Eccleſias Parochiales, ſed Collegia, niſi vigeret conſuetudo Officium perſoluendi, quàm vigere ſcio in pluribus copioſum habentibus Clerum. Quod ſi Clericus nullus adſit, ſed ſolus Parochus, & velit Officium celebrare, docuimus etiam ſuo loco quid agere debeat.

Sed dubium hinc inſurgit, vtrum hæc regula verificetur in omnibus caſibus, etiamſi mentio fiat de aliqua hora intra Miſſam, quia in Sabbatho maioris hebdomadæ Rubrica docet, celebrari Veſperas in ipſamet Miſſa, cuius aliqui volunt eſſe partem integralem apud *Dian.tom.2.tract.1.reſol.75.* & eſſe celebrandam etiam in Miſſis priuatis.

Reſpondeo hoc controuerſum eſſe ſaltem pro priuatis, primò quia Doctorum multitudo diſcors eſt in tradendo, an Veſperæ dici debeant, nec ne in Miſſis priuatis, ergò etiam,

quod

Digitized by Google

quod ſint pars quæ neceſſariò requiratur ad Miſſam. Secundò quia Doctores volunt, etiam Litanias, & Prophetias eſſe partem integralem Miſſæ, quæ Prophetiæ ideò leguntur à Celebrante cum caſula, quæque legi debent ab ipſo ſubmiſſa voce dùm à Lectoribus altè legũtur, quod præſtare circá Veſperas non tenetur ex vi Rubricæ, & tamen communis ſententia eſt, quod neque Prophetiæ, neque Litaniæ dicendæ ſint niſi in Miſſa ſolemni, ergo à pari etiamſi Veſperæ eſſent pars Miſſæ, quod non concedo, non tamen ſequeretur, quod eſſent dicendæ in Miſſis priuatis, & Parochialibus. Prò ſolemnibus verò Miſſis etiã Parochialibus affirmatiuè reſpondendum eſt ob eas rationes, quas in fine dicam.

Dices: in quacumque ſolemni debent dici Litaniæ etiam extrà Collegiatas, ergo etiam Veſperæ. Reſpondeo negando conſequentiam, quia illæ habent relationem ad ſolam Miſſam ſolemnem, vt ex Rubrica huius diei conſtat; hæ autem non ad Miſſam habent relationem, ſed ad chorum, ideſt dicuntur vt ſatisfiat obligationi, quam habent choro adſtricti, dicendi ante refectionem hanc horam canonicam, quod ſi dicantur etiam extrà Collegiatas id fit, quia ibidem eſt chorus, quem reſpiciunt, & in hoc caſu Rubrica eſt directiua.

Vt autem clariùs pateat noſtrum aſſertum hæ adduntur inſtantiæ; Vel Veſperæ ſunt dicendæ in quibuſcumque Miſſis huius diei, ideò quia id docet Rubrica; vel quia ſunt pars Miſſæ, neutrum poteſt dici, ergo nec Veſperæ ſunt dicendæ ex vi Rubricæ in quibuſcumque Miſſis, priuatis videlicèt, & Parochialibus. Probatur minor quoad primam partem, quia Rubrica docet Veſperas cantari à choro, & Altare incenſari, & à Diacono dici *ite Miſſa eſt* cum dupli-

duplici *alleluia*, &adhiberi incenſum ad canticum, ergo ſicuti ex vi Rubricæ dicendæ eſſent Veſperæ, adhibendæ etiam eſſent aliæ dictæ circumſtantiæ; Neque dicas primò, in cæteris manifeſtè apparere ſolemnitates Miſſæ ſolemnis; contrà enim eſt primò, quià idem eſt in Veſperis, dicit enim Rubrica: *poſt ſumptionem Sacramenti cantatur à choro*; & paulo poſt: *chorus proſequitur*; ſecundò quia Rubrica tradit quæ agenda ſunt in publica, & ſolemni, quæ vna regulariter tantùm dicitur, ergo quæcumque ſint, ſemper erunt ſolemnitates Miſſæ ſolemnis. Neque dicas ſecundò, quod Rubrica Miſſæ ſolemnis ſit regula Miſſæ priuatæ ſi præſcindantur ſolæ ſolemnitates, ergo præſcindendo à ſolemnitate cantus Veſperarum adhuc remanere earum lectionem nudè à Sacerdote præſtandam. Reſpondeò enim dato antecedenti negando conſequentiam, ratio eſt quia ſi tolleretur ſolemnitas in Veſperis adhuc legendę eſſent à choro non à Sacerdote, & ſic contrà ſuppoſitionem adhùc eſſet chorus, qui eſt ſolemnitans, ſeù circumſtantia Miſſæ ſolemnis; quod ſi chorum abeſſe velis, quomodonàm ex ſenſu Rubricæ obligas Sacerdotem? Probatur minor quoad ſecundam partem, quia vel ideò dicuntur Veſperæ pars eſſe Miſſæ, quòd cantentur á choro dúm celebratur Miſſa, vel quia Celebrans concurrit ad eas intonando antiphonam, incenſando Altare, imò etiam legendo Veſperas cum Miniſtris vt aliqui docent præter Rubricam *Marcel. libro* 2. *ſect.* 1. *cap.* 57. *Gauant. par.* 4. *tit.* 10. *num.* 40. *Corſet. & Arnaud.* vel quia per poſt communionem includatur in Miſſa, vt pars in toto, modo ſingulas examinemus rationes.

Non per primam, quia quæcumquæ cantantur à choro, & pertinent ad Miſſam, debent etiam legi à Celebrante,

Digitized by Google

vt colligitur ex *Rub. gen. par. 1. tit. 16. num. 3.* quæ docent Sacerdotem legere in ſolemni ſubmiſſa voce, quę clara proferuntur in priuata, ſed Rubrica non docet, quod Celebrans eas legat, ergo quia chorus eas cantet, non debent cenſeri pertinere ad Miſſam. Dices, vſus Cappellæ Papalis eſt quod à Cardinali celebrante legantur Veſperæ dùm à Cantoribus perſoluuntur, ſicuti etiam tradunt alij Doctores, ergo erit caſus omiſſus in Rubrica. Reſpondeo vſum Cappellæ eſſe tamen contrarium Papa celebrante, qui Veſperas non legit *Marcel. ibid. cap. 60.* quamuis quamcumque partem Miſſæ legat, cui fauet etiam Ceremoniale, qui docet *lib. 2. cap. 27.* Epiſcopum celebrantem thurificare Altare, & cætera agere prout in Rubrica, & ſtare ad ſedem vſque ad finem cantici, tùm deſcendere ad Altare, & dicere orationem, ergó vſus Cappellæ non ità opponitur, vt etiam non faueat. Nequè dicas ideò non legi Veſperas à Papa, & Epiſcopo, quia ſolent à cantoribus tantummodò cantari Veſperæ, & Matutinæ cùm Laudibus, contrà enim eſt, quia etiam Papa, & Epiſcopi legunt quamcumque Miſſæ partem, ergo ſi non legunt Veſperas dicendæ ſunt, non eſſe pars Miſſæ, vt aduerſarij contendunt probare.

Non per ſecundum, quia Epiſcopus magis concurrit ad functiones conferendi ordines, conſecrandi Epiſcopos, & Virgines, ac chriſma, benedicendi Abbates, & alia ſacra Olea, quam concurrat ad Veſperas Celebrans intonãdo antiphonam, & incenſando Altare, ſed per dictas functiones dicitur interrumpi Miſſa, ergo etiam per Veſperas, ergo non ſunt pars Miſſæ, ac conſequentèr corruit fundamentum contrariæ ſententiæ, dicendas ſcilicet Veſperas, quia ſunt pars Miſſæ. Quod autem Miſſa per dictas functiones interrumpatur docet, *Tambur. de Sac. Miſ. lib. 2. cap. 7. §. 9.*

& col-

& colligitur inſuper ex Pontificali, *de Oleorum Sacrorum conſecratione*, in quo habemus: *procedit in Miſſa vſque ad communionem incluſiuè*, deindè poſt benedictionem Oleorum ſubdit *redit ad Altare, & proſequitur Miſſam*, ex quò colligitur Miſsa interrumpi; Nec quia Sacerdos in incenſatione Altaris adhùc teneat caſulam arguere debemus eã eſse partem Miſsæ, primò quia Epiſcopus conſecrans, & benedicens, vt ſupra, tenet caſulam, & tamen conſecrationes &c. non ſunt pars Miſsæ; Secundò quia caſula non vtimur tantum Miſsam celebrantes, ſed etiam extrà Miſſam quod fit à duodecim Sacerdotibus aſſiſtentibus Epiſcopo pro benedictione chriſmatis, & inſuper in benedictionibus ſolemnibus, in proceſſionibus, & Veſperis à Canonicis Presbyteris *Cerem. lib. 1. cap. 15.*

Non per tertium, quia non eſt ſatis certum, quod oratio ſit Veſperis, & Miſsæ communis, ſi quis enim dixerit eſse propriam Miſsæ, & horas veſpertinas nullam habere orationem, ſicuti non habent ſuam concluſionem per, *Benedicamus Domino*, nec orationes Dominicalem, & Angelicam antè, & poſt Veſperas, quomodò conuinci poterit? immò ſi diceret non eſse Veſperas, ſed duos illos pſalmos exultationis dici vice Veſperarum, vt dicit Rubrica, diſpenſante Eccleſia Clerum ab hac hora, quomodò poſset redargui? At dato etiam quod concludantur, Veſperæ, & Miſsa per orationem vnicam, quod ſcribit etiam *Durand. lib. 6. cap. 85. num. 8.* & communis eſt vſus loquendi, non ſequitur tamen, quod Veſperæ ſint pars Miſsæ. Ratio eſt, quia in ſecundis Veſperis Sanctorum omnium non dicitur vltima concluſio ideſt, *Fidelium* &c. & in Ferijs quando dicitur Officium in Choro Beatæ Mariæ non concluditur illa hora, ſiuè Officij Beatæ Mariæ, ſiuè Domini, quæ habet

poſt

poſt ſe immediatè alteram alterius Officij correſponden- tem, *Rub. in die 1. Nou. & Rub. ad off. par. B. Mariæ*, ſed concluſio poſterioris eſt, etiam concluſio prioris, quia continuantur, vt ait Rubrica; ſicuti etiam quando Pſalmi Pœnitentiales dicuntur in choro non concluduntur Laudes, quia concluſio Pſalmorum vtrique deſeruit, vt ait, *Gauant. in rub. breu. ſect. 9. cap. 4. num. 13.* ſicuti etiam concluſio Martyrologij quæ eſt *pretioſa &c. Sancta Maria &c.* non eſt pars Officij, vt docet *Durand. lib. 5. cap. 5. num. 18.* ergò ſicuti concluſio communis duobus Officijs, vel Pſalmis Pœnitentialibus, & Laudibus non facit, quod Officium paruum, vel Pœnitentiales ſint pars Officij, neque communis concluſio Veſperarum, & Miſſæ faciet, quod Veſperæ ſint pars Miſſæ. Ergo ſicuti *Pretioſa* quamuis continuetur, cum Officio per ſequentes verſus, tamen non eſt pars Primæ; ità quamùis Veſperæ continuentur cum Miſſa non erunt pars Miſſæ.

At auarè non agā; concedam etiam Veſperas eſſe partem Miſſę ſolemnis, vbi illæ cum hac dicantur, quid indè? nùm ex hoc capite arguent Veſperas etiam in priuatis eſſe legendas? Nequaquam; ratio eſt quia Symbolum eſt pars Miſſæ, Hymnus Angelicus eſt pars Miſſæ, vt Pſalmus *Iudica* initio Miſſæ, & benedictio in fine, ergo dicenda ſunt in vnaquaque Miſſa? Non vtique; quia ſunt partes accidentales, quæ abeſſe, & adeſſe poſſunt abſque ſubſtantiali mutatione Totius; idem dic de Veſperis.

Inſtabis; in Parochijs dicitur Miſſa ſolemnis cum Veſperis, ergò non eſt ſaltem vniuerſalitèr verum, Rubricas præcipientes aliquam Horam Canonicam non obligare Parochiales.

Reſpondeo, vbi cantatur Miſſa ſolemnis, cantandas eſſe

etiam

Digitized by Google

etiam Veſperas, non quidem eo quod hæc Rubrica in Parochialibus vim habeat præceptiuam, ſed tantùm directiuam, prout habent etiam dictæ Rubricæ, & ideò ſicuti ſi Parochus ex ſuppoſitione quod vellet perſoluere Officium in choro debet etiam perſoluere illud, & Miſsam celebrare iuxta ordinem Rubricæ, aliàs imprudenter operaretur; ità data hypotheſi quod vellet cantare Miſsam dicti Sabbathi, debet etiam conformare ſe quantum poteſt Rubricæ. At dato etiam, quod hæc Rubrica ſit præceptiua in hoc caſu, non eſt tamen contra noſtrum aſsertum, quod eſt: *Rubrica præcipiens aliquam Horam Canonicam antè Miſſam pertinet tantummodò ad Collegiatas*: ſi ante Miſsam, ergo de aliqua Hora intrà Miſsam prout ſunt Veſperæ huius diei ſermo hic non eſt.

Aduerto tamen quod alicubi fortaſse etiam in Miſſis priuatis dicendæ erunt Veſperæ, exempli gratia in alma Vrbe, in qua apud Baſilicam S. Petri in templo S. Marthæ ex tolerantia maiorum celebratur etiam ſummo mane vſque ad meridiem, dicuntur in omnibus Miſſis Veſperæ ex antiquiſſima conſuetudine, quam violare vt honeſtam, & longæuam nemo iure poteſt quamque ego cum eſsem Romæ anno 1681. adamuſſim ſeruaui, contra vſum meum omittendi Veſperas.

Neque ideò ſequitur ex hoc Rubricam hanc Miſsalis obligare ſingulos Sacerdotes, & non tantummodo pertinere ad Collegia, quia obligantur per conſuetudinem non obligãtur per Rubricam.

CAPVT IV.

Quid ſit Miſſa, & quotuplex.

MIſsa vox eſt, per quam Sacrificium Altaris ſignificatur, eſtque antiquiſſima, vtpotè quæ primis naſcentis Eccleſiæ temporibus vſurpata; latinam aliqui faciunt, *Gau. par.* 1.*in princ.Durand.lib.*4.*cap.*1.*num.*46. *&* 48. *Innoc.*3. *lib.*5.*cap.*12. hębream alij, vel caldęam *Baron ann.*34.*Fr. Ang. Cont. della denomin. della Meſſa*. Illi ab emiſſione Cathecumenorum, vel à tranſmiſſione hoſtiæ ad Deum, vel à dimiſſione fidelium ad propria poſt peractum ſacrificium deriuatam volunt. Hi ab hæbreo vocabulo *Miſſah*, quo ſignificatur oblatio voluntaria, vel etiam oratio, vt ego ex Leonis Modenæ vocabulario decerpsi, quorum vtrumque ſacrificio Miſsæ per ſe conuenire patet. Gauantus putat eam eſse latinam, quia ab hæbreis ſcribitur cum *he* in fine, quæ litera æquiualet noſtræ *h*, nos autem eam exaramus abſque aſpiratione, verùm hæc ratio nulla eſt, quia hæc vox: *allelluia*: à latinis ſinè aſpiratione in fine ſcribitur, & tamen in omnibus hæbreis codicibus habet literam *he* poſt literam *iod* quapropter ſicuti *allelluia* ab hębreis deriuata apud latinos aſpirationem amittit, cur etiā idem de Miſſa dici non poteſt? Ego probabiliſſimum puto, vocem hanc ab hæbreo idiomate deductam, in quo *Miſſah* ſignificat oblationem voluntariam, vt ait Baronius, vel orationem vt *Leo Mod. in ſuo vocabulario*. Quomodo autem ſic ab hæbreo traducta fuerit vox hæc ad ſignificandam Miſſam, Caſalius *de veteribus Chriſtianorum ritibus* docet

docet *lib.* 1. *cap.* 9. fuiſſe, vt per illud nomen ſimbolicum gentilibus ignotum non proderentur primi fideles, dùm in loca abdita ad ſacros conuentus ſe inuicem inuitabant. Romæ præcipuè hoc nomen vſitatum eſt, vbi Chriſti fideles ſtudebant celare Ethnicos loca, tempora, nomina ſacrificij.

Miſſa in ſenſu formali accepta eſt; Actio, qua offertur corpus, & Sanguis Chriſti Domini ſub ſpeciebus panis, & vini, expreſſiua ſacrificij cruenti ab ipſo Chriſto in ara crucis facto, vel eſt: Sacra actio, in qua Sacramentum Euchariſtiæ conficitur præcedentibus, & ſubſequentibus orationibus, & ceremonijs multis; vel vt alij volunt: Eſt ſacra ceremonia, qua ſacratur panis, & vinum, aliquo modo conſumitur, & ſoli Deo offertur in ipſius cultum, & recognitionem eius ſupremæ maieſtatis, & excellentiæ; vel vt alij: Eſt verum ſacrificium incruentum Chriſti, quod ſecùm habet rem externam ſenſibilem, quæ fit ſacra, & mutationem patitur, & offertur Deo per legitimum Miniſtrũ certis ritibus, & ceremonijs, vel ad delenda peccata, vel ad gratias agendas pro beneficijs vel ad opem inuocandam, vel ad ſupremum Dei dominium profitendum.

Miſſa adhuc impropriè ſumpta ſignificat aliquas Miſſæ partes abſque ſacrificio, ſed aliquando cum communione Sacerdotis, vt fit Feria ſexta in paraſceue, quæ communiter dicitur Miſſa ſine aliquo addito; aliquando fit ſine communione, & vulgato nomine dicitur, etiam à Doctoribus, Miſſa ſicca: hæc ceremonia quamuis in hac regione non modo ipſa, verum etiam eius nomen omninò à populo ignoretur, etiam ad Altare in Eccleſia, & publicè fieri poteſt dummodò vigeat conſuetudo *Dian. tom.* 2. *tractat.* 1. *reſol.* 144. quę cum ibi non vigeat nullo modo huiuſmodi

Miſſa ab Italis fieri poterit. Olim in Eccleſijs vbi vnicus erat Sacerdos occurrente Feria maiori, vel quatuor Temporum, aut Vigilia &c. cum duplici, vel ſemiduplici celebrata Miſſa de Sancto, in qua ſacrificium fiebat, legebatur ab eodem celebrante Miſſa de Feria, vel de Vigilia, ijs veſtibus, & precibus quas breui ſubdo, *Albert. Caſtel. in ſuo Sacram.*

Poteſt extrà Eccleſias in quocumque honeſto loco celebrari, in domibus priuatis, in carceribus, in naui, & eo caſu paratur abacus, ſiuè parua menſa cum tobalea, etiam non benedicta, cum duobus candelabris hinc inde mediam habentibus Crucem, & liber Miſſalis; Sacerdos paratur vſque ad ſtolam incluſiuè, vel cottam tantum habet cum ſtola in modum Crucis aptata cum cingulo. Facit confeſſionem, vt moris eſt; dicto *Oremus* aſcendit ad abacum nihil dicens, nàm duæ orationes *Aufer*, & *Oramus te Domine* omittuntur; legit introitum, & procedit vſque ad offertorium excluſiuè, & illicò omiſſo offertorio, oblationis orationibus, ac reliquis legit præfationem, tùm dicit Orationem Dominicalem, poſt quam dat pacem demum dicit, *Ite Miſſa eſt*, vel *Benedicamus Domino*, benedicit populo, legitque Euangelium Sancti Ioannis. Quando dicit *Dominus vobiſcum* non conuertitur ad populum; hunc modum plures tradunt Doctores *Dominicus Magrus, v. Miſſa Durand. lib. 4. cap. 1. num. 23.* & eſſe approbatum plures Docent apud, *Dian. ibid. Magr. Nauar. Frà Ang. Cont. nell' oblig. d'vdir Meſſa docum. 6.*

Diuiditur Officium Miſſæ in quatuor membra, ſiue in quatuor conſiſtit, in perſonis, in operibus, in verbis, & in rebus vt ſcribit, *Durand. lib. 4. cap. 1. num. 12.* Nos autem primò Miſſam diuidemus in ſuas partes integrales, ſecundò

dò in partes accidentales. Miſſa ergo vt eſt totum integrale diuiditur in Miſſam Cathecumenorum, & Miſſam Fidelium, prior eſt illa pars quæ Introitum, & Offertoriũ complectitur vt docet, *Durand. lib.6.cap.56. num.11. & lib.4.cap.1.num.46.* altera eſt quæ poſt Offertorium immediatè incipit, & terminatur in Euangelio Sancti Ioannis incluſiuè, diuiditur ab alijs Miſſa tamquam in partes integrantes in quatuor membra, videlicet in obſecrationes, orationes, poſtulationes, & laudes, ſiuè gratiarum actiones, *S.Paul·Epiſ.ad Thim.1.cap.2.Durand.ibid.n.50.* Obſecrationes ſunt Miſſæ partes vſque ad offertorium, Orationes protenduntur ab offertorio vſque ad finem Dominicæ Orationis; Poſtulationes vſque ad communionem, ideſt vſque ad poſtcommunionem, laudes, ſiue gratiarum actiones vſque in finem, ſcilicet vſque ad reſponſionem verſus, *ite Miſſa eſt*, vel *benedicamus Domino*. Alij obſecrationes eſſe eam partem Miſſæ, quæ ab introitu vſque ad *Te igitur* protenditur;Orationes verò volunt eſſe reliquam partem vſque ad *Oremus præceptis* &c. Poſtulationes autem vſque ad poſtcommunionem, Laudes verò vſque ad *ite Miſſa eſt*.

Miſſa etiam, prout eſt Totum accidentale ex ſacrificio, & officio, tamquam ex ſubiecto, & accidente conſtans, diuiditur tamquam ſubiectum in ſua accidentia ſic: aliud eſt votiuum, aliud de tempore. Votiuum aliud eſt ſimpliciter tale, aliud ſecundùm quid, vt ſuo loco dicetur. De tempore aliud eſt de duplici, aliud de ſemiduplici, ſimplici Feria, Vigilia, quæ diuiſio in Miſſali habetur, & de qua nos alibi agemus. Inſuper conſiderata Miſſa ratione quarundam circumſtantiarum accidentalium diuiditur adhùc in ſolemnem, priuatam, & mediam.

Digitized by Google

Miſſa ſolemnis illa eſt, quæ omnem ſolemnitatem habet, cantus, thuris, Miniſtrorum, earumque omnium ceremoniarum, quas fusè tradit Rubrica Miſſalis, & Ceremoniale Epiſcoporum, prout colligitur ex *Rubrica gen. par. 2. tit. 2. num. 6. Gauant. par. 2. tit. 2. in num. 5. Piſc. lib. 2. ſect. 9. cap. 1. num. 1. Totin. lib. 1. cap. 19. num. 15.* Priuata ea eſt, quæ ſine cantu celebratur à Sacerdote cum vno Miniſtro, vel cum duobus ſi ſit Epiſcopus, qui tamen ſacras veſtes non induuntur. Addo etiam Mediam inter vtramque, tamquã participantem de vtroque extremo, nam cum ſolemni habet cantum, ſæpe etiam pacis oſculum, incenſationem &c. cum priuata conuenit in hoc, quod vnus aſſiſtit Miniſter, vel aliquando etiam duo cum Cotta. Dicitur aliquando Conuentualis, quia à Canonicis cum Cleri conuentu cantatur, & quia Horis Canonicis reſpondet.

Pro Miſſis priuata, & ſolemni regulæ in *par*, 2. fusè traduntur. Pro media hæc ſeruantur communiter, ſcilicet quod omittitur prima thurificatio Altaris, Epiſtola cantatur ab aliquo Lectore, Euangelium à Sacerdote, aliquando etiã datur pax, & quidem per oſculum, quamuis alij dandam velint per inſtrumentum, fit incenſatio omnium in Choro à Thuriferario, Miniſter Altaris Regulariter non genuflectit, ſed ſtat poſt Sacerdotem præterquam ad confeſſionẽ, eleuationem Sacramenti, & communionem, & benedictionem Sacerdotis. Calix, & Miſſale poterunt parari in Altare, vel deferri à Sacerdote, & Miniſtro, vt in Miſſa priuata, quando autem aſperſio facienda ſit diebus Dominicis, calix in Altari, & liber meliùs aptantur, & Miniſter vaſculum, & aſpergillum defert. Hæc docent *Cerem. fr. min. par. 2. cap. 12. Piſc. lib. 2. ſect. 9. cap. 2. Totin. lib. 1. cap. 19. num. 15. Bauld. ibid. cap. 11. & 12.* Bauldrius

addit

addit his duos Ceroferarios, & credentiam; Ceroferarij accenſis candelis ad Euangelium ſtant in eo cornu vſquequo Euangelium ſit peractum, mediumque habent Thuriferarium, ſed omnes extrà gradum Altaris; in credentia ponuntur candelabra cum cereis, Miſſale Epiſtolæ, & vrceoli, *Bauld. par. 3. cap. 9. 10.* Primus autem Acolythus ſubmiſſa voce reſpondet ad ea, quibus chorus ipſe non reſpondet, v. gr. ad *Orate fratres*, *Kyrie &c.*

Quæſiuit quidam Parochus noſtræ huius Diœceſis, qui nullum Sacerdotem, nullumque Lectorem habebat, vtrum poſſet Miſſam diebus ſolemnioribus cantare reſpondentibus laicis, eiſdemque miniſtrantibus, vti ſemper conſueuerant? Ratio dubitandi erat, quia Rubrica docet Epiſtolam à Lectore cantandam, & quia videtur inconueniens laicos miniſtrare thus, & thuribulum &c. Reſpondi conſuetudinem ſeruari poſſe, cum ex nullo capite videretur inhoneſta, aut inconueniens; non primò quia deeſſet Lector pro cantanda Epiſtola; ratio eſt, quia Sacerdos cantat Euangelium, & *ite Miſſa eſt*, quia abeſt Diaconus, ergo etiam Epiſtolam, quia abeſt Subdiaconus, & Lector; ſecundò quia Sacerdos in Miſſa ſolemni ideò legit ſubmiſſa voce Euangelium, Epiſtolam, *Credo*, & *Gloria &c.* quia eadem per Chorum, & Miniſtros cantantur, ergo cum deſint Miniſtri ipſe Sacerdos debet ea cantare; antecedens colligitur ex *Rubr. gener. par. 1. tit. 16. num. 3. & Gauant. ibidem*, conſequentia ſequitur, quia ea quæ clara, & alta voce legenda ſunt in Miſſa plana, alta voce legenda ſunt, vel cantanda in ſolemni, ſed in hoc caſu non poteſt cantari à Lectore, ergò à Sacerdote. Non ſecundò quia laici cantent, & ſtent in choro, quia ſicuti Muſici, qui Clerici vt plurimum non ſunt, & Moniales cantant quæ cantari de-

bent à choro, ità à laicis id fieri poteſt, tùm quia, vt ait *Bonac. de hor. can. diſp. 2. q. 1. punct. 1. num.* 8. eſt actus Religionis, quo Deus honoratur, ergò non ſunt excludendi laici, adde tu quia nullius ordinis eſt peculiaris in choro pſallere, vt patet quia pſalmiſtæ, ſiuè Cantoris officium non exigit clericatum, & quia pueri apud nos ſola veſte clericali, & cotta abſque tonſura cantant in choro; tùm quia totus populus olim cantabat ea quę nunc cantat chorus, vt docet *Conrad. Brun. de cerem. lib. 2. cap.* 1. tùm quia ſtatutum olim á Canonibus fuerat, vt incæpto officio per Parochum ruralem, eoque abeunte ad infirmos inuiſendos, ſcholares officium perſoluerent, *cap. 1. de celebr. Miſs.* vbi quamuis Sanctus Antoninus in ſumma intelligat nomine Scholarium Clericos *par.* 3. *tit.* 13. §. 1. non deſunt tamen, qui laicos eſſe dicant, & quidem textus ſi attentè legatur, non ſcholares, ſed dicit ſæculares. Quod autem in choro ſæculares ſtare poſſint tenet idem *Bonacina* contra *Fuſchium de Viſit. lib.* 1. *cap.* 20. *nu.* 3. & contraria conſuetudine vult eſſe antiquatum canonem ſupradictum, & alium Concilij Turonenſis ſecundi.

Non tertiò quia laici miniſtrent incenſum, quia ſicuti miniſtrant hamulas, librum, & reliqua, cur non etiam thura? ſecundò quia in proceſſione SS. Sacramenti eodem laicorum miniſterio vti debet, qui Clericos non habet; ſic etiam quia idem à laicis in eodem caſu præſtatur in benedictionibus palmarum, candelarum, cinerum, & in alijs functionibus hebdomadæ maioris in minoribus Eccleſijs, vt ſuo loco docebimus, & quia nullius ordinis eſt thuribulum ferre, & miniſtratur á pueris clericali veſte indutis non initiatis; Quodſi eſſet etiam alicuius ordinis, vt eſt claudere, & aperire Eccleſiam, & pulſare campanas, necnon miniſtrare

niſtrare ampullas, & luminaria ferre, conſuetudine tamen cum neceſſitate coeuntibus permitti poſſet laicis, ſicuti etiam permittitur eiſdem campanas pulſare &c.

Quæſiuit alter, an feria tertia, in qua celebrare aliquot vicibus ſolebat in anno cũ populi concurſu Miſſam ſine miniſtris, quam mediam dicimus, Sancti Antonij, modo ad petendam abundantiam frugum, modò pluuiam, & ſerenitatem, prout res poſtulabat, an vnam orationem cum hymno Angelico, & Symbolo poſſet dicere, ſicuti quando Miſſam in die ſolemni eiuſdem Beati, vel extrà illã quandocumque ſolemniter cum Miniſtris celebrabat pro aliquo infirmo, ſiue aliquo graui priuatę alicuius perſonę negotio, vna oratio dicenda ſit?

Dixi primò non modò ſymbolum dici non poſſe in caſu propoſito, ſed neque in cæteris caſibus relatis; ratio eſt, quia ſymbolum in ipſa ſolemnitate Beati non competit Miſſæ celebratæ in illa Eccleſia ex aliquo ſpeciali titulo, non quia ibi ſit inſignis Reliquia, non quia ſit Patronus, vel Compatronus, vel Titulus Eccleſiæ, qui neque habet Altare, & tamen etiamſi titulus eſſet Altaris non gauderet priuilegio ſymboli, vt expreſsè habet Rubrica. Secundò extrà diem Beati, neque ſymbolum, neque hymnus Angelicus, neque vnica oratio conuenienter dicitur: Ratio eſt, quia non in quacumque votiua, neque pro quacumque neceſſitate hæc conceduntur, ſed in votiua ſolemni, & pro negotio publico, & neceſſitate item publica, vt expreſsè habetur in declaratione Sacræ Rituum Congregationis; & neque hoc ſufficit, ſed debet fieri cum totius Ciuitatis concurſu. Aliàs ſi ſola ſolemnitas ſufficeret ad hæc dicenda, ſemper in Miſſis ſolemnibus, quæ ferialibus diebus cantantur in Cathedralibus, & inſignioribus Eccleſijs cum

Miniſtris dicendus eſſet hymnus, ſymbolum, & vnica oratio; vel ſi ſolemnitas cum grauitate, vel neceſſitate connexa, ſequeretur, quod in quacumque ſolemni hæc dici poſſent, quia Miſſa cum celebretur pro gratiarum actione, ad impetrandam miſericordiam Dei, pro remiſſione peccatorum, ad proteſtationem ſummæ excellentiæ Dei, & noſtræ ſubiectionis, ſemper diceretur pro re graui celebrari; Vel ſi ſolemnitas cum concurſu abſquè publica neceſſitate, in omnibus ſolemnibus, quæ cantantur diebus feſtis Confeſſorum, & Virginum, ac Martyrum cum populi, & Cleri concurſu eſſent eadem dicenda, quod eſſet manifeſtiſſimè contrà Rubricas. Eſt ergo regula, quod Miſſa ſit ſolemnis, ideſt cum omnibus ſolemnitatibus, quæ in Miſſali præſcribuntur, & ſit pro re graui, & publica, non ergò pro neceſſitate priuata, etiam ſpirituali; non pro re graui quomodocumque, ſed pro qua conuenit primò Clerus cum Epiſcopo, aut ſubintellige pro qua conuenit in Oppidis populus loci, aliàs extrà Ciuitates numquam hæc dici poſſent in votiuis huiuſmodi; ſecundò pro re graui extraordinaria aliàs in Litanijs maioribus die S. Marci, ad quas eſt conuentus Cleri, Epiſcopi, & Populi iniuſtè taceretur ſymbolum, quando in Dominica celebrari contingit, quia cum Cleri, & Populi concurſu fiunt, non ergò in illis, quę, vel ex peculiari deuotione, vel priuata neceſſitate celebrantur, vel ſine concurſu ſunt. Tertiò Miſſa ab eo decantata non eſt propriè ſolemnis, cum non aſtiterint Miniſtri, & ſolemnitates aliæ defuerint, ac proindè huiuſmodi ſolemnitates illi non conueniunt.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO II.

CAPVT I.

De Miniſtro Miſſæ priuatæ.

IN Miſſa priuata vnicus Miniſter Clericus non duo adhiberi poſſunt etiamſi celebrans ſit Abbas, vel Vicarius Generalis, *Gau. in manual. V. Miſſæ ritus, & alij ex Sac. Rit. Congregat.* Hic priuſquam Sacerdos induatur lotis prius manibus cotta induitur, & paramenta diſponit in Sacriſtia, ac alia, quibus in Sacrificio vtendum eſt, & adiuuat celebraturum porrigens illi ea, quæ porrigenda ſunt cum oſculo priùs rei porrigendæ, quæ ſi oſculanda ſit etiam Sacerdote, in eadem parte oſculum ipſe non figet, ſed in alia, tradet birretum Celebranti cum quaſi oſculo birreti, & accepto Miſſali ſtans poſt Celebrantem genuflectit vnico genu Imagini principali in Sacriſtia, dum Sacerdos eidem inclinatur; deindé procedit antè Celebrantem capite aperto, oculiſque demiſſis, inceſſu graui librum portans antè pectus, quem tenet ambabus manibus in angulis inferioribus, & eleuat vſque ad faciei altitudinem. Si fortè contingat obuiam habere Sacerdotem paratum, aut alium virum Eccleſiaſticum, ei ſe inclinet, ſi autem accidat in aliquo Altari fieri eleuationem Sacramenti, vel Sacramentum eſſe expoſitum, aut in Altari eſſe poſt eleuationem, dùm Sacerdos genuflectit antè illud Altare, idem præſtat Miniſter poſt eum ſtans, non tamen nimis longè, vt præſtò

ſit.

ſit ad accipiendum birretum, ſi dandum ſit iuxtà regulas alibi tradendas, quod eo caſu iterum cum quaſi oſculo reſtituit, ſed genuflexus itidem genuflexo. Surgens iterum procedit antè Celebrantem vſque ad Altare, in cuius plano ſtat, & accipit birretum cum quaſi oſculo, & appendit illud digito minimo ſiniſtræ manus, & genufleƈtit cum Sacerdos profundè inclinatur, quod ſemper obſeruare debet quandocumque eſt in aƈtuali miniſterio Sacerdotis, tùm aſcendit ad latus Epiſtolæ per planum, ponit librum in Altari, & per idem cornu deſcendens ponit birretum in menſa apud hamulas, vel appendit clauo, & tranſiens ad cornu Euangelij facit genuflexionem in medio, túm genufleƈtit antè infimum gradum, & manibus iunƈtis expeƈtat initium Miſſæ. Signat ſe cum Celebrante, & iungens iterum manus voce competenti, & conformi tono vocis Celebrantis quantum fieri poteſt aptè, diſtinƈtè, & deuotè reſpondet.

Diƈto à Celebrante *Confiteor* conuerſus ad eum inchoat *Miſereatur*. Dicit *Confiteor* inclinatus, & ter peƈtus percutit dextera manu, interim ſiniſtra peƈtori admota, dum dicit *tibi*, & *te Pater* conuertitur ad Sacerdotem, cui etiam inclinatus reſpondet duos ſequentes *Amen*, ad *Indulgentiam* ſe ſignat, item ſiniſtra peƈtori admota. Ad *Deus tu conuerſus* iterum inclinatur vſque ad *Oremus*. Inclinatur in Miſſa ad *Gloria Patri*, ad nomina *Ieſu*, & *Mariæ*, Sanƈtorum de quibus fit feſtum, vel commemoratio, & Papæ viuentis prout in ſuo loco dicendum eſt, & ad ea omnia, ad quæ Sacerdos inclinatur in hymno Angelico, & ſymbolo.

Cum Sacerdos aſcendit ad Altare ipſe ſurgens à plano genufleƈtit in infimo gradu, & manus iunƈtas tenet, vt aliqui volunt, aut decenter peƈtori appoſitas, vt alij; librum manu

non

Digitized by Google

non teneat, vt legat, nec Roſarium, aut aliquid aliud, ſed ſignabit ſe cum Sacerdote, & pectus cum eo percutiet; Quando Sacerdos conuertitur ad populum dicturus *Dominus vobiſcum*, aut *Orate fratres*, modicùm illi inclinatur; lecta Epiſtola, & dicto *Deo Gratias* ſurgit, & vadit per planum ad cornu Epiſtolæ, ad quod aſcendit poſt finem gradualis, vel tractus, accipitque librum, quem clauſum pollice tamen dexteræ inter folia poſito, *vt vult Bauld*, vel vt communis vſus obtinuit, apertum, & iacentem defert ſuper puluino ad cornu Euangelij, in quo illum aptat, & aperit, accenditque cereum ſi accendendus eſt, & ſtans in eodem cornu in plano reſpondet, ſignatque ſe in fronte, ore, & pectore, manibuſque iunctis finem expectat Euangelij, quo finito extincto cereo vadit ad cornu Epiſtolæ, in quo genuflectit vſque ad finem Offertorij.

Dicto Offertorio miniſter ſurgit, & facta genuflexione, aſcendit ad latus dexterum Sacerdotis, vbi velum calicis á Celebrante depoſitum plicat, & deponit, tùm hamulas cum bacili ad Altare portans eas ponit in Altari diſcoopertas, eaſque tenens per pedem tradit Celebranti alteram poſt aliam priùs deoſculatam caput Sacerdoti inclinando, tùm porrigendo, ac recipiendo illas, quas cum quaſi oſculo recipit. Dum Celebrans facit oblationem Calicis, ipſe reponit ampullam vini, & rediens miniſtrat aquam pro digitorum ablutione ſupra peluiculam extrà Altare, & ſe inclinans recedit, deponit aquam in aliquem locum conuenientem, non diſpergit eam in pauimentum, & plicat mantile, quod relinquit ad credentiam, ac ſumpta campanula redit ad cornu Epiſtolæ, vbi genuflectens ponit campanulam antè ſe. Dicto à Celebrante *Orate Fratres*, & circulo omninó peracto reſpondet *Suſcipiat &c.* Ad *Sanctus* campanulam.

lam pulſat tribus vicibus, ideſt duobus ictibus pro ſingulis, & quando opus eſt accedit ad accendendum cereum, pro quo ſi commodè fieri poteſt lumen non accipit ab Altari, ſed ex vicina lampade; Aduertat autem dum cereum, vel cereos accendit, an Celebrans peruenerit ad conſecrationem, nàm in tali caſu, etiamſi cerei non ardeant vadit ad genuflectendum, vt infrà.

Ad conſecrationem genuflectit miniſter, vel in cornu Epiſtolæ, vel medium occupat locum inter medium Altaris, & dictum cornu, vt propior ſit Celebranti; Quando ille conſecrat iunctis manibus erit, inclinaturque profundè ad genuflexionem Sacerdotis, tùm eo ſurgente, vt hoſtiam eleuet, tollit paululùm extremam partem caſulæ, quam ſine oſculis facta eleuatione relinquit, ter autem tangit tintinnabulum, ad genuflexiones nempè, & eleuationem duobus ictibus pro ſingulis, & tandem ad genuflexionem iterùm profundè inclinatur; quod præſtat etiam ad Calicis eleuationem. Omitti pulſationem campanulæ ſi fiat, dum celebratur Miſſa priuata, proceſſio, vel Miſſa ſolemnis aliqui docent, ſed libentius dicam cauendum eſſe à Sacriſta, aut Præpoſito, ne Miſſæ eo tempore celebrentur, vt tradunt Auctores, qui de Viſitatione agunt, aut in loco remoto fiant ne perturbetur ordo proceſſionis, aut Miſſæ ſolemnis.

Facta adoratione Calicis à Sacerdote ſurgit miniſter, niſi omninò ſit in cornu Epiſtolæ, & accepto tintinnabulo vadit ad dictum cornu, & genuflectit in infimo gradu, vbi manibus iunctis manet vſque ad ſumptionem ſanguinis niſi danda ſit pax, quia in tali caſu dicto *Agnus Dei*, accipit pacis inſtrumentum, & ea peragit, vt latè ſuo loco dicemus *par. 1. ſect. 3. cap. 2.* Pectus interim percutit ad *Nobis quoque pec-*

peccatoribus, ter ad *Agnus Dei*, & ad *Domine non ſum dignus*, & ſignat ſe ad *omni benedictione cæleſti, & gratia;* ad *da propitius pacem in diebus noſtris:* Dum Celebrans ſumit Sanguinem ſurgit, campanulam reportat ad credentiam, à qua ad Altare fert ampullas depoſitis priùs operculis, & collocat eas ſuper Altare, ac miniſtrat, vt ſupra, & eas reportat. Si communio aliquorum facienda ſit extendit aliquod linteum antè perſonas communicandas, dum Celebrans ſumit Sanguinem, & in cornu Epiſtolæ genuflexus iunctis manibus priuſquam Sacerdos conuertatur ad communicandos (vt contra *Cerem. lib.* 2. de Feſto Paſchatis, iuxta rubricam Miſſalis, & Ritualis ſtatuimus infra *par.* 2 *sect.* 4. *cap.* 2.) facit confeſſionem, & reſpondet ad abſolutionem, item miniſtrat vinum cum mappula communicatis, tùm miniſtrat ampullas, quibus depoſitis extinguit cereum, vel ſi duo ſint, illum primò, qui eſt in cornu Euangelij, deindè illum, qui eſt in cornu Epiſtolæ; Si communio facienda ſit poſt Miſſam non extinguntur niſi peracta communione.

Portat deindè librum, vt ſupra, cum puluino ad cornu Epiſtolæ, & iterum illud aperit ſi illum priùs clauſerat, & reuertitur ad cornu Euangelij, antè quod in infimo gradu genuflectit vſque ad benedictionem ad quam ſignum crucis ſibi facit, tùm pergit ad cornu laterale Euangelij, vbi ſtat antè gradus iunctis manibus ſignans ſe, & genuflectens, vt Sacerdos, tum extinguit cereos peracto Euangelio incipiens à parte dextera Altaris, & ſuſcepto Miſſali, & birreto reuertitur antè gradus, contra cornu Epiſtolæ, vbi Sacerdoti poſt inclinationem birretum, vt ſupra, tradit.

Si aliud Euangelium dicendum ſit, dicto *ite Miſſa eſt*, ſollicitè mutat librum ad dexteram Altaris, & in eodem cornu, vt

ad

Digitized by Google

ad prius Euangelium ſtat extra gradus manibus iunctis. In receſſu ab Altare ad Sacriſtiam idem ſeruatur, ac in acceſſu, excepto, quod Miniſter in ingreſſu Sacriſtiæ ſiſtit ſe donec Sacerdos tranſeat, cui ſe inclinat, & genuflectit Imagini principali, quando illi reuerentiam facit Celebrãs. Minutiora vſu potiùs, quàm præceptis percipiuntur, quapropter libentiùs ea omiſi, quæ lectoribus tædium magis, quàm inſtructionem attuliſſent.

Si Miſſa celebretur coram Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, vel Epiſcopo &c. Miniſter priùs quam ad Altare peruenerit, genuflectit Prælato, tùm in cornu Euangelij proſtratur pro confeſſione, quia cornu Epiſtolæ occupat Celebrans: Cum Sacerdos aſcendit ad Altare ipſe ſurgit, & procedens poſt Epiſcopum vadit ad cornu Euangelij, in quo genuflectit reuerentiam faciens Epiſcopo, & Altari vnica genuflexione, dummodò Epiſcopus proximus ſit Altari. Dicto Euangelio, vel Offertorio, ſi ſymbolum non ſit dicendum offert codicem Euangelij oſculandum, Prælato, & pacem dat ſuo loco inſtrumentum porrigendo, niſi proprius ſit Cappellanus Epiſcopi, qui hæc peragat.

CAPVT

CAPVT II.

De Miniſtris Miſſæ ſolemnis.

REgulariter in Miſſa ſolemni, quam Sacerdos non Prælatus celebrat duo aſſiſtunt Miniſtri ſacris induti veſtibus, præter Miniſtros inferiores, & ſunt Diaconus, & Subdiaconus. Hi lotis prius manibus induuntur opitulantibus Acolythis ſacras veſtes, eas deoſculando, quæ crucem habent, non tamen accipiunt tunc manipulum, quamuis extimam accipiant veſtem, ſcilicèt dalmaticam, & tunicellam, ſiue planetas plicatas, ſi ſint in Eccleſijs inſignibus, pro diuerſitate temporum; ſic induti miniſtrant veſtes Sacerdoti, Diaconus videlicèt, cui Subdiaconus cooperatur eas adaptando, demùm incenſum miniſtrat ſuſtinente Acolytho thuribulum, ac tandem accepto priús manipulo tradit cum quaſi oſculo birretum Sacerdoti, & accipiens ſuum ſtans à dextris Sacerdotis, Subdiacono interim à ſiniſtris, reuerentiam faciunt omnes ſimul Cruci, vel Imagini principali, & vnus poſt alium procedunt capite tecto, non pares antè Celebrantem, vt malè alicubi agitur contra Ceremoniale, *lib.* 1. *cap.* 15. & communem vſum Eccleſiæ, & placita Doctorum; Si contingat tranſire antè Altare, in quo ſit Sacramentum incluſum in tabernaculo, ſimul genuflectunt vnico genu, ſi apertum ſit ambobus, ſi fiat eleuatio vſque ad depoſitionem Calicis remanent medium Sacerdotem in quocumque caſu habentes, & caput aperientes vnà cum Celebrante, quod ſi Subdiaconus librum, Calicem Diaconus ferret Sacramento in cuſtodia poſito (quæ tamen melius in credentia, vel in Altari pa-

ran-

Digitized by Google

rantur) omnes ſimul caput detegunt, Sacerdos quia nihil geſtat, Subdiaconus quia liber non impedit illum, quominùs caput aperiat, Diaconus ob vniformitatem cum cæteris ſeruandam, quo caſu priùs quam genuflectat, caput diſcooperiat, & partem inferiorem manus Calici ſuperponit indice, ac pollice birretum eleuatum à burſa ſuſtinendo.

Vt ad Altare peruenerint, tradunt Ceremoniario birreta, ſed Diacono ſemper Celebrans, à quo pariter illud recipit, genuflectunt deindè ad Altare, dum Sacerdos inclinatur eidem, vel genuflectit, quod ſemper ſeruent, ideſt genuflectant quotieſcumque Sacerdos inclinatur, vel genuflectit Altari, dummodò in eius actuali miniſterio ſint, & ad Altare. Signant ſe cum Celebrante, caput inclinant ad *Gloria Patri &c.* vt ſupra de Miniſtro dictum eſt. Dum incipiunt *Miſereatur* caput conuertunt ad Sacerdotem ſicuti etiam ad *tibi*, & *te Pater*, nec eriguntur vſque ad finem verſus *Miſereatur*; ſe ſignant ad *Indulgentiam*, & caput inclinant ad *Deus tu conuerſus* vſque ad *Oremus*, ad quod ſolus Sacerdos manus deducit, & iungit. Aſcendunt ad Altare medium habentes Celebrantem, cuius albæ fimbrias anteriores eleuare poterunt aſcendendo per gradus, & dum Celebrans oſculatur Altare ipſi manibus non poſitis ſuper mēſa, ſed omninò iunctis genuflectunt. Diaconus deindè offert thus Celebranti, & aſſiſtit à dexteris eius, & Subdiaconus à ſiniſtris incenſantis dum fit thurificatio, qua peracta miniſtri in planum deſcendunt contra auſtrum, & Diaconus habens ad ſiniſtram Subdiaconum, qui nullam reuerentiam facit, ſed ſtat immotus, inclinationibus debitis incenſat Celebrantem ſtantem in cornu Epiſtolæ in ſupremo gradu facie ad illum conuerſa.

Nota

Nota hic, quod in tota actione occurrit, quandocumque Miniſtri aliquid dant Celebranti, ſemper rem primò, deindè manum oſculantur, vel quaſi oſculantur, quia birretum, & purificatorium poſt ablutionem digitorum cum quaſi oſculo tantùm traduntur. Subdiaconus autem tradens aliquid Diacono, vel ambobus, Acolithi numquam oſculantur rem, aut manum ob præſentiam Celebrantis, ſicuti Diaconus, & Subdiaconus præſente Epiſcopo manum Sacerdotis Celebrantis non oſculantur ex *Cerem. lib.*1. *cap.*18.

Fallit tamen hæc regula in Miſſis Defunctorum, in quibus oſcula omittuntur huiuſmodi, & in Miſſa, quæ fortè celebratur coràm Sanctiſſimo Sacramento expoſito, in qua tamen Subdiaconus lecta Epiſtola, & Diaconus ante Euangelium manum celebrantis oſculantur. Hæc exceptio videtur nihilominùs in omnibus ſubſiſtere non poſſe, quia ſi oſcula omittenda eſſent ob præſentiam Sacramenti expoſiti, neque oſculanda eſſet patena cum manu celebrantis poſt Orationem Dominicam, quando videlicèt eſt Sacramentum ſuper Altare, neque oſculum pacis dandum eſſet; *Gauant.par.*2.*tit.*14.*num.*6.*&* 10. vult omitti quæcumque oſcula exceptis duobus memoratis. *Piſc.lib.* 3.*ſect.* 10.*cap.*2. *num.*4. *& cap.*3. *num.*1. *&* 3. vult in thuribulo tradendo manum, & catenulas, necnòn extremitatem cochlearis à Diacono oſculari, ſecùs ſi Altare non incenſaretur. *Bauldr. par.*3. *cap.*17. *num.*8. vult oſculari patenam, & calicem, & manum celebrantis ad offertorium, & citat pro ſe *Cerem.Epiſc.lib.*1.*cap.*9.*& lib.*2.*cap.*8. quod tamen non loquitur in caſu noſtro ſicuti etiam Gauantus idem Ceremoniale pro ſe alibi citat contrà id, quod docet *Baul.Cer.Ep.lib.*2.*cap.*23. Totinius coincidit cum ſenten-

tia Gauanti. Ceremoniale Fratrum Minorum ſentit cum Piſcara *Cer.Fr. Min.par.1.cap.11.num.1.* Quęſtio propoſita fuit à me viris ſtudioſis, ac prudentibus, quorum aliqui cum Gauanto, alij cum Piſcara ſenſere. Priores quia oſcula cum ſint reuerentiæ ſigna omitti debent, ſicuti omittuntur ab Acolythis aliquid porrigentibus Miniſtris ſacris; adderem & ego, ſicuti omittuntur genuflexiones coram Epiſcopo celebrante in præſentia Cardinalis, & oſcula Sacerdotis manibus, & rebus eidem porrectis in præſentia Epiſcopi, vt colligitur ex Ceremoniali cap. modo dicto. At cum his omninò non communicabam, tùm quia eſt oſculanda manus Epiſcopi, & Sacerdotis cum traditur illi patena poſt orationem Dominicam, tùm quia oſculamur manum Epiſcopi communionem dantis, ex quo colliguntur hæc oſcula non repugnare, cum præſentia Sacramenti. Poſteriores, quia primò ſicuti nullam irreuerentiam Sacramento irrogamus, quod incenſum benedicamus, ſic neque ſi oſculemur manus, & res tradendas celebranti; Secundo quia ſicuti in præſentia Sacramenti exhibetur honor adorationis per ſuffitum incenſi Beatorum Reliquijs, ſic etiam exhiberi poſſe oſculum Sacerdoti; Tertio quia honor thuris exhibetur etiam Clericis, & Laicis, ergo honorem oſculi conuenienter tribui Sacrum facienti, ſed contra hos erat quod docet *Cerem.Epiſc.lib.1.cap.23.* ſcilicet tunc incenſum non benedici, cum tantummodò Sacramentum eſt incenſandum, ergo incenſum non benedicitur reſpectu incenſationis ad Chriſtum Dominum, ſed ad Altare, & ſic nullum apparet inconueniens, ſicuti neque apparet turpitudo in benedictionibus, quæ manu fiunt à Sacerdotibus ſuper oblatis etiam poſt conſecrationem; oſculum autem manus eſt honor peculiaris, qui principali tãtum tribuitur,

&

& proindè coram Sacramento dedecere videtur; contra erat ſecundo, quia Cultus exhibitus Sanctorum Reliquijs per incenſationem non eſt in eo gradu æſtimationis, in quo eſt oſculum manus, quod denotat in recipiente ſuperioritatem,& iuriſdictionem,& ſubiectionem in dante, vt patet in primo ingreſſu Epiſcopi ad ſuam Ciuitatem, & oppida in quo recipit, *ex Cerem. Epiſ. lib.* 1. *cap.* 2. *& Gauan. de Viſit.* §.8. *num.* 6. Canonicos ad oſculum manus, ideſt ad obedientiam cum oſculo, vt ait Gauantus, thurificatio autem non ſic, quia æqualis æqualem thurificat, v. g. Cardinalis Cardinalem, Canonicus Canonicum; contra erat tertio, quia quamuis ſit aliquis honor thurificatio reſpectu Laicorum ſit tamen ad effugandos Dæmones &c. prout latiùs ſuo loco, *par.* 1. *ſect.* 3. *cap.* 3. quod vtique non eſt honorem exhibere laicis. Addeb ant Miſſam coram Sanctiſſimo Sacramento eas regulas habere quas Miſſa Feriæ ſextæ in paraſceue, ſed falſum apparuit, in hac enim nec Celebrans, nec ad ſtantes incenſantur, & tamen incenſantur in illa, ex quo colligimus eas regulas eſſe ſeruandas, quæ Feria ſexta ſeruantur, quoad genuflexiones, volutiones, lotionemque manuum; quo verò ad oſcula nequaquam, quia habent peculiarem rationem, propter quam prohibeantur, & eſt in ſignum mæroris, quia ſicuti in Miſſis Defunctorum, ſic in Miſſa exequiarũ Chriſti, vt ita dicam, prohibentur huiuſmodi ſolemnitates feria ſexta, etiamſi adhùc non ſit Sacramentum in Altari.

Cum prioribus tamen ſentire libet, tùm ob rationes per eos allatas, cùm etiam quia obiectio non ſubſiſtit contra illos facta, videlicèt oſcula eſſe inconuenientia, quia oſculamur manum Epiſcopi miniſtrantis communionem, & Sacer-

dotis poſt orationem Dominicam ; non ſubſiſtit primò, quia oſculum manui Epiſcopali impreſſum Euchariſtiam porrigenti non tam figitur ob reuerentiam Epiſcopi, quàm ob reuerentiam Sacramenti, quod ipſa tenet, quæque eſt tamquàm thronus Dei, qui adorandus eſt iuxta illud: *Adorate ſcabellum pedum eius quoniam ſanctum eſt*: & ſicuti oſculum pacis quod imprimitur vultui Pontificis habet myſterium, & ob hoc non eſt inconueniens, ſic etiam hoc à myſterio vacare non eſt credendum ; Non ſubſiſtit ſecundò ; quia oſculum ad manum Sacerdotis accipientis patenam à Diacono datum ſignificat conſenſum Diaconi ad communicandum cum paſſione Chriſti, vt notat, *Durand. lib. 4. cap.* 50. *num.* 3. & ſic non eſt ad reuerentiam Sacerdotis; oſculum autem Diaconi ante Euangelium ſignificat, vt etiam Subdiaconi poſt Epiſtolam, actum amoris, vel conſenſum perficiendi opere id, quod docuere legēdo, vel etiam reuerentiam præſtitam Sacerdoti quatenùs eum ſignificat, qui finis eſt legis, & origo Euangelij, vt habet, *Durand. lib.* 4. *cap*, 17. *num.* 2. *&* 3. Tertiò quia in dubio religioſius erit fauere Sacramenti reuerentiæ, quæ vtique exigit parciùs homines honorari in Dei præſentia, quam ſoleant aliàs honore affici ; Quarto quia oſcula manuum &c. ad honorandum Sacerdotem pertinent, & ad illum terminantur, incenſum verò non tantùm ad honorandum ipſum Deum, ſed etiam ad adolendum Altare, & Miniſtros adhiberi debet, & ideo (vt obiectioni ſatisfaciam) incenſum benedici poteſt, manus &c. oſculari non debent.

Nèc valet, quod ſubdit, *Brailon. in Appendice cap.* 3. *num.* 5. nempe omitti oſcula cochlearis, & manus quando porrigitur incenſum in nauicula, non verò quando porrigitur thuri-

thuribulum Celebranti pro incenſando ſolo Sacramento; Ratio eſt quia ſicuti prohibentur oſcula manus quando miniſtratur thus, & cochlearis, cur non etiam manus quando datur Sacerdoti thuribulum,& catenularum ipſius thuribuli. Dicit ipſe, ideò omitti in caſu dicto, vt moneatur Celebrans ſibi inceſum non eſſe benedicendum; At non ſufficiet non petere benedictionem tacendo, *benedicite Pater Reuerende*? cui Celebrans addit benedictionem, ex Rubrica, & Ceremoniali? Inſtat: in Ceremoniale non prohiberi oſcula pro incenſatione Sacramenti in Veſperis, *cap.23.lib.1.* ex quo colligit ideò omitti oſcula quia omittitur benedictio quando non incenſatur Altare, & figi oſcula ſi benedicatur incenſum; Sèd neque illatio legitima eſt, vt modo vidimus, nec dici poteſt non prohiberi oſculum manus &c. in Veſperis per hoc quod fiat mentio tantum de benedictione, quia certum eſt, exceptionem in caſu tantùm excepto vitiare regulam, *text.in l.1 ff. de reg. iur. l.his l.quod verò l.ius ſingulare ff. de legibus*, & firmare regulam in non excepto *text.in l.nam quod liquidè §.ſi primo reſp.ff.de poen. leg.* & conſequenter certum eſt, idem dicendum eſſe in hoc, ac in alio caſu excepta benedictione.

Sed vt reuertamur vnde digreſſi ſumus, thurificato Celebrante aſſiſtunt Miniſtri ad lectionem Introitus, vt habetur in Rubrica, & cum Sacerdote dicunt *Kyrie* alternatim in eodem cornu Epiſtolæ. Reliqua habentur in Rubricis Miſſalis.

Regularitèr Miniſtri duabus vicibus exceptis, quibus coram Celebrante genuflectunt, idest Subdiaconus lecta Epiſtola, Diaconus ad benedictionem Euangelij, & ambo in fine Miſſæ ad benedictionem, ſemper Celebranti inclinantur. Totinius tamen contrà ſententiam communem

docet, etiam Subdiaconum, & Acolythos genuflectere vnà cum Diacono coram Sacerdote ad benedictionem Euangelij, *Totin.lib.1. cap.5. num.10.* & citat pro ſe Ceremoniale Epiſcoporum; quod loqui tantùm Epiſcopo celebrante communiter alij intelligunt; & hoc mihi eſt magis probabile, quia Rubrica Miſſalis, quæ eſt regula proxima pro Sacerdotibus non Prælatis in hoc non eſt defectuoſa; nec eget tamquam pro ſui complemento normam Ceremonialis, ad quod tantummodò recurrendum eſt in dicto caſu.

Locus hic eſt quærendi, an Celebrans, qui ſedet dùm cantatur tractus, vel graduale debeat contra vſum aliquorum ſecedere à ſede, vt imponat incenſum ad Altare, & benedicat Diaconum pro cantando Euangelio. **Reſpondeo ergo** omninò à ſede recedendum Celebranti, primò quia, & ſtando, & aperto capite imponitur incenſum in thuribulum, *Gauant. par.2.tit.2.num.5.lit.Z.* Secundò quia celebrans in tantùm ſedet cum Miniſtris in quantum nec legere, nec aliquid aliud agere debet, ergo recedere debet à ſede, vt benedicat incenſum, & Diaconum. Tertiò quia incongruum videtur, quod Sacerdos benedicat Diaconum cantaturum Euangelium in Miſſa capite cooperto, & ſedens, qui ſtans capite aperto in choro iubetur benedicere legenti lectiones, *Cerem.Epiſ.lib.2.cap.5.* Quartò quia officium faciens in Veſperis ſolemnibus non imponit thus in thuribulum ad ſedem ſuam in Choro, ſed ad Altare, ergo dicendum eſt idem pro Euangelio, *Cerem.Epiſc.ibid. cap.3.* quod omne, quamuis abſque his paritatibus, docet *Bauld.par.4. cap.14. num.6.* & in Cathedrali noſtra non ſeruatur.

Quomodò ſtare debeant ad Hymnum, ad Orationes, & Epiſtolam.

Digitized by Google

ſtolam ex Rubrica habentur, ideòque ea repetere fruſtraneum eſt; illud tamen addo, quod quando Miniſtri ſunt poſt Sacerdotem ſtantem in medio Altaris, & ad eius latera accedunt, vel recedere volunt ſemper reuerentiam faciunt Altari ſtantes in eo loco, à quo diſcedunt, non tamen aliam faciunt in eo loco, ad quem vadunt prout, fuſius *par. 2. ſect. 3.* Reuerentiæ verò à Miniſtris fiunt per genuflexionem Altari, etiamſi in eo non aſſeruetur Sacramentum, *Rub. gen. par. 2. tit. 10. & num. 8. & par. 2. tit. 4. num. 7. & tit. 13. num. 4.* dubitant aliqui, an genuflectere debeant Miniſtri Altaris etiamſi ſint Sacerdotes; ſed affirmatiuè abſque vlla hæſitatione eſt reſpondendum, quia nomine Diaconi, & Subdiaconi veniunt non initiati tantùm diaconatu, vel ſubdiaconatu, ſed Miniſtrantes in ordine Diaconali, quod patet primò ex vſu communi Eccleſiarum, in quarum ſolemnibus promiſcuè vtuntur, tùm initiatis tantùm ordinibus Diaconij, & Subdiaconij, tùm Sacerdotij ad miniſterium Celebrantis; Secundò quià celebrante Epiſcopo duo Diaconi aſſiſtētes, Diaconus Euangelij, & Subdiaconus ſunt Canonici, & conſequenter Sacerdotes, cum intrà annum ab accepta poſſeſſione teneantur ad Sacerdotium promoueri, quamuis ratione præbendæ ſint Diaconi, & Subdiaconi, ergò nomine Diaconi &c. intelliguntur illi, qui inſeruiunt in illo miniſterio. Tertio quia in *Cerem. Epiſ. lib. 2. cap. 30.* iubentur Diaconus, & Subdiaconus communicare niſi ſint Sacerdotes, qui velint eo die celebrare, ergo nomine Diaconi &c. non accipiendi ſunt Diaconi quoad ordinem, ſed quoad miniſterium.

Cantato Euangelio, & lecto ſimbolo, ſi dicendum ſit, prout in Rubrica, vadunt cum Celebrante ad ſedendum, vt fit etiam ad hymnum, & ſi tempus patiatur dùm cantatur

Kyrie, & ſequentia, Tractus, ac Graduale; Eundo, & redeundo eundem ordinem ſeruant, quò venerunt à Sacriſtia ad Altare, ideſt Diaconus poſt Subdiaconum manibus iunctis, & ſemper capite aperto procedunt, prior ſedet Celebrans, cui Diaconus birretum porrigit, & cui ambo inclinantur priuſquam ſedeant, poſtremus ſurgit, vt ipſa ratio dictat, & docet in ſimili *Bauld cum alijs*. Dùm ſedent in ſimbolo non genuflectunt Miniſtri, vt prætendunt ſeruari à Beneficiatis Mantuanæ Cathedralis dùm miniſtrant Miſſis ſolemnibus Canonicalibus DD. Canonici ad verſū, *& Incarnatus eſt*, ſed capite aperto profundè inclinantur Altari, vt facit Sacerdos, quia non minùs quàm Sacerdos in Altari reuerentiam cum genuflexione fecerunt, *Ger. Seru. Mariæ cap. de M. ſ. ſol. G. in. par.* 1. *tit.* 17. *num.* 3. *lit. O.* ſi verò ſtarent ad Altare genuflectunt in ſuperiori gradu per totum verſum cum Celebrante, quem etiam medium tenent ſtantes ad Altare vſque ad finem ſymboli, quod etiam de hymno dicendum eſt, videlicèt quod ſtant pares ad Altare.

Solus Subdiaconus dicit *Suſcipiat*, quia Diaconus non adeſt; in Miſſis tamen defunctorum ambo reſpondent ſicuti ad alia; Subdiaconus pro hymno *Sanctus* aſcendit ad Altare, & ſi habeat patenam, vt docet Rubrica Miſſalis (quod alicubi, & præcipuè in Baſilicis, & alijs Eccleſijs Vrbis id egomet vidi non ſeruari) quam conſuetudinem Rubricæ contrariam ſeruari poſſe etiam neglecta Rubrica ſenſit, *Sac. rit. Congregat. die* 13. *Ianuarij* 1674. non tamen ſe ſignat, nec pectus percutit ad *Nobis quoque peccatoribus* cum dexteram impeditam habeat. Diaconus aſſiſtens ad ſiniſtram Celebrantis non tenet manus iunctas, ſed folia Miſſalis vertit, pectus percutit, & ſe ſignat cum Celebrante,

ſicuti

Digitized by Google

ſicuti de Aſſiſtente dicetur. Ad *Agnus Dei* pectus ſibi percutiunt medium habentes Sacerdotem, prout in Rubrica. Ambo genuflectunt ad benedictionem in fine Miſſæ & ambo ſe ſignant. Ad Euangelium in fine ſtant in latere eodem, prout de primo ſuo loco dicetur, *Par. 2. ſect 3. cap. 3.* & Subdiaconus tabellam tenet Euangelij Diacono inter vtrumque ſtante, vt aliqui dicunt, & valde conſonum eſt, cum Miniſtri niſi impediantur aſſiſtant ſemper Sacerdoti ſubmiſſa voce legenti, dicto autem *Deo gratias* reuertuntur ad medium Altaris, vbi facta reuerentia deſcendunt in planum, videlicèt Subdiaconus, & Sacerdos in cornu Euangelij vertentes ſe per latus ſuum dexterum, & Diaconus per partem Epiſtolæ vertens ſe per latus ſuum ſiniſtrum. Cum in planum peruenerint conuertuntur iterum ad Altare, faciuntque iterum vnà cum cæteris Miniſtris reuerentiam, & tecto capite ordine, quo venerant ad Sacriſtiam reuertuntur. Facta reuerentia Cruci exiſtenti in Sacriſtia profundè capite nudato, demum inclinantur Sacerdoti, quem depoſitis priùs manipulis expoliant, deindè exuunt etiam ſe ipſos ope Acolythorum.

Si aquæ benedictæ aſperſio facienda ſit, vel alia ſolemnis benedictio, puta cinerum, vel candelarum, quando videlicèt Celebrans eſt cum pluuiali, procedunt hinc indè abſque manipulis cum Sacerdos eo careat, *Cerem. l. b. 2. cap. 17.* à dextris Diaconus, Subdiaconus à ſiniſtris; tùm à Sacriſtia ad Altare, cùm ab Altare ad Chorum fimbrias anteriores pluuialis Sacerdoti eleuantes *Cerem. Epiſ. lib. 2. c. 30. & 31.* ad orationem librum ipſi ſuſtinebunt, niſi poſitus ſit ſuper legile, & poſtremo ſpoliant Sacerdotem pluuiale, & porrigunt manipulum, ac induunt planeta, & tandem manipulos ſuos accipiunt, & inchoatur Miſſa.

CAPVT.

CAPVT III.

De Cappellano cum pluuiali aſſiſtente.

PRÆTER duos Miniſtros ſacris indutos datur etiam Cappellanus aſſiſtens cum pluuiali Sacerdos, præcipuè Canonicis Cathedralium vbi immemorabilis ſit conſuetudo, vt declarauit *Sacra Rituum Congregatio*, quod nobis conſtat ex tranſcripto decreti, quod in Archiuio Cathedralis noſtræ aſſeruatur, quod etiam referunt Doctores, datur etiam alijs non Prælatis, vt Prioribus Collegiatarũ, & Archipræsbiteris, *Bauld.par.*1*.cap.*3. *Piſc. lib.*1*. ſect.*7*. cap.*10. *Gauan.in Man.v. Miſſa Conuentualis*.

Huius munus eſt Miſſam præuidere, ſignacula ſuis locis diſponere, vt Celebrantem tempeſtiuè monere poſſit, quæ, & vbi legenda ſint, cum eius præcipua cura ſit circa librum, de quo ſeruit Sacerdoti, in quo omnes conueniunt, in cæteris autem ſingulis actionibus omnes inter ſe diſcordant. Ego hic collecta ponam, quæ à multis præcepta traduntur, vt diuerſitatis ratione cognita recta regula, & certæ directiones tradantur, quæ cum omnibus ſententijs cohæreant quantum prudenter fieri poſſit.

Docet Bauldrius, Aſſiſtentem rarò vti pluuiali, niſi ſit Canonicus, aut in aliqua dignitate conſtitutus, cæteri Doctores concedunt illi pluuiale abſque alia diſtinctione, quando autem eo vtitur, nolũt illud accipere priùſquã Celebrans omninò indutus fuerit, & omnes ſic ſentiunt, quod etiam colligitur ex *Cerem.lib.*1*.cap.*7.

In acceſſu ad Altare alij volunt ſequi Celebrantem, alij præcedere

cedere incedendo à dextris Diaconi, alij etiam ſatiùs eſſe ſi Celebrantem ad Altare expectet, eumque ibi excipiat. Confeſſionem facere cum Sacerdote;ad eius nempè dexteram, & aſcendere ad Altare, & librum amouere dùm fit incenſatio, quà peracta librum deponere in eodem cornu, & ſtando á ſiniſtris Diaconi aſſiſtere Sacerdoti legenti Introitum, quod omnes poſtremum ſine controuerſia docent.

Quando Celebrans vadit ad medium Altaris dicturus *Gloria* Aſſiſtentem ſtare in cornu Epiſtolæ omnes concordant, ſicuti etiam de ſymbolo, quæ tamen dici etiam ab ipſo Aſſiſtente addit *Bauld.* quando ſedendum eſt, um ſedere à dextris Diaconi alij, alij verò à ſiniſtris Subdiaconi tradunt.

Lecta, & cantata Epiſtola volunt aliqui librum excipi per Aſſiſtentem, & deferri ad cornu Euangelij, alij ferri per Subdiaconum, Aſſiſtentem verò illum præcedere, & miniſtrare Celebranti dùm legit Euangelium.

In incenſatione librum amouere de Altare dùm incenſatur cornu Euangelij; incenſari verò à Diacono poſt Subdiaconum, per aliòs ante Subdiaconum, licèt alij contendant eſſe incenſandum ante chorum, quia dignior eſt de Clero.

Ad hymnum *Sanctus* locum cedere Miniſtris, ſicuti etiam ad *Agnus Dei*. Pacem alij tradunt illum accipere à Subdiacono poſt datam pacem in Choro, alij à Celebrante, & per illum cæteris diſtribui. Pro vltimo Euangelio accedere ad cornu dexterum Altaris,ibique tabellam ſuſtinere,& reponere, quo facto accedente Celebrante ad medium Altaris, ipſum quoque pergere á dextris eius, & facere reuerentiam Altari, & vertendo ſe per latus ſuum ſiniſtrum.

deſcen-

Digitized by Google

deſcendere in planum, & accipere birrettum, ac procedere, vt veneraт; alij lecto Euangelio nolunt illum cum Celebrante accedere ad medium Altaris, ſed poſt Celebrantem ire; alij autem tradunt, remanere apud Altare.

Aſſiſtentem reuerentias facere cum genuflexione, vt Diaconus, & Subdiaconus, quod intelligendum eſt, niſi eſſent Canonici, quia tantummodò inclinarentur; quando aſſiſtit libro, non tenere manus iunctas, ſed folia Miſſalis vertere, ſignare ſe cum Celebrante, genuflectere cum eo, & pectus percutere, etiam per eos, qui non docent illum dicere cum Sacerdote hymnum &c.

Hæc de Aſſiſtente tradunt Doctores, *Craſſus citandus; Piſc. lib.1.ſect.7.cap.10. Bauld.par.1. cap.3. Cerem. Frat. Min. par.2.cap.11. Corſet.tract.1.par.1.cap.1. Rub.lib.2. cap.12.* modò ſingulæ partes expendendæ ſunt, ſed priùs indagandum eſt, vtrum Aſſiſtens ſit dignior Diacono, & Subdiacono, vel è contrá Miniſtri digniores ſint Aſſiſtente. Ratio dubitandi eſt, quia in aliquibus præfertur, in alijs poſtponitur, ab aliquibus pluris æſtimatur, minoris ab alijs. Pro reſolutione dubij noto, quod vel Aſſiſtens eſt cum ſola cotta, vel cum pluuiali; Rurſus ſi cum pluuiali, vel eſt Canonicus, & Miniſtri ſunt Canonici, vel eſt Beneficiatus, & Miniſtri ſunt Canonici, vel Beneficiati.

Dico ergo primò, quod Presbyter, qui cum ſola cotta aſſiſtit ad librum, poſtponendus eſt Miniſtris, & debet illis præeminentiam cedere ſtando, ſedendo, procedendo, & in quacumque alia actione. Exemplum habes in Cappella Papali, in qua Papa abſente in Feſto Corporis Chriſti Cardinalis celebraturus proceſsionem faciens habet à ſiniſtris Diaconum, à dextris verò Aſſiſtentem cùm pluuiali; die verò Palmarum Aſſiſtens à ſiniſtris incedit ſine pluuiali,

uiali, & Diaconus à dextris; & in die Purificationis iterũ à dextris habet Aſſiſtentem cum pluuiali *Marc.lib.2.ſect.1. cap.29. & cap.41. & ſect.2.cap.16.* ergo Aſſiſtens cum pluuiali præfertur Diacono, & ſine pluuiali Miniſtranti præfertur Diaconus. Idem habes in Rituali *in exequuijs defunctorum*, quod ſcilicet Aſſiſtens cum ſola cotta miniſtret Celebranti, ſed à ſiniſtris, cum procedunt ad abſolutionem, & hanc concluſionem docet in terminis *Bauldrius citatus*, quam tamen non probat ſed ex Eccleſiarum conſuetudine ſupponit. Poteſt inſuper ratione probari, quia videlicèt Miniſtri parati non paratis præferri debent, quod colligitur ex vſu Eccleſiæ in aſperſione aquæ in die Dominico, in impoſitione cinerum, in benedictione candelarum, & palmarum, nec non in oſculo Crucis, in quibus omnibus Miniſtri pręferuntur cęteris. Túm quia Canonicus celebrans rãtione paramentorum, & officij debet habere primam ſedem, & locum etiam ſupra Dignitates vt ſtatuit *Sac.Rit.Congreg.24. Octobris 1609. & 26. Iunij 1610.* & Cappellani parati ante non paratos thurificandi ſunt; ſicuti etiam Canonici parati præcedunt Vicario Generali, non parati non præcedunt, vt *eadem Sac. Congreg.cenſuit*, ergo Diaconus, & Subdiaconus parati præferri debent Aſſiſtenti non parato.

Aſſiſtens ergo ſinè pluuiali, vel Celebrantem ad Altare expectabit, vel eum ſequetur, aut ipſos præcedet Miniſtros; confeſſionem faciet genuflexus poſt Diaconum, vel in cornu Epiſtolæ, ſtat ad Introitum non ad candelabra vt vult Bauldrius ſed ad librum, quia de eo ſeruit, Diaconus autem, & Subdiaconus paulo poſt illum, vt moris eſt abſente Præsbitero aſſiſtente, non accedit ad medium pro ſymbolo, & *Gloria*, ſicut ad *Sanctus*, *ad Agnus Dei* cedit

locum

locum Subdiacono; ipſe non Subdiaconus debet ferre librum, eumque pro incenſatione amouere; Ad Euangelium dùm legitur à Celebrante ſtat ad librum paulò retro habens Diaconum, & Subdiaconum; Ad Euangelium decantatum ſtabit in latere Euangelij extrà gradus quaſi collateralis candelabris, ſed meliùs poſt ipſum Celebranté, vt ipſum Subdiaconum adiuuet ad porrigendum librum oſculandum Celebranti, quo facto accedit ad medium Altaris, & præmonſtrat *Credo* ſi dicendum ſit, quo intonato recedit ad cornu Euangelij, vel ſi non ſit dicendum docet Celebrantem, quæ ſint agenda. Incenſatur à Diacono poſt Subdiaconum, & pacem accipit à Subdiacono poſt datam choro, nec Aſſiſtens aliud agit qnam libro aſſiſtere.

Dictum eſt de Aſſiſtente cum ſola cotta, modo dicere opus eſt de eo cum pluuiali, qui rurſus, vel eſt Cappellanus, & Miniſtri ſunt Canonici, vel eſt Canonicus, & Miniſtri ſunt Canonici, vel eſt Cappellanus, & Miniſtri ſunt Cappellani.

Dico ſecundò quod Aſſiſtens Cappellanus concurrens cum Miniſtris Canonicis omnem præeminentiam debet cedere Canonicis Miniſtris; ſic docet, *Craſſus lib.2. cap.*14. & ratio eſt manifeſta, quia non eſt conſentaneum inferiorem in concurſu cum ſuperiori præponi, ſed debet poſtponi, & deferre illis omnem præeminentiam.

Huiuſmodi ergo Aſſiſtens, vel expectabit ad Altare, vel omnes præcedet, ideſt Miniſtros, vel vt docet *Fiſcara, & Rubeus* Sacerdotem ſequetur, ſed ego addo, non incedens omninó poſt Celebrantem, quod in proceſſione à Sacriſtia ad Altare ſaperet præcedentiam, ſed paulo poſt illum à latere ſiniſtro tecto capite, & manibus iunctis; in eodem latere

ſtans

ſtás poſt Subdiaconũ facit confeſsionem, ideſt reſpondet, cætera agit, prout Aſſiſtens cum cotta, excepto quod debet incenſari ab Acolytho, non à Diacono, qui non tenetur non Canonicos thurificare, vt ſenſit *Sac. Congreg. Rit. die* 10. *Iunij* 1600.

Dico tertiò quod Aſſiſtens Cappellanus cõminiſtros habens Cappellanos, vel Canonicus comminiſtros Canonicos debet omnem præeminentiam habere ſupra illos. Ratio eſt, quià ſicuti quando eſt in ordine inferiori reſpectu Miniſtrorum debet eis cedere, ſic à contrario quando eſt in ordine æquali, & in gradu ſuperiori, ratione antiquitatis debet obtinere primos honores apud Celebrantem. Dixi æqualis, in ordine ſcilicèt Canonicali, quia eiuſdem eſt dignitatis, ideſt Canonicus cum Canonicis; dixi in gradu ſuperiori reſpectu antiquitatis, ideſt prior ſiuè antiquior in poſſeſſione beneficij, ſiue ſi deſeruirent alicui Canonico Presbyteri nullum habentes beneficium, antiquior in ordine Sacerdotali. Quod ratione firmatum eſt, auctoritate Ceremonialis roborari poteſt, ex quo colligitur Presbytero aſſiſtenti Epiſcopo Diaconum, & Subdiaconũ, & Diaconos aſſiſtentes cedere *Cerem. Ep. lib.* 1. *cap.* 7. *lib.* 2. *cap.* 8. & per totum, & non tantum ſi ſit prima Dignitas, verùm etiam ſi eſſet poſtremus Canonicus, qui tunc debet deſeruire pro Presbytero aſſiſtente, quando ſermonem habiturus eſt in Miſſa Pontificali, *Ceremon. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 7. 22. & hoc de iure

Aſſiſtens huiuſmodi conuenientius procedit à Sacriſtia ad Altare cum Celebrante, & Miniſtris à dextris Diaconi, vndè vſus eorum approbandus non venit qui Aſſiſtentem collocant inter Diaconum, & Celebrantem, neque eorum conſuetudo qui Aſſiſtentem ponunt à ſiniſtris Celebrantis,

&

& Subdiaconum á ſiniſtris Diaconi. Contra iſtos, eſt Ceremoniale, qui Aſſiſtentem ponit à dextris Diaconi, & cuius regula ſeruanda eſt, vbi deficit Rubrica Miſſalis; eſt etiam ratio, quia ordo, qui ſeruatur in omnibus proceſſionibus eſt, quod inferiores præcedant, & præeant ijs, quibus ſunt inferiores, ij autem, qui æquales reputantur, pares procedant cum ea differentia, vt qui ex ijs æqualibus, vel in dignitate, vel in miniſterio fuerit principalior, vel moraliter nobilior dexteram habeat, ſiniſtra alteri relicta, vt eſt extra controuerſiam; Aſſiſtens autem principalior eſt, & nobilior ex vna, ex alià parte comminiſter eſt ipſius Diaconi reſpectu Sacerdotis, quià vterque ſeruitio Sacerdotis deputatur abſque ſubordinatione alterius ad alterum, ergo ſiniſtram Diaconus, & dexteram Aſſiſtens debet habere, non autem Diaconus præcedere. Ideò autem nec Sacerdotem cum Presbytero Aſſiſtente, nec Diaconum cum Subdiacono decet incedere, quia Aſſiſtens Sacerdotis celebrantis, & Subdiaconus miniſter eſt Diaconi, & Miniſter in proceſſione præcedit eum, cuius eſt Miniſter, niſi ratio aliquando aliud ſuadeat v.g. in proceſſione palmarum, & candelarum in quibus Diaconus vadit paulo poſt Celebrantem à latere ſiniſtro, vt ſuo loco dictum eſt.

A dextris Celebrantis facit confeſſionem, quò caſu Diaconus ſtat à ſiniſtris, & poſt eum Subdiaconus, vt docet Ceremoniale; iuuat Celebrantem aſcendentem ad Altare eleuando fimbriam albæ anteriorem, & facta genuflexione, vel inclinatione ſi ſit Canonicus illicò deſcendit in planũ ad latus Epiſtolæ locum cedens Diacono, qui miniſtrat Celebranti nauiculam pro incenſatione auferens debito tempore librum ab Altare, quem thurificato ſiniſtro cornu

reponit,

reponit, eiuſque vertens folia opportuno tempore aſſiſtit ſe ſignans cum Celebrante, & caput inclinans, & reſpondens ad *Kyrie* in eodem cornu; Miniſtri autem non vnus poſt alium vt fit in præfatione, ſed Diaconus ſtat poſt eum à ſiniſtris eius, & Subdiaconus à dexteris, vel ſtant retrò poſt Aſſiſtentem. Fateor quod de Subdiacono nullus mentionem facit, non eſt tamen excludendus ab audiendo Introitu, quia ſic ſeruantur Rubricæ Miſſalis quantum fieri poteſt, ſtant enim omnes Miniſtri ad audiendum Introitum. Accedit deinde cum Celebrante ad medium Altaris monſtrans illi hymnum intonandum, nec inde recedit locum cedens Diacono, vt ſcribunt Doctores, ſed illum dicit cum Celebrante, ad cuius ſiniſtram aſcendunt Diaconus, & Subdiaconus; ratio eſt quia Aſſiſtens nec excluditur à reſponſione, nec cedere debet locum Miniſtris inferioribus; vtrumque patet ex Cerem. Epiſc. *lib.* 1. *cap.* 7. vbi habemus Aſſiſtentem dicere *kyrie*, *Gloria*, & *Credo*, cum duobus Diaconis aſſiſtentibus, & *Sanctus*, ac *Agnus Dei*, imò ex eodem Cerem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 8. excluditur Subdiaconus ab hymno *Sanctus*, & *Agnus Dei*, eaque ab Epiſcopo, Aſſiſtente, & Diacono tantùm dici. Ad orationes aſſiſtit ad librum, item ad Epiſtolam, ad quam etiam Diaconum habet à ſiniſtris, qua finita retrahit ſe verſus poſterius cornu Altaris locum cedens Subdiacono oſculatum venienti manum Celebrantis, & vadit ad cornu Euangelij poſt Subdiaconum, qui librum defert ad dictum cornu, & ibi aſſiſtit Celebranti, demonſtrans ei locum Euangelij, & reſpondens, & ſignans ſe cum illo, Subdiacono interim in plano eiuſdem cornu ſtante paulò poſt Celebrantem, & Diacono inter Subdiaconum, & Celebrantem.

Lecto Euangelio retrahit ſe extra gradus Altaris in eodem

E latere

latere quouſque cantatum fuerit Euangelium à Diacono; ad quod ſe ſignat, genuflectit verſus Altare, & caput inclinat prout opus fuerit, conuerſus autem ad Diaconum ſtat quaſi collateralis candelabris, vel in cornu Epiſtolæ à ſiniſtris Sacerdotis paulò poſt eum.

Oſculato textu, & thurificatione facta aſcendit ad Altare præmonſtrans *Credo*, quod cum Celebrante, & duobus Miniſtris proſequitur à ſiniſtris Celebrantis. Accedens ad ſedendum per breuiorem viam (vt aliqui volunt) vadit, vel ante, vel poſt Celebrantem in hoc enim diuerſimodè pro vt commoditas requirit, ſe gerit; ſedet medius inter Miniſtros ſeparatim à Celebrante, vt docet *Craſ. lib.* 1. *cap.* 7. vel in ſcamno apud Altare ſolus, vel à dextris Celebrantis Diacono, cum Subdiacono à ſiniſtris, ſic enim dignior locus ei tribuitur; In acceſſu ad Altare vadit à dextris Diaconi poſt Subdiaconum antè Sacerdotem capite aperto, non ſequitur Celebrantem, quia eiuſdem ordinis eſt acceſſus à Sacriſtia ad Altare cum acceſſu à ſede ad Altare. Verior tamen eſt ſententia docens Aſſiſtentem ſtare prope Altare, & ibidem ſedere ſuper nudo ſcamno ſedente interim Celebrante inter Diaconum, & Subdiaconum, vt colligitur ex *Craſ. lib.* 1. *cap.* 7. & ex *Ceremon. lib.* 1. *cap.* 7. & *lib.* 2. *cap.* 8. Quamuis in eodem ſcamno propius Altare cum alijs ſedere poteſt, vt habet *Cerem. Cleric. Regular. S. Pauli*. Notandum tamen, quod Celebrante cum Diacono, & Subdiacono redeuntibus ad Altare per viam longiorem ipſe redit per breuiorem ſi ſedeat apud Altare ſolus.

Dicit cum Sacerdote, & Miniſtris *Sanctus*, & *Agnus Dei*, in incenſatione tollit librum ab Altare quando fuerit tempus. Doctores alij volunt, eum thurificari à Diacono antè

Sub-

Subdiaconum, quod verum eſt; alij poſt Subdiaconum, *Corſet.tract.1.par.1.cap.5. num.9.* vult incenſari ante chorum, quia dignior eſt in choro exiſtentibus, ſed hæc ratio non valet, quia numquid Epiſcopo celebrante Presbyter aſſiſtens dignior non eſt cæteris vt plurimum? cum eſſe debeat prima Dignitas, vel quia etiamſi ſit ſecunda, quod prima fungatur officio Diaconi Aſſiſtentis, quia Archidiaconatum habeat, cui annexum ſit ſeruire in Miſſa Epiſcopali in officio Diaconatus teſte *Aldan.in compend.can. reſ. lib.2. tit.22.* tamen reputatur dignior, & ante dictum Archidiaconum thurificandus eſt.

Ad eleuationem genuflectit in cornu Euangelij in ſupremo gradu, & redit ad librum genuflectens cum Celebrante poſt Calicis eleuationem, & ſe ſignans cum eo; Dicto *Agnus Dei* accedit ad latus dexterum Sacerdotis pacem accepturus, Diacono interim ad librum aſſiſtente, & Subdiacono, ſi opus fuerit, Calicem diſcooperiente, & à dexteris miniſtrante congruo tempore; Quomodo autem pax ſit danda ſectione ſequenti dicetur cap. 2.

Si facienda ſit communio ipſe genuflectit in latere Euangelij in infimo gradu, itaut nulli impedimento ſit, cætera de more; librum reportat, vel remittit ad cornu Epiſtolæ cum tempus fuerit, & peractis orationibus reuertitur ad cornu Euangelij, vbi genuflectit ad benedictionem, miniſtrat deinde tabellam, vel librum à Subdiacono delatum, Miniſtris interim manibus iunctis ſtantibus à lateribus eius paulò poſt eum Diacono à dextris, & Subdiacono à ſiniſtris. Reuertitur demùm ad medium Altaris, vt ſupra dictum eſt, & facta reuerentia Cruci Altaris deſcendit cum alijs, & accepto bireto reuertitur ad Sacriſtiam ordine, quo venerat.

Digitized by Google

In Miſſis Defunctorum, vel non accedit ad tumulum, vt volunt aliqui, vel accedit ſine pluuiali, vt ſupra dictum eſt, & cedit dexteram Diacono, qui etiam miniſtrat Celebranti. In proceſſione Sanctiſſimi Sacramenti quinta Feria hebdomadæ maioris Subdiaconum alterum, vt deferat Crucem parari, & Aſſiſtentem recedere, quam Aſſiſtentem paratum pluuiali à dexteris Sacerdotis pluuialis fimbrias eleuare decet, quod tamen practicari poteſt ſicuti in ſimili diximus fieri in Cappella Papæ.

Ex dictis ſi Presbyter Aſſiſtens ſit Manſionarius, vel Beneficiatus, & Miniſtri ſint eiuſdem ordinis, collige idem à fortiori eſſe dicendum ſi Aſſiſtens eſſet Canonicus, & Miniſtri Beneficiati, quod non ſolet fieri; Aſſertum per ſe patet, nec indiget rationibus, vel auctoritatibus quibus firmetur.

CAPVT IV.

De Thuriferario.

Thuriferarius ille Acolythus eſt, cuius cura præcipuè conſiſtit in adminiſtrando igne, & thure pro incenſatione, à quo etiam nomen accepit. Vnicus eſt regulariter, & præcipuè in Miſſis, in quibus vſus duorum thuribulorum neque ex Romanæ Eccleſiæ conſuetudine colligimus, nec tolerari voluit Sacra Congregatio *in vna Alexadrina* 15. *Martij* 1608. Duo ſunt in proceſſionibus, quæ intra Miſſam fiunt, puta Feria ſexta in paraſceue, vel cum Sacramento extra Miſſam.

Thuriferarius inter cæteros Acolythos robuſtior eſt deligendus.

gendus, qui pondus ſuſtinere decorè valeat, nam thuribulum, & nauiculam eleuatis æqualiter manibus, & brachijs æqualiter deductis ferre debet, & hæc remotiùs à ſe quàm poteſt detineat. Thuribulum quando, & acerram, quam nauiculam communiter dicunt, eo quod formam præſeferat paruæ nauis, vt incenſum imponatur, defert, illud ſiniſtra, hanc dextera ſuſtineat, quando vtrumque defert procedendo, vel à Sacriſtia ad Altare, vel ab Altari v. g. ad tumulum, tùnc thuribulum in manu dextera, nauiculam teneat in ſiniſtra; priorem modum habes in Ceremoniali, poſteriorem apud Marcellum *Cerem. libr. 1. cap. 11. Marcel. lib. 3. ſect. 5. cap. 5.* quomodocumque autem ea portet hæc ſeruare debet. Priùs reflectat ſuper vtrumque brachium manicas ſuperpellicei, dumodo itá latum, & longum ſit, vt periculum non abſit, aut illud comburendi, aut ab eo impediendi in agitatione ignis; deinde pollicem infigit anulo maiori, & alium digitum, medium ſcilicet, vel anularem, aut minimum anulo, qui catenulæ operculo coniungitur, illud per duos, vel quatuor digitos apertum tenens, vt fumus ſpirare poſſit; nauiculam per pedem alia manu tenet clauſam dum non eſt incenſum miniſtraturus, aliàs apertam, ſemper autem cornua dextrum, & ſiniſtrum vtrumque humerum portantis reſpiciant, quod ſi fuerit aperta à parte exteriori erit cornu apertum.

Tradens Diacono nauiculam id agit ſinè oſculis, thuribulum autem apertum manu dextera eleuat, vel ſupponendo illam thuribulo, vel catenulis ſupra opertorium apprehenſis, ſtans interim humiliatus, vel quaſi poplite flexo non omninò genuflexus, quod fit tantùm in præſentia Epiſcopi, de inde traditurus thuribulum Diacono, nauiculam

dextera accipit, eamque ſuper Altare reponit, vt bene docet Totinius, traditque thuribulum clauſum ponens catenularum ſummitatem in dextera, & catenulas propè operculum in ſiniſtra; Ad Euangelium autem quando debet thurificare librum, ſummitatem catenularum ponit in ſiniſtra, thuribulum in dextera.

In Perſonarum incenſatione Acolythus ſiniſtra extremitatem catenularum teneat, ea etiam pectori admota, ſi catenæ nimis longæ ſint, dextera catenas prope vaſculum, quantum poterit, teneat, eoſque thurificat, quos debet; obſeruet autem, vt ductus thuribuli ſimplices formet, non ferè duplicatos, vt notat Totinius, ſunt enim nonnulli, qui bis ducunt thuribulum altiùs ſecunda vice, quàm prima illud impellentes contrà Perſonam thurificandam; alij primo eleuantes thuribulum non aduerſus perſonam, ſed à latere dextero, tùm reducto vaſculo ſub brachio illud impellunt contrà Perſonam thurificandam.

Pro Miſſa Thuriferarius parat prunas, & incenſum dum Celebrans ſacris induitur, porrigitque Diacono nauiculam, & miniſtrat ignem, vt diximus, tùm accipit ſiniſtra nauiculam clauſam, & dextera thuribulum, quod leniter mouet, & omnes in acceſſu ad Altare præcedit. Vbi duo Acolythi inſeruiunt pro nauicula, & thuribulo pares procedent cæteris præeuntes, alter nauiculam ſiniſtra, alter thuribulum dextera portantes, hic ad dexteram ille ad ſiniſtram, aduertat tamen ſeruiens de nauicula, quod daturus illam Diacono non læua, ſed dextera manu id agere debet.

Cum peruenerint ante Altare retrocedunt locum cedendo Celebranti, & alijs Miniſtris ad Altare aduentantibus, tùm Acolythus nauiculæ ſtans inter Subdiaconum, & Ceroferarium,

rarium, & Thuriferarius inter Diaconum, & alium Ceroferarium genufleсtunt Altari, ac demùm abeuntibus Ceroferarijs ipſi retrocedunt genufleсtentes ad confeſſionem, qua facta, & Celebrante aſcendente ad Altare, ipſi, vel ipſe, ſi vnus eſt, pariter aſcendit, & ignem miniſtrat cum incenſo, ac demùm dum fit Altaris incenſatio expectat in plano in parte Epiſtolæ, & incenſato Celebrante accipit thuribulum, atque recedit ad deponendum illud, ac reuertitur ad credentiam.

Cantata Epiſtola redit cum incenſo, & igne ad Altare, & tempore opportuno miniſtrat, vt ſupra, mox deſcendit ante infimum gradum contra Altare, vbi ſtat quouſque benedictione accepta Diaconus deſcendit in planum, vbi omnes genufleсtunt, & ipſe omnes præcedit ad locum Euangelij, non poſt Subdiaconum, vt docet Piſcara contra Ceremoniale Epiſcoporum *Piſc. lib. 1. ſect. 4. cap. 6. num. 9. Cerem. Ep. lib. 2. cap.* 8. Cum Diaconus dixerit *ſequentia* ipſe claudit ſine ſtrepitu thuribulum, & dat ad manus Diaconi, à quo iterum illud accipit leuiter illud agitans ſtans poſt eundem Diaconum ad eius dexteram, & caput inclinans, ac genufleсtens conuerſus ad Altare, non ad librum, vt Diaconus. Cantato Euangelio reuertitur eodem ordine cum Ceroferarijs, & Diacono ad infimum gradum Altaris, vbi genufleсtunt omnes, & dum oſculatur textus Euangelij à Celebrante tradit thuribulum Diacono, à quo facta thurificatione Celebrantis, illud recipit, & recedit, vt ſupra.

Circa tempus oblationis reuertitur ad Altare, & miniſtrat incenſum cum tempus fuerit; cumque tradiderit thuribulum Diacono reponit acerram ſuper credentiam, & expectat in plano à latere ſiniſtro quouſque incenſatus fuerit

Celebrans, quo facto portans ſecum nauiculam vt incenſum ponat ſi fumus fortaſſe deficeret (vt aliqui docent, & conſonum videtur rationi, quamuis in Cappella Papali numquam addatur incenſum quando in priori impoſitione benedictum ſit) præcedit Diaconum ad Chorum, cui aſſiſtit à latere ſiniſtro ſe inclinans cum illo, reuertitur deinde ad Altare eodem ordine, vbi incēſato Subdiacono per eundem Diaconum, eum demùm ipſe incenſat, & Acolythos, deinde populum, ſed cantante, & miniſtrantibus in Miſſa Canonicis primò incenſat Diaconum, tùm Cappellanos in Choro, demùm Acolythos ad Altare, & populum, præterquam in Miſſis Defunctorum, & Feria ſexta in paraſceue, quo facto recedit in Sacriſtiam. In populi incenſatione obſeruet vt populus ſtet, exhibeat ei honoris ſignificationem ante, & poſt incenſationem; thuribulum autem ducit ter in medio, ter à latere Epiſtolæ, & ter ad latus Euangelij, aut ſemel in medio, & ſingulis lateribus, vt aliqui contendunt, ſed vtrumque fieri poteſt, quia in priori caſu populus habetur pro multiplici, in ſecundo habetur pro vno obiecto thurificationis; In hac autem thurificatione ſtare poterit in aditu Presbyterij, vel fere in cornu Euangelij ſi Sacramentum ſit expoſitum.

Dicto *Sanctus* venit præcedens Acolythos deferentes funalia, genuflectit in plano ante Altare, & ſine mora ſurgens accedit ad latus Epiſtolæ, in cuius vltimo gradu genuflectit imponens incenſum in thuribulum, & incenſans cum opus fuerit Sacramentum, ter videlicet in ſingulis eleuationibus ante, & poſt ſe profundè inclinando, deinde ſurgit, & accedens in medium ante Altare cum alijs genuflectit ambobus genibus, & reuertitur cum Ceroferarijs, vel ſolus prout diuerſitas temporis exigit, nec amplius

por-

portat thuribulum, ſed rediens genuflectit poſt Miniſtros, deinde ſurgit, & ſtat prope credentiam, vel vt conſueuit in loco conuenienti. In receſſu ab Altare ad Sacriſtiam eundem ordinem ſeruat præcedendi cęteris.

In Miſſis Defunctorum quamuis non habeat thuribulum, quando accedit ad Altare, antecedit tamen omnes. Dicta poſt communione accipit thuribulum, & nauiculam, & cum alio Acolytho vas aquæ, & aſperſorium deferente, quem habet à ſiniſtris, expectat Subdiaconum cum Cruce, quem præcedit ad tumulum *Rubr. de Rit. cel. Miſſ. cap.* 13. *num.* 4. cuius ad caput Crucem collocatam genuflectens adorat cum ſocio, & ambo reuertuntur ad pedes loci vbi ſtant poſt Celebrantem miniſtrantes, cum opus fuerit, ignem, & aquam, & peracta abſolutione reuertuntur ad Crucem, cui genuflectunt, & præcedunt Subdiaconum in reditu ad Sacriſtiam; Alia munia peragit Thuriferarius præcipuè deficiente Ceremoniarum Magiſtro, quæ cum ad eum propriè non ſpectent ideo hic non adduntur.

CAPVT V.

De Ceroferarijs.

Acolythi duo Ceroferarij debent, & ipſi robuſti; & in ſtatura quantum poteſt æquales eligi, vt luminaria æqualitèr teneant, & deferant; cumque capturi ſunt candelabra accipient ita, vt qui à parte dextera incedit ponat manum ſiniſtram ad pedem candelabri, dexteram verò ad medium candelabri globum, & qui incedit à parte ſiniſtra ponat dexteram ad pedem, ſiniſtram ad eundem

glo-

globum; cumque reuerentias erunt facturi, illas æqualiter, & eodem tempore faciant, ac denique eundo, ſtando, & redeundo in omnibus actibus inter ſe ipſos, & cum alijs ſe conforment. Hæc de Ceroferarijs in Ceremoniali: Pro praxi hæc adduntur.

Dum Celebrans induitur accendunt cereos ſuorum candelabrorum; quæ, cum procedendum eſt à Secretario ad Altare, tenentes faciunt Cruci reuerentiam, vel poſt Sacros Miniſtros, vel, ſi omnes in recta linea ſtant, omnium poſtremi. Procedunt è Sacriſtia ad Altare poſt Thuriferarium, & genuflectunt ad Altare eodem ordine, quem ſeruauerunt in Sacriſtia, & illicò deponunt candelabra ſuper cornua anteriora credentiæ, nec extinguunt candelas iuxta regulam Ceremonialis *lib.* 1. *cap.* 12. quod quamuis dicatur de Epiſcopo, accomodatur etiam ſimplicibus Sacerdotibus, præcipuè cum concurrant illæ circumſtantiæ quas docuimus *Par.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 2. ſed genuflectunt, vel poſt Celebrantem, & Miniſtros, vel meliùs ad latera credentiæ.

Submiſſa voce reſpondent Celebranti ad confeſſionem, vt Miniſtri parati, quod colligitur ex Ceremoniali, & expreſsè alij tradunt *Cerem. Ep. lib.* 2. *cap.* 8. *Craſ. lib.* 2. *cap.* 3. *Bauld. par.* 1. *cap.* 14. *art.* 3. quamuis in pluribus Eccleſijs id negligatur; ſimiliter dicent *Kyrie* hymnum Angelicum, Symbolum, *Sanctus, & Agnus Dei*, ſi libet.

Finita confeſsione cum Celebrans aſcendit ad Altare ſurgunt, & ſtant ad latera credentiæ manibus non iunctis, ſed decenter compoſitis; Sedente Celebrante, & Miniſtris, etiam ipſi ſedere poſſunt in gradu laterali, & infimo Epiſtolæ dummodo ſedendi ſit conſuetudo, vt tolerari poſſe voluit *Sacra Rit. Cong.* 15. *Martij* 1608. *Craſ. lib.* 1. *cap.* 4. Vltimi

timi

timi ſint in ſedendo, & primi in ſurgendo; Item ſedeant aperto ſemper capite, & Diacono, vel Subdiacono ſurgente v. g. dum Symbolum cantatur, ipſi primò ſurgant, & ipſo ſedente ſedeant; hoc tamen ſeruatur tantùm, quando Sacramentum non eſt expoſitum, vt eodem die cenſuit eadem Sac. Cong.

Accepta à Diacono benedictione deſcendunt ambo in plánum cum candelis accenſis, vbi facta genuflexione procedunt ad locum Euangelij poſt Thuriferarium, & ibi medium faciunt Subdiaconum cum libro facie ad Diaconum conuerſa ſtantes omninò immoti, nec genuflectentes, aut inclinantes, vel ſe ſignantes; Euangelio completo præcedunt Diaconum redeuntes ad Altare, cui cum Diacono genuflectunt, & inclinantes ſe Sacerdoti deponunt candelabra ſuper credentiam dùm Sacerdos incenſatur, & ibidem ſtant.

Ad Simbolum caput inclinant, & genuflectunt dùm dicitur à Celebrante, & Miniſtris ſubmiſſa voce, dum autem cantatur à Choro genuflectunt ſi ſtant, ſi verò ſedent videtur ſatis eſſe inclinatio, vt infra *part.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 3. & vt ſolent facere Caudatarij Eminentiſſimorum Cardinalium in eodem caſu in Cappella Papæ, quia in quantum ſoli Canonici regulariter ſedent Ceremoniale Epiſcoporum docet, Canonicos tantùm caput inclinare, cæteros genuflectere.

Dum Subdiaconus portat calicem ad Altare, alter poſt illum fert ſine operculis ampullas, quas reportat ad credentiam miniſtrato vino, & aqua; Peracta incenſatione alter cum linteo, alter cum ampulla aquæ pergunt ad Altare, & miniſtrant ea Celebranti, ac reuertuntur ad credentiam, vbi iuxta regulas ſuo loco traditas incenſantur. Ad initium

præ-

Digitized by Google

præfationis accedunt ad locum deputatum, vbi accipientes funalia accenſa ſequuntur Thuriferarium ad Altare, & genuflectunt, vel ante Altare in plano, vel ad latera Altaris facie ſibi inuicem verſa; recedunt facta eleuatione, vel communione iuxtà regulas alibi datas; extinctis facibus reuertuntur ad credentiam, & ibi ſtant prout chorus, & ſe profundè inclinant ad *Agnus Dei*, & ad *Domine non ſum dignus*, ad quæ pectus percutiunt, niſi haberent faces; ſi totius Cleri fiat communio, faces dant alijs, quando ipſi ad communicandum accedunt.

Dum Celebrans ſacrum Sanguinem ſumit alter portat ampullas ad Altare, & porrigit Subdiacono, & iterum ad credentiam reportat, alter velum calicis ad Subdiaconum defert in cornu Euangelij; genuflectunt ad benedictionem, & ad *Verbum caro*, ac demum finito Euangelio reaſſumptis candelabris è credentia accedunt ad vltimum gradum in planum, vbi vna cum Celebrante, & alijs Miniſtris facta genuflexione eo ordine, quo venerant reuertuntur in Sacriſtiam.

In Miſſis Defunctorum aſſiſtunt Euangelio abſque candelabris accedentes manibus iunctis omnium poſtremi, & ſignant ſe prout Diaconus; In proceſſione ad tumulum deferunt candelabra, nec vnquam genuflectunt etiamſi eleuaretur Sacramentum, aut tranſirent ante Altare, in quo eſſet Hoſtia Sacra, *Piſc. lib. 2. ſect. 10. cap. 1. num. 14. Cer. fr. min. par. 1. cap. 14. num. 5.* ſed vide infra *par. 3. Sect. 2. cap. 2.* In procedendo ſi aditus Presbyterij ſit nimis anguſtus, itaut Subdiaconus medius inter Ceroferarios pergere non poſſit, præcedant Ceroferarij, & eorum iunior, qui eſt in parte ſiniſtra præibit quandocumque contigerit binos procedere non poſſe. Cætera

quæ

quæ ad Ceroferarios ſpectant hinc inde ſuis locis apponentur.

CAPVT VI.

De Ceremoniarum Magiſtro.

CVm in Eccleſia peritis, ac verſatis iuuenes ſuccedant, qui in ſacris functionibus exequendis impares, & inhabiles ſunt, & tot, ac tantæ ſint ceremoniæ per plures Miniſtros eodem etiam tempore exequendæ, vt ex his altero deficiente maxima facile in omnibus perturbatio oriri poſſit, & multa tumultuariè, ac perperam agi, ideò conſueuere Eccleſiaſtici Præſules, tùm in Cathedralibus, & Collegiatis, cum in Parochialibus Eccleſijs, vbi Clericorum conueniens numerus exiſtat, aliquem Sacerdotem deputare, cuius ſolertiæ Sacrorum Rituum obſeruantia demandetur; Hic in quibuſcumque ſolemnibus functionibus Celebranti, & Miniſtris aſſiſtit, inſtruens vnumquemque tempeſtiuè de ijs, quæ agenda erunt, quod ſemel dixiſſe ſit ſatis. Hic ex officio nihil aliud agit, quàm omnes monere, quamuis ſępè ob Acolythorum defectum multa facere cogatur ad alios ſpectantia.

Ceremoniarius ergò diligens eſſe debet, modeſtus, patiens, benignus, zelator acerrimus eccleſiaſticæ diſciplinæ, diſcretus, ac prudens, morum grauitate præditus, & in ſacris ritibus, & ceremonijs eruditus, vt ſicuti nomine, ſic etiam doctrina ſit Magiſter. Correcturus aliquos in officio ſuo deficientes non alta voce, non imperioſè increpet, ſed leniter, & modeſtè, voce ſubmiſſa, vel nutibus tantùm mo-

moneat, immò ſilentio vbi leuiora ſint tranſeat, quæ poſtmodò tempore opportuno docebit; Altari, & ſacris aſſiſtens officijs modeſtè, & religiosè ſuum munus exequatur, non caput leuiter voluat, non diſcurrat hinc inde velociter, non manus agitet, non oculos hùc illùcque intendat, verba non miſceat, ne ille, qui alios ex officio corrigere debet, meritò aliorum ſubiaceat increpationibus, ſciatque ſe non ideò hanc aſſumpſiſſe prouinciam, vt inde irreligioſæ libertatis, & temeritatis occaſionem arripiat, vt aliquos bene cognoſcimus facere, ſed vt diſciplinam Eccleſiaſticam, grauitatem, & reuerentiam non verbis, & præceptis, ſed magis exemplis inſinuet.

Nouerit eius cura, & miniſterio cuncta eſſe peragenda, quapropter loca omnia, res, & circumſtantias priùs examinabit, vt omnibus defectibus maturè prouidere poſſit, omnium ſiquidem munera, & onera primò, & principaliter illi incumbunt, itaut Miniſtrorum defectus non Miniſtris, ſed vni Ceremoniario imputentur.

Frequenter lectioni vacet eorum, qui de ſacris ritibus diſſeruere, & in primis Rubricas Miſſalis, Ritualis, & Breuiarij, nec non Ceremoniale ad manus habeat, in quibus verſatiſſimum eſſe decet. Rationalia item, & alios habeat libros, vt dubiorum, quæ in dies oriuntur, ab aliquo eorum ſolutiones ediſcere poſſit. Ob hanc ergo cauſam doctrina pollere debet Ceremoniarius, & vt tradit Ceremoniale Epiſcoporum, Theologiæ, & Iuris Canonici intelligentiam habeat, vt non tantum verba intelligat, ſed inſuper Doctorum, & Rubricarum auctoritates, quæ ob aliquas diuerſas circumſtantias inuicem pugnant componere valeat, & ſic omnia laudabiliter, ſapienter, & vt ità dicam, magiſtraliter tractare.

Quan-

Digitized by Google

Quando Miſſa ſolemnis eſt cantanda, ſuum munus erit inſpicere diligenter nùm apparatus Altaris, credentiæ &c: benè ſe habeat, ordinabit deinde proceſſionem ad finem Tertiæ, aut alterius horæ, ipſe procedet poſt Acolythos ceroferarios manibus iunctis; Si per viam obuiam fiant Altari in quo ſit Sacramentum præcipuè in celebratione Miſſæ, omnes tempeſtiuè monebit pro genuflexione; Si ante chorum tranſeant, quo tempore, & loco ſalutandus ſit chorus docebit, quapropter non incongruum eſſet, quod docet Piſcara, nempe Ceremoniarium omnibus præire (quamuis Ceremoniale Epiſcoporum doceat ſubſequi Ceroferarios) præcipuè vbi contraria ſit conſuetudo; Si per gradus in presbyterium aſcendendum ſit, ipſe fimbrias anteriores albæ eleuabit Celebranti.

Cum peruenerint ad Altare accipit birreta, deinde facit genuflexionem Altari, & vadit ad deponēda birreta ſuper ſcamnum, cui inſidere debent Sacerdos cum Miniſtris, non in credentia, deinde genuflectit ad Confeſſionem, & aſcendente Celebrante ad Altare ſurgit, & ipſe pariter vadit in planum ad latus Epiſtolæ vbi ſtat dum imponitur incenſum, inchoata thurificatione tollit librum de Altari ambabus manibus tenens illum apertum, & ſtans in plano, vnde ad locum ſuum illum reportat facta incenſatione ſuper cornu Epiſtolæ, & iterum in planum reuertitur; Quando inclinationes, genuflexioneſue faciendæ ſint, & ad quas partes Altaris ducendum ſit thuribulum demonſtrare poterit, vel nutibus, vel ſe inclinando, & genufiectendo; quando incenſatur Celebrans, ipſe poſt Diaconum ſtat à latere ſiniſtro inclinans ſe cum illo. Dum dicitur Introitus ſtat in plano propè cornu poſteriùs Altaris, ità vt à Sacerdote videri poſſit, ſignat ſe, caput inclinat, vt Mini-

ſtri,,

ſtri, & reſpondet ſi placet. Si tempus ſupereſt dum cantantur *Kyrie* à choro, monet Miniſtros Altaris, vt ſedeant, ipſe autem ſtat ad credentiam caput inclinans, & genufle-ctens, vt tempus exigit, niſi vſus eſſet, quod etiam ipſe ſedeat, quia ſicuti Acolythi poſſunt ſedere tantò magis Ceremoniarius, ſed capite aperto ſedebit ſicut à Sacriſtia ad Altare nudo capite procedit. Monet deinde Celebrantem, & Miniſtros quando ad Altare accedendum ſit, ipſe autem per breuiorem viam, ſi non ſederit, ad latus Epiſtolæ ſe transfert, ſi verò ſederit præcedat omnes; quando cantandum eſt *Gloria*, & *Credo* ipſe poterit accedere apud Sacerdotem, & illum præmonere, & venientibus Miniſtris ſe retrahere ad illud cornu, cui contigerit eſſe propinquior, vt dictum eſt de Aſſiſtente. Ad orationes ante Epiſtolam, & poſt communionem ſtare poterit ad librum, & ad finem poſtremæ orationis accepto Miſſali de credentia illud tradit Subdiacono ſtanti poſt Diaconum, & facta in medio ab vtroque genuflexione procedens à ſiniſtris illius deducit illum ad locum cantandæ Epiſtolæ, & aſſiſtit folia voluens cum opus fuerit; Lecta Epiſtola ducit illum ad genuflexionem in medio, tùm ad oſculum manus Sacerdotis, ac tandem accipit librum, relinquens Subdiaconum ad Altare.

Dum Sacerdos ex libro per Subdiaconum delato ad cornu dexterum legere incipit Euangelium tradit Miſſale Diacono, nec illum tunc comitatur; cum tempus fuerit monet Thuriferarium, vt eat ad miniſtrandum incenſum, & ducit Acolythos cum cereis accenſis, in planum ante Altare, genuflectit cum alijs, quos omnes præcedit ad locum Euangelij, vbi ſtat à dexteris Diaconi ſi daturus eſt thuribulum, vel ſi hæc præſtare non debeat, à ſiniſtris eius ſtet.

Can-

Digitized by Google

Cantato Euangelio reducit Diaconum ad Altare procedentem poſt Thuriferariũ, & Ceroferarios, quos ipſe præcedit, vt ante, & facta Altari genuflexione accipit librum à Subdiacono, quem deponit ſuper credentiam admonito Diacono pro thurificatione.

Diaconum portantem burſam cum corporali ad Altare non comitatur, ſicuti neque Subdiaconum ferentem calicem ab Altari ad credentiam, quia datur comes ad aliquid cantandum, aut quando exeunt de presbyterio, vt cum Gauanto ait Bauldrius *Gau. part. 2. tit. 6. num. 5. litt. C. Bauld. par. 1. cap. 1. art. 1. num. 39.* quodque colligitur etiam ex Ceremoniali.

Pro incenſatione librum amouet de Altari, & ea facta reponit, vt in priori incenſatione, deinde cum Diacono ad chorum incedens à latere ſiniſtro, vel ſi per arctam viam ſit tranſeundum omninò præcedens, ſtans autem à ſiniſtris eius ſe inclinat cum eo dum chorum thurificat, vel ſi expertus eſt trahit ſe ad partem attendens ne erret, vt docet *Marcellus lib. 3. ſect. 5. cap. 2.* & obſeruatur in Cappella Papali, ſed aſſiſtit Celebranti ad librum ſi aſſiſtens non ſit, & Thuriferarius comitatur Diaconum. Ad medium Symboli annuit Diacono, vt veniat ad credentiam, cui dat burſam, ità vt pars aperta Diaconum reſpiciat eleuans eam ad altitudinem pectoris. Peracto ſymbolo reducit Sacerdotem ad Altare, & dicto *Oremus* ducit ad credentiam Subdiaconum, cuius humeris imponit velum humerale, niſi id præſtetur ab Acolythis, quo caſu cum eo nequaquam ibit, neque reuertetur.

Facta incenſatione abeunte Diacono vadit Ceremoniarius ad latus ſiniſtrum Celebrantis, eique aſſiſtit, quoadusque Diaconus veniat; intellige tamen niſi ſit Presbyter aſſi-

 ſtens,

Digitized by Google

ſtens; incenſato Diacono, & Subdiacono, etiam ipſe per Acolythum incenſandus eſt, incenſatio enim debetur ſingulis, ſicuti etiam oſculum pacis, quod in Cappella Papæ ſeruantur teſte Marcello ibidem, qui dicit Diaconum Prælati, vel Cardinalis celebrantis incenſare omnes vſque ad credentiarios, à quorum aliquo ipſe quoque incenſatur.

Ad finem præfationis accedit ad locum vbi faces accenduntur, & ducit omnes præcedens Acolythos ad Altare, quibus loca demonſtrat deinde accedit ad cornu Epiſtolæ, in cuius infimo gradu genuflectit poſito incenſo in thuribulo, & thurificat Sacramentum, niſi id à Thuriferario præſtetur, tum ſurgit facta genuflexione, & vadit ad medium Altaris in planum, vbi cum alijs genuflexionem facit ambobus genibus, & recedunt, & ſtatim redit cum illis ad Altare.

Accedente Diacono ad dexteram Sacerdotis, ipſe vadit ad ſiniſtram eius, & aſſiſtit libro; Ad *Agnus Dei* recedit in cornu Euangelij cedens locum Subdiacono, cum quo poſtea vadit in chorum ad dandam pacem, quam reuerſus ad Altare facta priùs genuflexione recipit, & dat Acolythis; ſi pax danda ſit per inſtrumentum laicis oſculandum, illud eſt accipiendum priùs à Diacono, vel Aſſiſtente ſi adſit *Cer. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 29. deinde ab ipſo Ceremoniario defertur dextera vſque ad Perſonas, quibus danda eſt, nam tunc inſtrumentum dabit Subdiacono, quo oculato ab omnibus, ab eo iterum illud recipit, & reuertitur ad Altare.

Ad orationes aſſiſtet ad librum, genuflectet verò in cornu Epiſtolæ ad benedictionem, & ſtabit in plano in eodem latere conuerſus ad Celebrantem legentem Euangelium, & quidem manibus iunctis, ſicuti etiam manibus iunctis ſtat

ad

ad Euangelium primum, ad communionem, eleuationem, & orationem Dominicam niſi libro aſſiſtat. Finita Miſſa dat Diacono birreta priùs Celebrantis mox ſuum ſicuti etiam Subdiacono poſt reuerentiam Altari factam, & recedit ordine quo venerat.

Quando aquæ aſperſio eſt facienda, vt peruenit ad Altare genuflectit cum alijs Cruci, deinde depoſitis birretis genuflectit in latere ſibi commodiori, vt doceat Celebrantem, vel à dextris Diaconi, vt aſperſorium tradat Diacono, deinde ducit, & reducit Celebrantem cum præcedens, & innuens quo ordine, & in qua parte priùs aqua ſit aſpergenda, & hæc ſatis ſint de Ceremoniario.

Digitized by Google

SECTIO III.

CAPVT I.

De ſacro Crucis ſigno.

MVLTI Scriptores de ratione huius ſigni efformandi eruditè ſcripſere, quorum doctrinæ, & ſententijs mallem ſubſcribi, quàm modicum quid eorum dictis ſuperaddere. Quia tamen inter ſe ità ſunt diſcordes, & controuerſi, vt eorum libris operam dantes meritò ambigant cuiuſnam præcepta ſeruare debeant, cum alter alterius ſententiam condemnet, ideò neceſſarium duxi, aliquid ſubtexere examinando ſingulorum doctrinas, & quid de ſingulis ſentiendum ſit tradendo.

Tripliciter in Miſſa ſacer hic character producitur, manu dextera videlicèt primò quando Sacerdos ſignat ſe ipſum à fronte ad pectus, & ſcapulas; ſecundò quando ſignat textum Euangelij, pollice, & ſe ipſum in fronte, ore, & pectore; tertiò quando aliquid benedicit, puta Miniſtros, oblata, populum, incenſum. Quomodo Crucem pollice formet, & manu ſibimet ipſi pingat omni prorſus dubio vacat; difficultas ergo tota eſt in formanda Cruce ſuper oblata, & populum.

Aliqui volunt, lineam tranſuerſam (nam de linea recta dubium non eſt) duci manu quoque tranſuerſa, ideſt manu ità poſita v. g. ſuper oblata, vt vola reſpiciat Celebrantem,

& pars

& pars exterior manus reſpiciat tabellam ſecretarum, alij volunt pingi manu ſemitranſuerſa, & modicum inflexa alij recta manu vti, ſicuti ad deſcribendam primam lineam.

Dat rationem primi modi *Polaccus in libello Aphoriſmorum in tractatu de ſigno Crucis;* vult enim nos imaginari lineas intentionales Crucis prodire ex tota inferiori parte manus, ideſt à ſummitatibus digiti medij, & anularis, atque ab apice auricularis ſimul, & ab ea parte manus, quæ eſt inter poſtremum nodum minoris digiti, & iuncturam manus cum brachio; ex quo per eum fit, vt ducta prima linea recta manu aperta, per manum traſuerſam formanda ſit tranſuerſalis, ne ſcilicet pro linea ducatur ſuperficies; Sic ille. At curnam ex tota parte inferiori manus neceſſariò prodire debeat linea, ille non tradit, neque ego excogitare valeo rationes validas, quibus hæc ſententia tueri poſſit, vt infrà patebit, ſaltem tanquam neceſſaria, vt ipſe ſuſtinere ſupponit.

Ratio ſecundi modi, quem docet *Sanctus Carolus in Actis Eccl. Mediol. in inſtruct. Sacerd. pro Miſ.* eſſe poterit, quia non ex tota inferiori parte manus, ſed ex ſummitate trium digitorum lineam exire imaginantur. Ratio tertij eſt quia, ſiue ex tribus digitis exeat linea non videtur res magni momenti, quod ſecunda linea in latitudine primam excedat, ità vt etiam duplo, & amplius maior ſit, ſiue exeat ex vno digito, ideſt ex vna ſummitate, manus quocumque modo vertatur, ſiue ſit recta, ſiue ſit tranſuerſa ſemper linea erit æqualis.

Angelus poſt Quarti par. 1. tit. 8. num. 56. vult lineas exire de ſummitate digiti auricularis, & quidem ex ipſiſſimis (ait ipſe) verbis Rubricæ. Ego tamen ex ſenſu verborum id

conijci poſſe nequaquam exiſtimo: Rubrica enim docet, quod digitus paruus conuertatur ad obiectum benedicendum, ex hoc autem nihil aliud videtur colligi poſſe, quam diuerſitas ſeruanda inter ſignum Crucis ſibi à fronte ad pectus efformandum, & illud, quod ſuper alijs fit, nam de illo quod producitur à fronte ad pectus habet Rubrica, quod palmam ad ſe conuertat; Quapropter ſicuti ex eo, quod in ſignando ſe ipſum Sacerdos vertat palmam ad ſe non bene arguitur, quod Crux prodeat ex tota palma, cum Crux tribus digitis exprimatur ſecundum *Innoc. 3. lib. 2. cap. 45.* vt in virtute Trinitatis fiat; ſic nec poteſt dici ex vi Rubricæ, quod Crux prodeat ex minimo digito, eo quia Sacerdos benedicens paruum conuertit digitum ad obiectum, quod benedicit.

Ad clariorem intelligentiam reſolutionis prænotandum eſt, quod reales non ſunt hæ lineæ Crucis, ſed tantummodo morales, vel intentionales; Rurſus effectus intentionales pendere, tanquam à principali ſua cauſa, ab intellectu, qui ſolus eſt potentia proportionata ad huiuſmodi effectus. Item effectum ſæpe à duabus cauſis procedere ſibi inuicem ſubordinatis, videlicet, vt alias omittam, inſtrumentali, & principali. Quaſcumque etiam cauſas, & conſequenter inſtrumentalem ſecundum aliquam ſui partem, non ſecundùm ſe totam effectum ſæpe producere, & eam partem verè, & propriè eſſe cauſam inſtrumentalem.

Dico ergo primo, quod ſigna Crucis efformantur ab ea parte manus, cui intellectus vim tribuit deſcriptiuam ſigni, itaùt, ſi intellectus determinet ſummitatem ſolam medij, vel ſummitates medij annularis, & minimi illæ ſummitates erunt deſcriptiuæ Crucis. Ratio eſt quia ſigna Crucis non ſunt aliquid reale, ergo non poſſunt procedere.

cedere tanquam à cauſa principali à cauſa reali. Quod non ſint realia patet, quia nullum eſſe habent extrà rationem; Quod autem non poſſint procedere à cauſa reali eſt, quia cauſa cum effectu debet habere proportionem, intellige tamen de cauſa reali quoad operari,nam quoad eſſe etiam intellectus eſt cauſa realis, & tamen proportionatur ex natura ſua ad effectus irreales; cum itaque lineæ Crucis ſint aliquid intentionale, & procedant à cauſa intentionali, ideſt ab intellectu, conſequens eſt, vt manus dicatur cauſa inſtrumentalis, quia ſubordinatur intellectui, & in eius virtute operatur,quod omne extra controuerſiam eſt; hinc eſt,quod ſi intellectus aſſumat pro inſtrumento v.g. minorem digitum, minor digitus erit cauſa inſtrumentalis propriè ſic dicta, & vim habebit ipſe priuatiuè, quoad alios digitos deſcribendi Crucem; Ratio eſt quia ea pars inſtrumentalis cauſæ eſt operatiua, quæ aſſumitur à cauſa principali in ordine ad cauſandum effectnm, ſed apex minoris digiti à cauſa principali aſſumitur pro ſuo inſtrumento ad deſcribendam Crucem, vt ſupponimus, non manum, qua vtitur tantùm in gratiam minoris digiti, ergo ſola ſummitas dicta habet vim formandi ſignum Crucis; ſicuti dici poteſt quod extremum punctum hoſtiæ quando formâtur Cruces ante orationem Dominicam in calice, & extra calicem ſit illud, quod habeat vim producendi lineas ad faciendam Crucem, quod ſi negabitur à Polacco conſequens erit,vt (velit nolit) concedat lineam tranſuerſalem Crucis formari poſſe manu recta etſi habeat tota vim deſcriptiuam, ſicuti linea tranſuerſa in quinque ſupradictis ſignis hoſtia ſemper recta formatur.

Dico ſecundo, quod intellectus poteſt aſſumere pro ſuo inſtrumento formali totam partem inferiorem manus, vel

Digitized by Google

ſummitatem vnius digiti, vel duorum, vel trium. Ratio eſt quia quomodocumque intellectus faciat hanc determinationem reſultabunt duæ lineæ, quarum altera priorem decuſſabit, quod vnum á Rubrica iubetur.

His poſitis cognoſcimus primum modum non eſſe reprobandum, quia dummodo hi velint, totam partem inferiorem manus eſſe formale inſtrumentum ad efformandam Crucem, ſequitur, quod in deſcribenda ſecunda linea debeat manus tranſuerſari, aliàs, vt bene docet Polaccus formaretur ſuperficies non linea, & conſequenter neque Crux.

Crux hoc modo formata non eſt tamen eius proportionis, ſecundum quam communiter eſt facienda per omnes; ſeruata enim hac regula, quomodo nam producere poter o lineam, quæ palmaris ſit, & non bipalmaris, niſi manu immota Crucem ſim facturus. Cęterum ſi manum ducam, & reducam, vti ipſe docet, & alij *Cerem. Epiſc. lib. 1. cap. 21. 23. Gau. par. 2. tit. 12. num. 1. V. ſemel; Piſc. lib. 2. ſect. 7. cap. 3. num. 5. & Contus par. 4. cap. 2.* vtique ponam ſummitatem digitorum ſupra labium remotius calicis, & eandem ſummitatem ad propinquiorem mihi partē panis ducam; ſtet ergò manus ducta priori linea, & linea bipalmaris apparebit, quod ſic demonſtratur. Computare debemus ſpatium à labio remotiori calicis ad partem panis propinquiorem Sacerdoti, ideſt ſpatium, per quod manus effluxit, & ſpatium quod eſt inter ſummitatem digitorum, & iuncturam manus cubito; Ecce, ſpatium poſtremum palmare eſt, vt patet, priùs etiam palmare eſt, ergo linea ſic formata erit bipalmaris, quod dicendum eſt etiam de tranſuerſali; & ſic lineæ Crucis non ſunt eius proportionis, cuius eſſe debent ex communi omnium ſenſu;

ſu;

ſu; Quamuis hoc non multum curandum ſit quia Doctores docentes Crucem habere lineas palmares intellexerunt manum ducendam non eſſe vltra ſpatium vnius palmi; quod autem hic dicitur, ideò dicitur, vt demonſtretur ſibi contradicere eos, qui hæc modo præſcripto docent.

Secundum item, & tertium modum patet approbandum, ideò enim alij inflectunt digitos, quia tribus ſummitatibus tribuunt facultatem deſcriptiuam Crucis, & ſic vt ducant lineam æqualem priori in latitudine per eos ſufficit ſolos digitos inflectere. Dices hæc inflexio digitorum non exprimitur in Rubrica. Reſpondeo quod de quibuſcumque minutioribus non agunt Rubricæ, vt par eſt, & patet. Qui tradunt tertium modum ideò neque manum, neque digitos inflectunt, quia ſoli ſummitati v. g. medij digiti tribuunt facultatem deſcribendi Crucem, quomodocumque autem ducatur manus, ſiue in tranſuerſum ſiue directa: eadem linea in latitudine deſcribetur.

Fateor quod hic loquendi modus quantum placuit poſtquam perceptus eſt tantum difficile fuit captu ijs, quibus aliquando quæſtiones aliquas proponere ſolebam, vſquequò actionis exemplo omnia perſpicua appaˀruere. Tota difficultas in eo ſita erat, quod manus recta in tranſuerſali linea ducenda priorem non deleret lineam.

Verùm placet hic explicare quomodo manus recta ducta à parte ſiniſtra in dexteram poſſit efformare lineam æqualem in latitudine priori lineæ. ſic. Non minùs ſummitas v. g. digiti medij deſcribit lineam in aere, quàm deſcriberet in aliqua tabula, aut in puluere, ſed in tabula, & in puluere ſimillimam, & omninó æqualem efformabit in latitudine ſecundam lineam tranſuerſam, & decuſſantem prio-

ti lineæ rectæ, & decuſſatæ, ergo etiam æqualem in aere deſcribet. Maior eſt certa, cum idem ſit inſtrumentum effectiuum, & eodem modo adhibeatur, nec ratione ſubiecti effectus poſſit diuerſificari. Minor experientia demonſtratur. Deſcribatur ſuper tabula, vel plano minuto puluere conſperſo Crux manu dextera ita poſita, vt vola conuerſa ſit omninò ad tabulam, & digiti omninò ſint iuncti, & ſummitas manus ſit reclinata, ità vt ſola ſummitas medij digiti ſecundum ſe totam, vel ſecundum aliquam ſui partem determinatam tangat tabulam, vel puluerem, & ducatur manus recta, & tranſuerſa; partes vtique Crucis erunt omninò æquales in latitudine, quia ſola ſummitas medij digiti illa eſt, quæ ſignat puluerem, quæ ſemper eadem eſt quomodocumque ducatur, ergo ſicuti in puluere, ſic etiam in aere linea tranſuerſa erit æqualis rectæ, quamuis manus etiam in tranſuerſa ducatur recta, & non tranſuerſa ducatur recta, & non tranſuerſetur.

At dices: ideò in caſu propoſito æquales ſunt lineæ, quia non adhibetur tota manus ad ſignandum, ſed tantùm vnus apex; in efformando autem ſigno Crucis in aere non vna ſummitate vtimur, ſed tota manu; ſed contra eſt primò, quia non minùs vtimur tota manu ad deſcribendas iſtas lineas, quàm vtamur toto calamo ad ſcribendum, toto enſe, totaque lancea ad feriendum, ſed qui vtitur calamo, enſe, & lancea quamuis acumine ſolo ſcribat, & feriat, tamen verè vtitur, & dicitur vti abſolutè toto calamo enſe, & lancea, ergo etiam, qui deſcribit lineas in puluere ſolo apice v. g. medij digiti, & vtitur, & debet dici adhibere totam manum dexteram; Contra eſt ſecundò, quia in tantum ſola ſummitas habet vim deſcribendi lineam in tabula, & puluere, eo quia ſe ſola tangit tabulam, &

pul-

puluerem, ſed eadem ſola ſummitas habet vim deſcribendi lineas in aere, quia ſola ab intellectu determinatur ad eas lineas efformandas, ergo, ſicuti ſe habet manus ad deſcribendam lineam in tabula, & puluere per ſolum apicem medij, ſic ſe habet ad efformandas lineas in aere per ſolam medij v. g. vel anularis ſummitatem, ergo de primo ad vltimum quamuis manus non tranſuerſetur in pingenda ſecunda linea, hæc tamen reſultabit æqualis omninò priori lineæ, vt de ſignis in puluere factis dictum eſt.

Ne mireris benigne lector, quod hæc minutiſſima, quæ potiùs ſilentio eſſent prætereunda luculenter exponam, & rationibus, & experientijs confirmem, id enim ago, ne videar conſultò ea præterire, quæ ſæpè tradidi in controuerſijs, quas ſuper hoc exortas inter aliquos Sacerdotes non ſemel, nec in hac tantùm ciuitate ſedaui. Cæterum me non latet, quòd dum ſumus in moralibus attendendus ſit magis communis prudentium virorum ſenſus, quàm rationes; quapropter cum aliqui velint, quod manus ſemper recta adhibeatur, alij tranſuerſa, alij ſemitranſuerſa, quoad ſecundam lineam, ſingulas rationes, non eſſe reprobandas huius ſacri ſigni effingendi ſentio; immò, etiãſi tota pars inferior manus, vt vult Polacus, ſit deſcriptiua Crucis, non renuo manu etiam recta formari Crucis ſignum tranſuerſum, ſicut fit cum hoſtia conſecrata vt ſupra diximus, quia ſatis ſenſibiliter exprimitur Crux quod ſufficit in noſtro caſu, nam debet exprimi Crucis ſimilitudo per geſtum manus non per ſigna, quæ ſupponantur remanere veluti ſuſpenſa in aere, quamuis Doctores hoc loquendi modo vſi ſint, vt docerent proportionem, & menſuram geſtus; & hæc ſatis, cum fortaſſis etiam vltrà ſatietatem ſuper hoc ſcripſerimus.

CAPVT

CAPVT II.

De ordine dandi Pacem.

DIcto *Agnus Dei*, & oratione *Domine Ieſu &c.* Sacerdos poſitis hinc inde manibus ſuper Altare illud oſculatur, ſuper quo eodem tempore iunctis manibus Diaconus idem præſtat extra corporale ſtans poſt factam reuerentiam Sacramento, tùm appropinquant ſiniſtras genas ad inuicem, & ſe ſe amplectuntur, Sacerdote interim dicente *Pax tecum*, & Diacono reſpondente, à quo facta iterum genuflexione datur Subdiacono, qui eam defert ad chorum, Celebrans amplectitur Diaconum, vt dicit Rubrica, Diaconus item Celebrantem, vt vſus noſtrarum Eccleſiarum, & multarum docet, quod tradit etiam *Gau. par. 2. tit. 10. num. 8. lit y. & Quart. par. 2. tit. 10. num. 8.* Totinius dubitat, an Diaconus Subdiaconum amplectatur *lib. 1. cap. 19. num. 3.* ſed vere Rubrica ait, quod Diaconus dat pacem Subdiacono ſimiliter, ſi ſimiliter, ergo & per oſculum, & per amplexum.

Subdiaconus comite Acolytho, vel Ceremoniario vadit ad chorum, vbi primis in quouis ordine dat pacem nulla præcedente reuerentia, quam facit tantùm poſt datam pacem; ſi chorus in duas partes ſit diſtributus vnicuique danda eſt, qui eſt in priori ſede etiamſi ſint eiuſdem ordinis; Datur autem per mutuum amplexum, & oſculum ideſt approximationem leuem ſiniſtrarum genarum, dicente Diacono *Pax tecum*, & reſpondente illo qui recipit *& cum ſpiritu tuo*. Notandum autem, quod accipiens pacem dum ample-

amplectitur Diaconum ponet manus, & brachia ſub brachijs dantis, & caput inclinat, ſi pares ſint, etiam antequam accipiat pacem, ſi autem recipiens ſit maior, puta Canonicus reſpectu Beneficiati, aut parum, aut nihil inclinatur.

Si pax laicis per inſtrumentum danda ſit, oſculabitur pacis inſtrumentum ipſe Diaconus, vel Aſſiſtens, vt diximus *Parte hac ſect.* 2. *cap.* 5. nec ſic accipientes ſtare debent, vt omninò debent ſtare illi, qui accipiunt per oſculum *Cer. Ep. lib.* 1. *cap.* 24. ſed genuflexi manent, vt colligitur ex Ceremoniali, & datur poſt Clericos omnes, vt decreuit *Sacra Congreg. Rit.* 5. *Iulij* 1614. *Cerem. Ep. lib.* 1. *cap.* 30. inſtrumentum pacis non debet eſſe patena, ſed peculiare inſtrumentum piam Domini Imaginem habens inſculptã, vel pictam, manubrium retro habens, cui annectitur velum coloris conuenientis, quo tergitur pax, præcipuè quando plures illam oſculantur.

Quando Miſſa cantatur ſine Miniſtris pacem dari poſſe docent plures, quod non eſt negandum. Aliqui tamen volunt dari per oſculum; aliqui non per oſculum, ſed per inſtrumentum *Totin. lib.* 1. *cap.* 19. *Bauld. par.* 3. *cap.* 10 *num.* 17. At dices Sacra Congregatio vetuit, dari pacem per inſtrumentum Clericis, & Ceremoniale vult dari laicis tantùm cum inſtrumento. Reſpondere poſſent Ceremoniale *lib.* 1. *cap.* 24. loqui tantùm in Miſſa ſolemni, de quo non eſt dubitandum, ſicut etiam Sacra Rituum Congregatio; extra tamen ſolemnem dari poſſe pacem cum inſtrumento etiam Clericis, quia datur eo modo Epiſcopis *Cerem. ibid. & lib.* 1. *cap.* 30. & conſequenter id etiam præſtari poſſe in Miſſa decantata abſque Miniſtris, quæ non eſt ſolemnis abſolutè, vt ex alibi dictis patet.

In Miſſis priuatis inſtrumentum pacis hoc modo offertur.

Mi-

Miniſter ſurgit tempore competenti, aſcendit ad Altare, ex quo inſtrumentum ſumit, quod genuflexus inter cornu Epiſtolæ, & medium Altaris dextera manu porrigit oſculandum Sacerdoti poſtquam Altari oſculum fixerit, eique dicenti *Pax tecum* reſpondet, & portat pacem Prælato, ſiue Principi, cui non facit reuerentiam, ſed totam faciem inſtrumenti tangit velo ex manubrio dependenti, & oſculatur eandem partem veli, qua terſit inſtrumentum, deinde offert ori Principis, ſeù Prælati oſculandum dicens *Pax tecum*, cui Prælatus reſpondet *& cum ſpiritu tuo*; Alicubi præſenti Epiſcopo Miſſæ ſolemni, aut priuatæ ferens pacem offert inſtrumentum oſculandum, nec dicit *Pax tecum*, ſed Epiſcopus dicit *Pax tecum*, & idem præſtat cum Presbytero Aſſiſtente; nec dimoueri eos ab hoc vſu eſt poſſibile, etiamſi talis ſit abuſus quippe qui contrarius conſuetudini vniuerſali Eccleſiæ, & diſpoſitioni Ceremonialis, & Miſſalis. Reticere libet locum ne habeant illi vnde erubeſcant, quamuis erubeſcere ignorant qui ſine authoritate, & ratione non quà eundum eſt, ſed quà itur vadunt; Si pluribus danda ſit pax, ſingulis datur eodem modo à dignioribus incipiendo; Facta demùm eis reuerentia reuertitur ad Altare, & inter cornu Epiſtolæ, & tabellam ſecretarum ponit inſtrumentum, & reuertitur ad locum ſuum *Ex actis Eccl. Mediol. Par. 2. in inſtruc. Acolythi pro Miſſa.*

Modo quæres quo ordine, & per quem pax ſit deferenda in Miſſa, quæ cantatur cum Cappellano aſſiſtente. I. Craſſus vult eam accipere Aſſiſtentem à Celebrante; & eam diſtribuere priùs Diacono, qui illico dat illam Subdiacono, poſtea per Aſſiſtentem portari ad Chorum, quod eſt dicere, Pacem accipiendam ab Aſſiſtente, ſed dandam prius

Mini-

Digitized by Google

Miniſtris Altaris, deinde Choro; Craſſum, Gauantus, & Bauldrius ſequuntur *Craſ. lib. 1. cap. 50. Gau. par. 2. tit. 10. num. 9. Bauld. par. 1. cap. 3. num. 9.* II. Piſcara vult pacem accipi à Diacono, & dari per eum Subdiacono, qui portat illam priùs ad Chorum, & vltimò dat illam Cappellano aſſiſtenti ad Altare, tum Ceremoniario, cum quo ſentit Ceremoniale Fratrum Minorum *Piſc. lib. 1. ſect. 7. cap. 11. num. 7. Cer. Fr. Min. par. 2. cap. 11.* dummodo Cappellanus non aſſiſtat Generali, quia ſi aſſiſtit Generali Aſſiſtens accipit pacem, ſed cui primò illam det ibidem non habetur. III. *Totin. lib. 1. cap. 18.* docet Celebrantem dare pacem Aſſiſtenti, Diacono, & Subdiacono. IV. Corſettus tradit authoritate Gauanti Aſſiſtentem accipere pacem, & dare Subdiacono, qui eam portat in Choro, & Diacono ad Altare antequam illam det Ceremoniario; Hæc authoritas Gauanti in impreſſionibus recentioribus habetur *Corſet. tract. 1. par. 1. cap. 5.* miror tamen, quomodo hoc decretum non afferatur ab alijs Doctoribus, qui eorum temporum decreta referunt.

Iſtæ ſunt Doctorum ſententiæ, modo ſingulas examinare placet, vt clariùs innoteſcat, cui inhærendum ſit. Prima ſententia, quam Gauantus, & Bauldrius docent Craſsi nititur fundamento, qui loquitur de Miſſa à Prælato Epiſcopo celebrata; Aliqui putant, Craſſum loqui de pace tradenda in Miſſa Epiſcopi proprij, in qua alter modus, & alter ſeruatur abſente, ſiue præſente, & non celebrante, ſeu præſente Miſſæ per alium Prælatum, vel Epiſcopum celebratæ, vt habetur in Ceremoniali, quia Epiſcopus Diœceſanus celebrans dat pacem Aſſiſtenti, & Diacono Euangelij, & duobus Diaconis, ac Subdiacono, Sacerdos autem vni Miniſtro, vt ex Rubrica Miſſalis; contendunt verò ad-

nó admittendam non eſſe, cum ſit contraria Ceremoniali, quod docet, omnes ſacros Miniſtros ſumere pacem ab Epiſcopo non autem ab Aſſiſtente, vt Craſſus docet; Sed ſiue loquatur Craſſus, & intelligat in Miſſa Epiſcopi Diœceſani, vel alterius, vt Suffraganei, non habet pro hoc tempore bonam regulam, quia celebrante Diœceſano dat pacem omnibus Miniſtris Canonicis, celebrante verò inferiori Prælato, vel Suffraganeo pacem dat ſoli Aſſiſtenti ſi ſit Canonicus, vt eſſe debet, qui dat pacem prius Choro, mox Diacono, vt fit etiam in Cappella Papali.

Stat etiam contra hanc ſententiam *Cerem. Ambroſ. lib. 1. de Off. Aſſiſ. in Miſ. Pontif.* quod docet Aſsiſtentem in Miſſa Pontificali acceptam pacem dare priùs Gubernatori, tùm Epiſcopis, ſi fortè adſint, deinde ſingulis Canonicis prioribus in eorum ordinibus &c. tùm Diacono Euangelij. Stat contra eos pariter vſus Cappellæ Papalis in qua non celebrante Papa pax non datur per Cardinalem, vel Epiſcopum niſi Aſſiſtenti, qui eam dat non primò Diacono, ſed Cardinalibus, ac Prælatis, & duobus ceremoniarum Magiſtris; priuſquam illam det Diacono Ceremoniarius *Marcel. lib. 3. ſect. 5. cap. 3.*

Ex his ergo contra hanc priorem ſententiam ego colligo pacem priùs exiſtentibus in Choro dandam eſſe quám Miniſtris Altaris ſicuti obſeruatur in diſtributione thuris, quæ cum pacis oſculo ambulat pari paſſu *Cerem. Epiſ. libr. 1. cap. 24.* limita tamen exiſtentes in Choro ad ſolos Canonicos, ſi Canonicus ſit qui eam defert, nam Beneficiati recipient eam ab aliquo Acolytho, vel Ceremoniario, vt habet Ceremoniale ibidem; Eſt enim alia ratio, qua pax priùs Choro danda eſt, quam Miniſtris Altaris, & eſt, quia præſente Epiſcopo pax priùs datur toti Choro quàm

Miniſtris

Miniſtris Altaris, & vbi Epiſcopus Canonicos, & conſequenter Presbyterum Aſſiſtentem non habet, illam accipit non quidem à Diacono, ſed à Subdiacono, qui illam accipit à Sacerdote, & dat Diacono poſt Chorum *Bauld. par. 5. ex 2. lib. Cerem. cap. 9. art. 2. num.* 15. ergo ex his benè colligitur pacem dandam eſſe priùs Choro.

Neque dicas regulam Rubricæ, cui conformari in primis tenemur, docere, quod pax primò Miniſtris Altaris, quàm Choro ſit danda, vult enim priùs dari Diacono, deinde Subdiacono. Reſpondeo quod ex hoc, quod Diaconus, & Subdiaconus habeant pacem ante Chorum, malè arguitur pax priùs competere Miniſtris Altaris, quàm Choro, & mecum ſentiunt illi, qui volunt vltimo loco pacem dari Aſſiſtenti; Ratio eſt, quia Aſſiſtens Epiſcopi eo non celebrante, ſed præſente accipit pacem ante Epiſcopum, Cardinalis aſſiſtens ante Papam; Subdiaconus in defectu Aſſiſtentis Epiſcopi ante ipſum Prælatum, & Miniſter in Miſſa priuata ante ipſum Prælatum, & Principem, ergo ex eo quod aliquis habeat pacem ante alium, non arguendum eſt, quod pax competat primò illi, qui eam habet primò. Quis enim dixerit pacem competere priùs Aſſiſtenti Epiſcopi præſentis, quàm ipſi Epiſcopo? ergo eam prius habent Miniſtri, vt deferant quibus debetur. Alia ratio eſt, quia vnum Chorum cum Celebrante faciunt etiam Ceremoniarius, & Acolythi, & tamen hi ante Chorum non accipiunt pacem, ergo non priùs cunctis Miniſtris danda eſt; Nec competere priùs pax Miniſtris, quàm Choro colligitur ex hoc, quia Canonicus Subdiaconus dat pacem Canonicis tantùm præſente Epiſcopo, tùm Diacono, non Beneficiatis, qui poſt Diaconum eam accipiunt, ergo benè arguimus, pacem conuenire primò Choro quam Mini-

ſtris, ſi ſint pares, & in eodem ordine, & tandem Chorum cæteris paribus præferri Miniſtris, vt in thuris diſtributione clariùs apparet.

Nec valet quod Epiſcopo Miſſam Celebrante detur pax primò cunctis Miniſtris Altaris, quàm in Choro exiſtentibus; non valet inquam, quia eſt ſpecialis prærogatiua Epiſcopi in ſua Eccleſia exiſtentis, nam Celebrantes in Cappella Papali, etiam Papa abſente, vni Aſſiſtenti dāt pacem *Marcel. lib. 2. ſect. 1. cap. 3.* quæ Miniſtris Altaris datur vix per Ceremoniarium poſt alios plurimos; Præterquamquod etiam præſente Epiſcopo Miſſæ per alium decantatæ dat pacem duobus Diaconis ſibi aſſiſtentibus, & ratio eſt fortaſſe quia, qui cum eo vnum Chorum faciunt, non debent ab alio pacem accipere; ſtet ergo quod pax danda eſt priùs Choro quam Miniſtris; At propriè loquendo neque datur pax primò Miniſtris Altaris, quàm alijs de Choro in Miſſa Pontificali, cum eodem tempore, quo pax fertur ad Chorum, datur per Epiſcopum Miniſtris Altaris, immò aliquando datur primò exiſtentibus in Choro, & longè poſt Miniſtris, & hoc fit ſi communionem accipiant ab Epiſcopo, à quo pacem non habent niſi accepta ſacra Hoſtia, *Cerem. lib. 1. cap. 24.*

Secunda ſententia eſt contra vſum Cappellæ Papalis, vt tradit Marcellus, & egomet vidi ſæpe ſæpius; eſt etiam contra Ceremoniale Epiſcoporum, ex quo habemus pacem dari primò Aſſiſtenti, quæ regula accomodari debet Aſſiſtenti etiam alterius Celebrantis non Epiſcopi, quia Ceremoniale eſt regula communis Epiſcopo, & alijs Sacerdotibus, dummodo quæ ſunt peculiaria dignitatis Epiſcopalis omittantur, & tantò magis eſt regula pro Sacerdotibus, quanto minùs Rubrica nihil propè de Aſſiſtente loquitur,

quitur; vt diximus de Regulis Rituum. Eſt etiam contra Rubricam Miſſalis *Gen. par. 2. tit. 10. num. 9.* quæ docet Aſſiſtentem accipere pacem. At dices Rubrica dicit de Miſſa Pontificali. Reſpondeo quod Miſſa cum circumſtantia Aſſiſtentis, quoad hanc circumſtantiam, poteſt dici Miſſa Pontificalis, quia eſt circumſtantia, quæ Prælatis, & Pontificibus conceditur. Eſt etiam hæc regula contra Ceremoniale, quod conijcitur ex eo, quia Aſſiſtens in Miſſa, cui præſens eſt Epiſcopus, pacem accipit ab Aſſiſtente Epiſcopi, & dat cæteris, ergo officium pacis recipiendæ eſt Aſſiſtentis, non Diaconi, vt vult Piſcara.

Tertia ſententia eſt primò contra conſenſum communem Doctorum. Secundò eſt contra vſum Cappellæ Papalis, in qua, vt ſupra dixi, abſente etiam Papa pax datur ſoli Aſſiſtenti, qui eam dat cæteris. Tertió contra Rubricam Miſſalis, quæ docet à Sacerdote dari pacem tantùm Diacono, ergo non omnibus Miniſtris, nam ſi etiam Sacerdos daret pacem omnibus Miniſtris, daret illam etiam Subdiacono.

Quarta ſententia eſt Gauanti in recentioribus, quem ſequitur Corſettus; ſed in cunctis non ſubſiſtit; ratio eſt, quia aliquando datur Aſſiſtens abſque pluuiali, vt ſuo loco diximus, cuius non eſt officium accipiendi pacem, vt docet Bauldrius, & *Cerem. Cleric. Regul. S. Pauli lib. 1. cap. 3.* & fortaſſe, quia, vt alibi diximus, paratis Miniſtris debet in omnibus cedere non paratus.

Dices: *Decretum Sacr.* Cong. *Rit.* ſtatuit indefinitè, ergo de quocumque Aſſiſtente eſſe intelligendum. Reſpondeo Sacram Congregationem reſpondere ſæpè iuxta petita, & iuxta rationes allegatas, vel conſuetudinis, vel qualitatis

Digitized by Google

Perſonæ; quæ reſponſiones, quamuis ſint ex nobiliſsimo, & maximæ authoritatis tribunali, non idcircò illimitatæ ſunt, ſed coarctantur ad tales, & tales circumſtantias, iuxta quas reſponſum fuit, ex quo fit, tutum non eſſe ad omnes caſus eas applicari poſſe, ratione præcipuè aliqua in contrarium ſtante.

In hac Doctorum diſſenſione ſtatuere placet, primò quod docent Auctores quartæ ſententiæ, quando Aſſiſtens ſit paratus, & in eodem Ordine cum Diacono, & Subdiacono, quod eſt in vſu, etiam in Cappella Papali, quoad acceptionem, quamuis non quoad delationem. Si inferioris ordinis, puta Cappellanus, cum Miniſtri ſint Canonici, pacem accipit Diaconus, qui illam dabit Subdiacono, per quem defertur ad chorum, poſtremò dabitur Aſsiſtenti per Ceremoniarium, quod ſeruabitur item ſi non fuerit paratus, ſed cum cotta.

Ratio primi eſt, quia ſic Ceremoniale Epiſcoporum docet, & in eo caſu Aſsiſtens eſt in eodem ordine cum Diacono, & Subdiacono, ſecundò, quia ſic placuit Sacræ Rituum Congregationi, tertiò, quia in Miſſa abſque Aſsiſtente pax datur digniori, ergo ex his colligitur, pacem dãdam eſſe Aſſiſtenti prout digniori; quod verò deferatur per Subdiaconum, non per Aſsiſtentem contra vſum Miſſæ Pontificalis eſt, quia in ſolemnibus Miſsis Sacerdotum non Pontificum pax ſolet deferri per inferiorem Miniſtrum, quãuis per digniorem ſumatur à Celebrante, vt Sacr. Cong. cui conſonat *Cerem. Canon. Reg. Congreg. S. Saluat. cap.* 18. *de Officio Presbyt. Aſſiſt.* Ratio ſecundi eſt, quia dignior eſt Diaconus Aſſiſtente, & Aſsiſtens in miſsis Sacerdotum datur principaliter, vt libro aſsiſtat abſque præiudicio Miniſtrorum, qui ex Craſſo *lib.* 2. *cap.* 14. in cunctis de-

bent

Digitized by Google

bent præferri, & pax ſemper danda eſt digniori, vt docet Rubrica Miſſalis, & Ceremoniale, ergo Diaconus eam accipiet &c. Quod autem non deferat illam Aſſiſtens, vt inferior Miniſter, eſt quia datur in *M*iſſis Sacerdotum, vt præcisè libro aſſiſtat, ergo eam ferre non debet librum deſerendo, vices alterius ſubeundo, & proprias non implendo; Neque dicas Aſſiſtentem in *M*iſſa Pontificali pacem deferre, quamuis etiam ipſe detur principaliter, vt de libro ſeruiat, ergo idem dicendum eſſe de Aſſiſtente, de quo loquimur. Reſpondeo hoc non benè argui ex illo, ratio eſt, quia Aſſiſtens Epiſcopi alias functiones facit, tùm ad ſedem, tùm ad Altare; Aſſiſtens verò de quo ſermo eſt nullam aliam functionem facit, quam libro aſſiſtendi; alia ratio eſt, quia Aſſiſtens Epiſcopo maior eſt omnium *M*iniſtrorum, Aſſiſtens Sacerdoti, vt ſupponimus, in hoc caſu minor eſt omnibus, & pacem ferri à digniore vidimus in *M*iſſa Pontificali, ex Ceremoniali; in Miſſa verò Sacerdotum ab inferiori, vt habet Rubrica.

Quod autem Sac. Rit. Cong. ſtatuerit, Aſſiſtentem accipere pacem, intelligendum eſt ſi ſit in eodem ordine cum *M*iniſtris, quia non eſſet æquum *M*iniſtrum inferiorem ſumere pacem, niſi etiam illam ferret ad Chorum, quod tamen non conuenire ſenſit Sac. Cong. vt Gauant. & Corſet. ibidem docent.

Digitized by Google

CAPVT III.

De Incenſatione.

ALiqui, & Rubricam in ſua commentaria, & Altaris formam cum omnibus circumſtantijs retulere; hæc nos breuitate ſtudentes omittimus, nam Rubrica *Miſſalis* clara eſt, & omnibus obuia, ideò non videtur indigere explicatione, addo ergò

Quòd in Altaris incenſatione, in quo Sacramentum aſſeruatur, non tantùm fit genuflexio quandocumq; Sacerdos tranſit ante Crucem, vt habet expreſsè Rubrica, ſed etiam poſt incenſationem Crucis, priùſquam thurificet Reliquias, quamuis à medio non diſcedat. Ratio eſt, vt ſeruetur vniformitas in prima & ſecunda reuerentia, tùm quia ex *Rub.gen.par.2.tit.*7.10. genuflectit poſt incẽſationem oblatorum incipiens adolere Crucem, quamuis ſtet, nec tranſeat ante medium.

Quæſitum eſt, an nomine Reliquiarum, & Imaginum incenſandarum veniant Reliquiæ tantùm inſignes, & Imagines tantùm exculptæ. Pro quo dico nomine Reliquiarum comprehendi, etiam non inſignes. Ratio eſt, quia Reliquiæ, quæ ponuntur ſuper Altaria in vaſculis, & philacterijs, ponũtur ad ornatum Altaris magis, quàm ad venerationem, & adorationem, & magis attenditur Philacterium, quàm Reliquia, & proinde ſufficit, quæcumque Reliquia ſit in philacterio, tum etiam, quia quæuis Reliquia etiam non inſignis cultum, & adorationem meretur, ac conſequenter incenſationem. Intellige tamen, quod

dictum

Digitized by Google

dictum eſt de incenſatione Reliquiarum non inſignium, non intelligi de minutiſſimis cineribus,& oſſiculis,vt docet *Cerem. Cleric. Regul. S. Pauli lib.* 1. *cap*, 1. *de Incenſ.* Ad ſecundum reſpondeo affirmatiuè *Gauantus par.* 2. *tit.* 4. *in num.* 5. & quamuis rationem non afferat, poteſt tamen duci ex *Ceremon. Epiſ. lib.* 1. *cap.* 12. vbi Imagines ad ornatum Altaris adhibendæ, & inter candelabra collocandæ, dicuntur eſſe ex argento, vel auro, vel alia materia, ergo exculptæ non depictæ.

Certum ergò eſt, Sanctorum Statuas, & Reliquias in Altari poſitas iuxtà normam traditam in Ceremoniali, & infrà per nos tradendam,cum de Altari agemus,eſſe thurificandas quotieſcumque incenſatur Altare,quidquid contradicant aliqui, volentes incenſari tantùm cum oblatis, quorum allatum pro ſe Decretum Sacræ Rituum Congregationis cum in forma authentica adhuc exhibitum non ſit, nos vtique Rubricarum præceptis non ſoluit. Dubium nunc eſt, an vbi habetur vna tantùm Reliquia, aut Sacra Imago, quæ ad venerationem retro Crucem in Altari collocatur, ſit incenſanda diuerſo modo, ab eo qui præſcribitur à Rubrica.

Viſum eſt aliquibus affirmatiuè reſpondendum; ratio eorum erat, quia ſicuti poſt incenſationem Crucis, & Reliquiarum Celebrans ter ducit thuribulum contrà candelabra, quæ ſunt à medio ad cornu Epiſtolæ, quod idem ſeruatur in alijs, ſiue tria, ſiue plura, vel pauciora ſint candelabra; ità ſiuè vnum ſint, ſiuè duo tabernacula, aut plura Reliquiarum eamdem Rubricarum Regulam ſeruandam eſſe; Addebant quod ſicuti creſcente numero philacteriorum, non multiplicantur ductus, ità decreſcente numero, pauciores non erant faciendi. Verum hæ rationes non

Digitized by Google

vrgent; Non primò, quia thurificatio triplex poſt Crucem, & Reliquias non præſtatur candelabris, ſed parti poſteriori Altaris, vt ex Rubrica patet, ergo candelabra impertinenter ſe habent ad thurificationem, quid ergo mirum ſi variato etiam candelabrorum numero non mutatur modus thurificandi, cum idem remaneat obiectum thurificandum, videlicet poſterior pars Altaris? In noſtro autem caſu mutatur obiectum thurificandum; Quod autem Rubrica addat: *prout diſtribuuntur candelabra*, id habet, vt ductus thuribuli, quoad diſtantiam inter ſe ordinate fiant. Non ſecundò, quia quòd Rubrica doceat eoſdem ductus dandos eſſe, tùm ſi quatuor, cùm ſi ſint duo, ſex, vel octo tabernacula id tradit inhærendo Regulæ, quam dat Ceremoniale de Altaris ornatu, vt ſcilicèt hinc inde collocentur, mediamque habeant Crucem, quòd ſi diuerſus ſe ruetur modus ornandi Altare diuerſus etiàm thurificandad-hiberi poterit, vt infrà patebit.

Dixerunt alij, non eſſe incenſandam, ſicuti Icon retrò crucem poſita non incenſatur, in cuius iura videtur ſuccedere Imago, & Reliquia. Atqui hi placere non poterant, quia ex antiquiſſimo vſu Eccleſiæ incenſantur Imagines exculptæ, & Reliquiæ, non Imagines pictæ quamobrem argumentum non valet ab Imaginibus pictis ad exculptas.

Dicendum ergo duplici ductu eſſe thurificandam, ſicuti ſi eſſet in altero altaris latere. Ratio eſt quia ob loci mutationem ius, quod habet ad venerationem, non diſperdit. Sic etiam tradit *Ceremoniale Seruor. B. M. cap. Rit. Coron. Imag. B. M. Sabbatho Sancto; Totin. lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 14. qui tamen vult ſemel à dexteris, & ſemel à ſiniſtris duci thuribulum. Ego tamen conſuetudini Seruitarum ad hæreo, quia ſic Reliquia propriè dicitur incenſari, quando

contra

contra eam ducitur thuribulum, tùm etiam quia Ceremoniale Seruitarum eſt approbatum tùm ab vniuerſa Religione, tùm à Sacra Rituum Congregatione, vt ipſi dicunt, & legitur in fronte libelli, quibus adde *Brailon. par. 1. ſect. 2. cap. 1. num. 30.*

Dices quid agendum quando cum ea collocata in medio, aliæ hinc inde habeantur. Reſpondeo, regulam Rubricæ eſſe ſeruandam, bis ducendo thuribulum ad dexteram Altaris, bis ad ſiniſtram, cum intentione thurificandi collocatam in medio ſimul cum ijs, quæ ſunt in latere Euangelij; Nec dubites an propriè incenſetur, quamuis contrà illam non ducatur recta linea thuribulnm; quia in incenſatione plurium Perſonarum, quæ habentur pro vno obiecto, non habetur reſpectus ad ſingulas Perſonas, ſed potiùs ad locum, iuxtà quem ductus diſtribuuntur, vt fit quando ſex, aut octo Statuæ, aut Reliquiæ ſunt in quouis latere Altaris, vel Populus incenſandus in Eccleſia.

Quæſiuit quidam Parochus, an eſſent incenſandæ imagines Angelorum poſitæ in Altari. Dubium in hoc non cognoui, quia Imagines ſunt, & quidem Sanctorum, vt ab Eccleſia dicuntur, & vti verè & propriè ſunt tales; Addo quod etiamſi candelas ſuſtinerent accenſas, nihilominus thurificari debent, ſicuti Imagines Sanctorum in tormentis, & ſub tortoribus poſitas veneramur.

Obijciebat ille, eas, quæ à nobis Angelorum imagines dicuntur, verè non eſſe imagines, quia Angeli ſunt ſubſtantia ſpiritualis, quam obiectum materiale repreſentare non poteſt, ſed argumentum hoc ſatis ſolutum fuiſſet ſola auctoritate Eccleſiæ allegata, quæ Sanctos Angelos, & exculpit, & pingit, tamen, & paritate, & ratione ſatisfeci. Pari tas fuit: Non minùs ſubſtantiam eſſe ſpiritualem Pa-

trem,

trem, & Spiritum Sanctum, ad quam repreſentandam ſicuti eſt in ſe, quodcumque obiectum materiale eſt improportionatum, & tamen Patrem, vt ſenem pingi, Spiritum Sanctum in Columbæ ſpecie, ergo etiam Angelos iuuenili forma prudenter repreſentari. Ratio autem hæc erat: Illas eſſe veré, & dici Imagines alicuius, quæ cum eo habent talem conformitatem, & proportionem, vt habeant illum repreſentare poſſe, ſicuti nunc eſt, aut aliquando fuit, eo nempe tempore, ſitu, geſtu, ſtatura &c. ad quam prototypum habet relationem; Sic imago Ieſù Chriſti in Cruce, ad columnam, in præſepio vera eſt eius imago, quia etiãſi nunc temporis non ſit ſtatura puſillus, non manicis vinctus, non paſſibilis, fuit tamen aliquando, & conformatur cum Prototypo reſpectu talis temporis. Item eam eſſe veram imaginem alicuius, quæ repræſentat eum in ea forma, in qua aliquando demonſtratus eſt, ſic Imago dicitur Spiritus Sancti forma Columbæ, quia baptizante Ioanne Chriſtum in Columbæ ſpecie viſus eſt. Sic imago faciei Moyſis cornuta ob radios, vera eſt eius imago, quia aliquando cornuta viſa eſt, & eſt vera, quamuis ſplendor ille aduentitius eſſet, & Moyſes cum eo eſſet, vt perſonatus. Sic qui bouem in deſerto cum quibuſdam circumſtantijs efformaret, vt imaginem exprimeret Nabuchodonoſor Regis, veram diceretur imaginem eius efformaſſe. Cum ergo iuuenili ſpecie ſæpe Angeli apparuerint hinc eſt, quod eamdem formam imitatur Eccleſia, non intendens mentiri eorum ſubſtantiam, ſed eam ſpeciem exprimere, qua aliquando apparuere mortalibus. Quod autem huiuſmodi imagines adorari poſſint patet, quia aliàs nec Spiritus Sanctus ſub Columbæ ſpecie adorandus eſſet, nec Pater Æternus ſub forma ſenis, ſub quibus ab Ec-

cleſia

cleſia adorandi proponuntur; adoratio enim imagini præſtita fertur ſemper in prototypum. Acquieuit ille dictis; & omnem hæſitationem depoſuiſſe confeſſus eſt.

Quæſiuit alter, qui præſens his fortaſſe erat, quomodo incenſandæ eſſent Imago exculpta Titularis ſuæ Eccleſiæ, quam retro Crucem die eius feſto collocabat, & Reliquia inſignis eiuſdem Sancti, quam ante imaginem ponebat. Reſpondi, incenſata Cruce, duplici tantùm ductu colendas eſſe Imaginem ſimul, & Reliquiam, primò quia plures Reliquiæ in vno cornu altaris poſitæ duobus vicibus incenſantur; ſecundò quia quamuis in ſe, & materialitèr conſiderata duo ſint obiecta thure afficienda, conſiderata tamen prout habent reſpectum ad eum Beatum, in cuius gratiam adorantur, quem reſpectum quæcumque Imagines eſſentialiter habent, ex eo quod ſunt Imagines, pro vnico obiecto habentur. Sed pro communi praxi thurificationis noto quod.

In thurificatione oblatorum Crux non fit per quatuor puncta declinando thuribulum ad latera calicis, vt vult *Craſſus lib.* 1. *cap.* 47. ſed per duas omninò rectas lineas, aliàs enim non formatur Crux ſed duo ſemicirculi ſic , per quos Crux non componitur, nam Crux dicit non tantùm duas lineas ſe inuicem decuſſantes, ſed duas rectas; circumducendo thus oblatis thuribulum demittit, illudque ponat inter ſe, & Calicem, & ducendo per latus Epiſtolæ, & per partem poſteriorem Altaris ad cornu Euangelij duos facit circulos, tertium veró ducendo thuribulum per latus Euangelij ad latus Epiſtolæ, & Diaconus interim manu pedem calicis tenet; ſic Craſſus cum Gauanto habent, & alij comunitèr.

Regulariter in Miſſa ter fit incenſatio; Ante Introitum primo;

mò; ſecundò ante Euangelium; tertiò ante manuum lotionem; fit etiam ab Acolytho ad eleuationem. Aliquando tamen ſolet omitti prima in Miſſis etiam ſolemnibus, nempé diebus profeſtis, quod cum fiat ob maiorem breuitatem nullo modo laudare poſſumus, quam tamen in Miſſis, quæ cantantur ſine Miniſtris omitti non detrectamus, vt docet *Cerem. fr. mino. par.* 2. *cap.* 12. Pro ſecunda Celebrans ponit incenſum ſtans in cornu Epiſtolæ finito tractu, vel graduali, & incenſatur ſtans in cornu Euangelij facie ad Aquilonem conuerſa.

Placet hic indagare, vtrum ante quam Sacerdos exeat de Sacriſtia imponat, & benedicat incenſum in thuribulum, & pergat ad Altare pręcedente Thuriferario, contra id, quod docet *Brailon. par.* 2. *cap.* 4. *num.* 1. 2. I. quod ſentiat eſſe ritum Epiſcopalem, II. quia id non docet Rubrica Miſſalis, III. demum quia non eſt in vſu in Baſilicis Vrbis.

Sed cur nam eſt ritus Epiſcopalis? an ne quia id notatur in *Cerem. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 8, ſed contra eſt quod docuimus *Par.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 2. quod ſcilicet, quæ traduntur in Ceremoniali, competunt etiam Sacerdotibus non Prælatis niſi ſint ſignum iuriſdictionis, vel dignitatis, aut Ordinis, cum ergo thuribulum non ſit ſignum huiuſmodi, aliàs neque in proceſſionibus præferretur Sacerdotibus, ſimplicibus, vt ipſe Brailon hic docet, patet eo vti poſſe etia m Sacerdotes.

Nec dicas ideò adhiberi thus in proceſſione Epiſcopi ad Altare, quia Crux illi præfertur, vt docet *Cerem. lib.* 2. *cap.* 8. Crucibus enim in proceſſione ſemper præfertur incenſum, vt docuit *Caſal. de vet. Chriſt. rit.* Reſpondeo enim primò, olím non fuiſſe in vſu delationem Crucis, vt colligitur ex *Innoc.* 3. *lib.* 2. *de Myſt. Miſ. cap.* 8. vbi ait: *præferuntur*

runtur cerei, & incenſum, & Durand. lib.4. cap.6. num.2. qui dicit: *Procedit Epiſcopus, & Sacerdos ad Altare præcedente Thuriferario, & Ceroferarijs*: nihilque dicunt de Cruce, & tamèn præferebatur incenſum Pontificibus, imò etiam Sacerdotibus, vt docet Durandus citatus. His adde *Cardin. Bonam rerum lit. Append.* 1. Reſpondeo ſecundò, etiam cereos circumferri Cruci in proceſſionibus, vt docet *Caſal. cit. & alij*, & tamèn præferri etiam Sacerdoti, & per *Innocent. & Dur. & Bonam* etiam Epiſcopis ſine Cruce accedentibus ad Altare, ergò idèm dicendum eſſe de incenſo.

Nec dicas mentionem fieri in Rubrica tantum de cereis; Reſpondeo enim in Rubrica poni, Ceroferarios præcedere Subdiaconum ad inſinuandum inter Sacros, & inferiores Miniſtros Sacerdotis, non intercedere Clerum Eccleſiæ, vt fit celebrante Epiſcopo, *Cerem. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 15. *lib.* 2. *cap.* 8. quod dilucide apparet ex diſpoſitione proceſſionis, nihil autem dici de Thuriferario cum id ſupponatur, ex Ceremoniali, quod eſt complementum Rubricarũ Miſſalis, vt diximus *Par.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 2. præcipuè cum talis vſus ſit antiquiſſimus, etiam apud Sacerdotes celebrantes iuxta ordinem Romanum *Card. Bona cit. in Appen.* 2. *Hugo de S. Vict. in ſpec. de Myſt. Miſs. cap.* 7. *lit.* C. & *Durand. cit. ſupra*.

Nec valet; in Baſilicis non adhiberi incenſum, quia, vt diximus *de regul. rit. Par.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 2. conſuetudo vniuerſalis, & propria debet præferri alienæ, cum ergo, vt ipſe Brailon fatetur, & vſus præferendi incenſum ſit communis, & ab omnibus Doctoribus requiſitus, & antiquiſſimus, vt dictum eſt, patet eſſe adhibendum.

Circa thuris benedictionem noto contrà Craſſum duo, nempè

nempè, & manu benedici, & verbis in Miſſalis præſcriptis *Craſ. lib.* 1. *cap.* 46. Nec obſtat quod ipſe dicit, nempe in Cappella Papali manu non benedici, non obſtat inquam, quia, quamuis Cappella Papalis ſit omnium Eccleſiarum Magiſtra, cuius quoque exemplo omnia reguntur, vt ipſe ait, tamen eius imitamur conſuetudines in his, quæ certis legibus nobis non præcipiuntur; poſitis autem peculiaribus ſtatutis non debemus eius conſuetudines ſeruare, ſtatutum enim contrarium obligat nos primariò ad patrandum id quod iubet, ſecundario ad non aſſentiendum contrarijs legibus vel conſuetudinibus, ſic Rubrica nos obligat ſeruare ea, quæ tradit, & conſuetudines quarumcumque Eccleſiarum negligere. Modo nihilominus in Cappella Papali incenſum manu benedicitur, ſi credamus *Marcello lib.* 3. *ſect.* 5. *cap.* 2. quod poſt hæc ſcripta dum Romæ eſſem anno 1681. vidi egomet ſeruari. Vti autem debemus forma deprecatiua in benedictione thuris cum figura Apoſtrophe, prout docet Rubrica.

Altaris incenſatio abſque feſtinatione, & capitis, ac corporis iactatione eſt facienda; ſiniſtra pectori admouetur, dextera veró quam poteſt proxima ſit vaſculo. Quando genuflectendum eſt tranſeundo ante medium Altaris, ei ſiniſtra ſuperpoſita ſuſtentatur Celebrans.

Ter Sacerdos incenſatur in Miſſa; ſemel Clerus, & populus; hic ab Acolytho, ille à Diacono Euangelij poſt thurificatum Celebrantem, contrarius enim vſus damnatus eſt *à Sacr. Cong. Rit. die* 15. *Martij* 1608. Celebrans tribus ductibus non præſente Ordinario, aut maiori; Parochus item præſens Miſſæ ſolemni triplici vbi ſit immemorabilis conſuetudo, quamuis duplici tantùm incenſandus eſſet

ſi. uti

ſicuti Vicarij Generales etiam Apoſtolici *Gauant. in Enchir. V. Miſſa conuentualis*; vbi tamen nulla eſt diſpoſitio, conſuetudo vim legis habet, quapropter tres ductus habebit; vt docent aliqui *Polac. par.2. cap.3. Bauld. par.2. cap.9. art.5. num.19.* Et vt in ſimili decreuit *Sacra Rituum Congregatio die 20. Nouembris 1610.* ſcilicet de Præpoſito abſente Epiſcopo. Quot ductibus incenſandi ſint exiſtentes in choro? Gauantus docet vnico, & Diaconum, & Subdiaconum duplici. Piſcara vno tantùm Diaconum, & vno Subdiaconum. Bauldrius vnico ductu Sacerdotes, niſi conſuetudo alia ſit, quia eo caſu duplici eſſe incenſandos docet. *Gauantus par.2. tit.7. num.10. lit. C. Piſc. lib.2. ſect. 2. cap.2. num.15. Bauld.* ibidem Et quidem omnes iſti Doctores loquuntur extrà Collegiatas, nam pro Collegiatis, & Cathedralibus ſufficit regula Ceremonialis.

Ego autem eorum neutri plenè aſſentior. Non quidem Gauanto, quia Canonici non parati in Miſſa per Canonicum coram Epiſcopo celebrata incenſantur duplici ductu, non minùs ac ipſe paratus, quod eſt ſine controuerſia. Item in Veſperis à Canonico cantatis ſolemniter in Collegiatis, vel in Cathedrali abſente Epiſcopo Celebrans triplici ductu, reliqui Canonici duplici, & Beneficiati omnes, tùm parati, cùm non parati vnico ductu incenſantur, vt colligitur *ex. Cerem. Epiſ. lib.2. cap.3.* ergo ex eo quod aliqui ſint parati, alij non, non eſt deſumenda regula numerandi ductus thuribuli, niſi reſpectu Celebrantis, qui ſemper in Prælati abſentia tribus ductibus honoratur; Deſumitur autem regula ex qualitate Perſonarum ad inuicem, & reſpectiue conſiderata, quia in Cathedralibus vbi ſunt Canonici, & Beneficiati, omnes Canonici dupli-

Digitized by Google

ci, omnes Beneficiati vnico ſunt incenſandi; In Parochiali verò, Sacerdotes, etiã ſi miniſtrent, vt Diaconi &c. duplici, quia Choriſtis æquales ſunt, ſecus autem ſi Miniſtri non ſint Sacerdotes, ſed in ordine Diaconali, & Subdiaconali.

Dices: Ceremoniale docet incenſari Beneficiatos vnico ductu. Reſpondeo id docere, quando adſunt Canonici; quibus duplex ductus debetur; quapropter ſicuti non bene argueret, qui Canonicos Collegiatarum diceret ſemel incenſandos, quia in præſentia Epiſcopi, & ſuorum Canonicorum ſemel incenſantur *Gauant. in Enchir. V. Abbas; Piſc. lib. 1. ſect. 9. cap. 7. num. 3.* etiamſi ſint in propria Eccleſia, ſic neque bene arguit, qui ex numero thurificationum Beneficiatis, aut alijs Presbyteris non Canonicis debitarum in concurſu horum cum Canonicis arguit eamdem regulam ſeruandam eſſe etiam Canonicis abſentibus.

Regula ergo poſita bis incenſandi Sacerdotes in Parochialibus duplex habet fundamentum. Priùs eſt quod incenſato Celebrante dignioribus duplex exhibetur thuris ſuffitus, ſic in Cappella Papali Cardinalibus, in Metropolitanis, Cathedralibus, ac Collegiatis exhibetur Canonicis, in Eccleſijs Regularium Monachis vt docet *Totinius &c Cerem. Canonic. Regul. S. Saluatoris cap. 24.* Poſterius eſt, quod ij, qui bis incenſantur, in conſpectu maiorum ſemel tantùm habent thus, vt vidimus de Canonicis Collegiatarum in præſentia Canonicorum Cathedralis, & de Canonicis Cathedralis in præſentia Epiſcopi, & Cardinalis, quia Cardinalis ter, Epiſcopus bis, Canonici ſemel habent thuris honorem, vt in *Cerem. lib. 1. cap. 23.* expreſſe habetur. Sic Epiſcopus in Cappella Papæ vnicum habet ductum.

Digitized by Google

ductum. Ergò à contrario illi, quibus deberetur vnicus ductus thuribuli abſentibus maioribus duplicem habebunt.

Neque aſſentior Piſcaræ; Ratio eſt quia, vel exiſtentes in choro vnico ductu, vel duplici honorantur. Si primum, ergo non eſt bona hæc conſuetudo, vt vidimus ex Ceremoniali, & eſt corrigenda; ſi ſecundum, ergo etiam Diaconus, & Subdiaconus, quia pares ſunt exiſtentibus in choro, vt ſupponimus.

Dices: In Collegiatis, quæ vnicum ordinem habent Beneficiatorum non Canonicorum, conuenientibus ad chorum Sacerdotibus nullum beneficium habentibus, quomodo incenſandi ſunt Beneficiati, & non Beneficiati? Reſpondeo, pro hoc caſu facere regulam ſupra datam, videlicet digniores duplici, minùs dignos vnico ductu eſſe thurificandos. Sic apud Regulares Magiſtri duplici ductu honorantur, Sacerdotes non Magiſtri vnico *Cer. Fr. Min. par. 3. cap. 2. num. 2. & Cerem. Canon. Regul. cit.*

Poſt incenſatos Miniſtros cœteri omnes incenſantur Clerici in choro, ac demùm Populus. Si adſit Domicellus, aut Baro loci incenſabitur ſeruata conſuetudine.

Quæres vtrum expoſito Sanctiſſimo Sacramento in Altari incenſatio generalis ſit facienda. Dubitatum fuit in Eccleſia Mantuana, tùm quia in ſecundis Veſperis Feſti, & Dominicæ infrà octauam Corporis Chriſti omittebatur incenſatio chori, tùm quia dedecere videbatur, quod honorarentur homines thure, quo Deum modo coluerant. His tamen non obſtantibus.

Generalem incenſationem omittendam non eſſe ſentio. De hoc nihil habemus in libris authenticis, habemus tamen apud Auctores *Marcel. lib. 2. ſect. 2. cap. 15. Piſc. lib. 3.*

 ſect. 10.

ſect.10. cap.3. num.3. Gau. par.2. tit.14. num.7. & tit.7. num.7. lit.D. Cer. Fr. Min. par.1. cap.11. num.3. Poteſt etiam probari ratione, quia, vel incenſatio conſideratur prout eſt actus cultus, & honoris, vel ex parte ſignificationis, vel ex parte effectus, ſed ex quocumque capite licita eſt, & conueniens, ergo non eſt omittenda etiam expoſito Venerabili; Et quidem incenſatio prout dicit actum honoris ab obiecto ſpecificatur, ſic tendens in Deum cultus eſt Latriæ, exhibita Sanctis Duliæ, Sacerdotibus, & Populo cultus eſt ciuilis, vt dicit *Quart. par.2. tit.4. ſect.1. dub.3. §. Ad rationem*, & ex ſe patet, ergo incenſatio ex hoc capite non eſt inconueniens; Conſequentia probatione non indiget, quia minor in conſpectu maioris honore ſibi debito non eſt fraudandus; ſic in conſpectu Sacramenti incenſantur Reliquiæ Sanctorum; ſic cum Cruce Imagines Sanctorum, & Populus; ſic in præſentia Papæ quiuis, tùm Clericus tùm Laicus, ergo etiam in præſentia Sacramenti incenſari poteſt Clerus, & Populus. Si autem conſideretur ex parte ſignificationis nihil aliud demonſtrat, quam diffuſionem diuinæ gratiæ à Chriſto in nos, ergo incenſato Sacramento benè poſſunt incenſari Clerus, & Populus. Effectus autem eius eſt fugandi Dæmones, ergo neque ex hoc capite apparet inconueniens; ſicuti etiam aſperſio aquæ benedictæ, fit etiamſi ſit expoſitum Sacramentum. Quod autem incenſatio ſignificet diffuſionem gratiæ &c. & per eam Dæmones fugentur, habes apud *Innoc. lib.2. cap.17. Dur. lib.4. cap.31. num.1. & lib.4. cap.4. num.3. Bellar.* & poſt eum *Gau. par.2. tit.4. num.4. lit.B.*

CAP.

Digitized by Google

CAPVT IV.

De Reuerentijs.

REuerentiæ nomen genericum eſt, & habet ſignificare quoſcumque actus venerationis præſtitos per corporis, & capitis humiliationem; humiliationes autem huiuſmodi dupliciter exhibentur, aliæ per inflexionem genu dexteri vſque ad terram, aliæ per curuationem partis ſuperioris corporis, quæ quidem communiter ponuntur in triplici differentia, nempé primò in capitis curuationem, ſecundò in depreſſionem capitis, & humerorum, tertiò in profundam humerorum inclinationem, harum prima deſignatur per ea verba: *caput inclinat*: ſecunda per ea verba *parùm inclinatus*; *aliquantulum inclinatur*; *ſe inclinat*; Tertia per ly: *profundè inclinatur*.

Solius capitis inclinatio fit vbicumque ad ſanctum nomen Ieſu, Mariæ, Papæ viuentis, Sancti, de quo feſtum, vel Miſſa celebratur, vel fit commemoratio propria, ſed non in oratione, *A cunctis*; ad verſus *Gloria Patri*; ad *Oremus*, *Humiliate capita veſtra Deo*. In hymno Angelico in fine primi verſus, & ad quintum, ſextum, & finem decimi primi: In Symbolo in fine primi verſus, ad verbum *adoratur*, non autem ad ſequens. In præfatione ad verſum *Gratias agamus*, cum dicit: *Deo*: Ante conſecrationem panis, & vini, ad verbum: *gratias agens*: *Piſcara* vult *lib. 2. ſect. 7. cap. 6. num. 2.* caput tantùm inclinari ad *Agnus Dei*, & ad *Placeat*, ſed ex mox dicendis aliud ſentiendum eſſe patebit. Hæ inclinationes non omnes eodem modo fiunt, nam profundiùs caput inclinatur ad Sanctiſſimũ nomen *Ieſu* quàm ad alia; dicerem etiã quod

alij docent magis inclinandum ad nomen Mariæ, quàm Sanctorum; ſed in inclinatione tàm exigua non ſunt ponendi tot gradus, & diſtinctiones, caput tamen non humeri mouentur, vt aliquis ſcripſit, in quo tamen omninò celeritas eſt fugienda. Aliquando caput inclinatur verſus librum, ideſt in Euangelio dum legitur Ieſus; Extra Euangelium ad Crucem conuertimus caput, aliqui volunt etiã corpus aliquantulum conuerti: Fateor quòd vtrumque probabile eſt; tamen in Altaribus Eccleſiarum minorum in quibus Sacerdos ſtans in cornu Epiſtolæ habet pænè in conſpectu Crucem ſufficit modica capitis conuerſio; In Altaribus autem maioribus, quorum Crux nimis diſtat à Celebrante, non erit inconueniens etiam aliqualis modica corporis conuerſio in concluſionibus orationum, ad verſus *Gloria Patri*, non autem in medio Epiſtolæ, aut Introitus v. g; quia eo caſu ſatis erit caput Cruci inclinare, ne retardetur, aut interrumpatur lectio.

Secundum genus inclinationum, quod capitis, & humerorum modicam incuruationem requirit fit ad verſus: *Deus tu conuerſus*, & ſequentes; ad orationes *Oramus te Domine*: *In ſpiritu humilitatis*; *Suſcipe Sancta Trinitas*, ad *Sanctus* in fine Præfationis, & *Domine non ſum Dignus*; Item ad *Agnus Dei*, & *Placeat*, quia quamuis Rubrica generalis dicat *capite inclinato*, in Rubrica tamen propria in Canone dicit, Sacerdotem inclinatum ſtare, quod vt ſupra dixi, ſignificat capitis, & humerorum incuruationem.

Fit etiam huiuſmodi inclinatio, quotieſcumque tranſeundum eſt in Miſſa ante Crucem, quamuis contrarium aliqui doceant volentes, quòd ſicuti prima inclinatio eſt profunda; ſic ſint profundæ aliæ. Verum contrarium ego ſentio ea ratione, quia in Ceremoniali Epiſcoporum

lib. 1.

Digitized by Google

lib. 1. *cap.* 28. præcipitur introeuntibus in chorum genuflexio tranſeundo ante Crucem prima vice, inclinatio de cætero. *Gauant. par.* 2. *tit.* 2. *num.* 4. *lit.R.* & *Piſc. lib.* 2. *ſect.* 7. *cap.* 6. *num.* 4. volunt profundè inclinari Bauldrius non omninò profundè *par.* 3. *cap.* 5. *num.* 8. Dices quandocumque ſolemniter Celebrans de Altari ad ſedem vadit, & è contrà profundè inclinat ex communi ſententia, ſed hoc fit, quia tranſitur ante Crucem, ergo in quouis tranſitu ante Crucem profundé eſt inclinandum. Reſpondeo, quòd quiuis acceſſus, & receſſus ab Altari ſortitur eandem naturam primi, ſicuti enim genuflectendum eſt primò introeunti ad Altare, ſic redeunti ad illud à ſede, ſi in eo aſſeruetur Sacramentum, quamuis ante Crucem tranſeunti de vno ad aliud cornu ſit tantummodo inclinandũ; Sic etiam profundè eſt inclinandum, quotieſcumque reditur de ſede ad Altare, & è contra; non autem quando tranſitur de vno ad aliud cornu. Nec officit, quòd faciens abſolutionem ad tumulum profundè inclinat Cruci ante illam tranſiens, vt aliquis opponit, ratio eſt quia non valet argumentum à ritu in Miſſa, ad ritum extrà Miſſam, vt patet conſideranti.

Profunda inclinatio exhibetur à Sacerdote Cruci exiſtenti in Sacriſtia, & ad Altare, tùm in acceſſu, tùm in receſſu, & fit initio Miſſæ ad *Confiteor* vſque ad *Miſereatur* dictum à Miniſtro incluſiuè, ad *Munda cor meum*, *Te igitur*. Polaccus, & Angelus addunt ad *ſupplices te rogamus*, quibus aſſentior, quia quamuis Rubrica generalis dicat: *inclinat ſe*: in Rubrica tamen poſita in Canone inuenio profundè inclinari, quæ vti regula proximior celebrationi debet præferri Rubricæ generali.

Fit alio modo reuerentia genuflectendo vſque ad terram regula-

gulariter genu dextero; nam aliquando ambo etiam curuantur, videlicet quando in genuflexione immorandum eſt aliquo temporis ſpatio; fiunt autem genuflexiones, ſicuti inclinationes non properanter, non audacter, non humeros nimis curuando, non pedem dexterum magis quàm par eſt retrahendo, ſed grauiter, quietè, humiliter, & modeſtè, vt ipſe modus reuerentiæ, & quæuis circumſtantia conſonet actui tantæ humilitatis. *Angelus par.* 2. *cap.* 11. vult cum genuflexione fieri capitis inclinationẽ; *Polaccus* vult genuflexionem fieri abſque inclinatione *par.* 1. *cap.* 12. *Angelus* nititur probare id faciendum ex ipſis verbis Rubricæ, dicit enim poſt factam conſecrationem: *genuflexus Sacramentum veneratur*: ex quo loquendi modo, & ſignanter ex ly veneratur vult, ſignificari capitis inclinationem præter curuationem genu. Addit capitis elationem, & ſtabilem vultus altitudinem ſignum humilitatis non præſeferre. At ego ſentio per ea verba Rubricæ ſignificari partìm actum exteriorem genuflexionis, partìm internum ideſt adorationis, quod ſignificatur per ly *veneratur*, & *adorat*. Cæterùm religioſiùs eſſe magiſque pium genuflexionem cum modica inclinatione præſtare, vt communitèr omnes docent, etiamſi extrà Miſſam loquantur *Cer. Fr. Min. p.* 4. *cap.* 11. *num.* 21. *Piſc. lib.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 4. *num.* 2. quibus ego nec aſſentior, nec diſſentior. Mihi ſatis erit dicere hos Auctores inclinationem capitis addere auctoritate Ceremonialis Epiſcoporum, quod ipſi citant *lib.* 1. *cap.* 18. & tamen certum eſt Ceremoniale in loco citato ſolam mentionem facere de capitis inclinatione, vt quiſquis facilè videre poteſt, ſed omninò extrà Miſsam.

Hac regula Celebrantibus ſatisfactum eſt, ſed aliquid ad-

den-

Digitized by Google

dendum eſt pro Miniſtris paratis; Has ergo regulas damus, quarum prima eſt. In quouis tranſitu ab vno ad aliud cornu ante Crucem genuflectendum eſt. Regula hæc exemplis nec ratione eget.

Secunda regula eſt: In quouis acceſsu ad medium Altaris à Presbyterio, Choro, credẽtia, & Sacriſtia, & è contra in regreſſu à medio Altaris ad dicta loca sẽper eſt genuflectendum ante receſsum ab Altari, & poſt acceſsum: ſic primò accedentes ad Altare finito Hymno, & *Credo* ituri ad ſedem in ſuppedaneo genuflectunt, reuertentes ad Altare ad vltimum gradum idem præſtant. Sic Subdiaconus cantaturus Epiſtolam accepto libro vadit ad medium infimi gradus, & genuflectit, quò redit etiam cantata Epiſtola; Diaconus cum cæteris iturus ad cantandum Euangelium, & in regreſsu exceptò Subdiacono, quia habet Euangelicum textum. Diaconus item portans burſam Corporalium, & poſt rediens ad ſedem; Subdiaconus diſcedens ab Altari, vt vadat ad accipiendum calicem, non autem in regreſsu, quia ſtat inter medium Altaris, & cornu Epiſtolæ; item genuflectit in medio poſtquam deſcendit in planum accepta patena. Diaconus incenſato Celebrante venit propè medium Altaris ferè ad dexteram Subdiaconi, genuflectenſque abit, & rediens ad Altare idem præſtat. Subdiaconus vbi pacem accepit, ibidem genuflectit priuſquam diſcedat, & iterum in plano in receſsu à Choro; & reportando calicem ad credentiã, & Diaconus, & Subdiaconus procedentes finita Miſsa ad Sacriſtiam. Conſultò dixi in receſsu à medio, & regreſſu non quomodocumque, ſed à medio, nam recedentes à ſede Sabbatho Sancto euntes ad cornu Epiſtolæ, & è contra non genuflectere docet *Bauldrius par. 4. cap. 3. art. 3. num. 20.*

num.20. & par.3. cap.11. art.5.num.1. ſicuti etiam dicto *Introitu* quando ſedent, ſed tantummodò inclinare, quod placet, & alicubi in vſu eſt.

Tertia regula eſt: Quoties Miniſtri mutant locum in medio aſcendentes, vel deſcendentes genuflectunt tantũ priuſquam moueantur. Sic intonato Hymno, *Gloria*, & *Credo*, & in fine præfationis, necnon ad orationem Dominicam, & Subdiaconus dicto *Pax Domini*, priuſquam recedant à proprijs locis genuflectunt, & dicto Hymno, vel alijs quæ dicenda ſunt idem præſtant, priuſquam ad ea redeant, dummodò non ſtent ad Altare. Sic ſi calix ſit in Altare, & non dicatur Simbolum dicto *Oremus* genuflectit Diaconus, & vadit ad explicandum corporale. Sic deſcendens poſt Celebrantem ad *Pater noſter*, & Subdiaconus accedens ad accipiendam pacem genuflectunt ante acceſsum, & ante receſsum; hæc regula adeò eſt vera, vt etiam mutans locum vertens ſe, ideſt mutans ſe in loco eodem debeat genuflectere *per Gauantum par. 2. tit. 11. num.3. lit. R.* quod contingit quando Diaconus vertit ſe vt dicat. *Ite Miſſa eſt*, quod præcipuè Romæ eſt in vſu. Excipe ab hac regula duos caſus, videlicet quando Subdiaconus data pace Acolytho priùs aſcendit ad Altare mox genuflectit, & quando Celebrans cedit locum Diacono extendenti corporale cum non dicitur Simbolum, vel ſi dicatur, & ſit calix in Altari, quo caſu recedens à medio, & rediens ad medium non inclinatur, ſi ſit tamen Sacramentum expoſitum ſemper genuflectitur. Vide *par.2.ſect.6.cap.1.*

Quarta regula eſt. Tranſeuntes ſinguli ab vno cornu, vel ab vno latere graduum ad medium, & è contra genuflectunt in medio. Sic Diaconus veniens à cornu Epiſtolæ

cum

Digitized by Google

cum libro Euangeliorum ad medium, & eo poſito in Altari deſcendens extrà cornu Euangelij, vt audiat Celebrantem legentem; ſic Subdiaconus deſcendens à cornu Epiſtolæ poſtquam oſculandum præſtiterit textum Euangelij genuflectit in medio. Item Diaconus accipiens burſam corporalium de credentia extra cornu Epiſtolæ, & vadens ad medium genuflectit, & extenſo corporali genuflectit priuſquam diſcedat; ſic Subdiaconus accepta patena deſcendit in medio in planum, & tunc genuflectit. Sic Diaconus incenſato Subdiacono vadit à latere Epiſtolæ ad medium ſuper ſecundum gradum vbi genuflectit; Diaconus, & Subdiaconus paritèr aſcendentes ad cornu Epiſtolæ alter vt det, alter vt accipiat patenam, genufle-ctunt in medio; Excipe Subdiaconum immediatè deſcendentem ad locum ſuum in medio, qui genuflectit in latere Epiſtolæ priuſquam deſcendat, non iterum in medio.

Quinta regula eſt: quotieſcumque Diaconus de vno ad aliud latus Celebrantis tranſit, in vtroque latere genuflectit. Exemplum habes finita præfatione, quando Diaconus à dextero tranſit ad ſiniſtrum; & ante conſecrationem quando de ſiniſtro ad dexterum; ſicuti facta conſecratione reuertitur ad ſiniſtrum, & ab hoc ad dexterum ante Orationem Dominicam, & data pace à dextero ad ſiniſtrum, quo caſu accepta pace facit reuerentiam, dat pacem Subdiacono, & accedit ad ſiniſtrum latus, vbi genuflectit, nàm hi tranſitus ab vno latere ad aliud habent rationem vnius acceſſus, & vnius receſſus, & eis æquiualent.

Sexta regula: Miniſtri ſimul cum Celebrante vnus poſt aliũ mutantes locum ab vno cornu ad medium Altaris, & è contra, vel mutantes locum in aliquo cornu aſcendendo, & deſcendendo nullam faciunt genuflexionem. Sic quando

do non eſt ſedendum lecto Introitu, & dictis *Kyrie* deſcendunt cum tempus eſt, vnus poſt alium vadunt ad medium, & niſi dicatur *Gloria* reuertuntur ad idem cornu numquam genuflectentes. Sic lecta Oratione Diaconus aſcendit ad librum non genuflectens, vt etiam quando conuertitur ad populum dicturus: *Humiliate &c.* ſicuti aſcendens à gradu extrà cornu dexterum vbi aſtitit Sacerdoti Euangelium legenti, & miniſtrans incenſum inter cornu, & medium Altaris non genuflectit, quia non eſt in medio. Sic diſcedentes à cornu Epiſtolæ ad medium pro Poſtcommunione non genuflectunt, ſed reuertuntur vnus poſt alium ad cornu Epiſtolæ pro oratione, & hinc ad medium.

Ex ijs, quæ dicta ſunt de Miniſtris maioribus colligi proportionaliter poſſunt, quæ dicenda eſſent de inferioribus, quæ libentiùs breuitati ſtudentes omittimus.

CAPVT V.

De manuum iunctione, diſiunctione, extenſione, expanſione, ſituatione, & pectoris tunſione.

Illud ſemper in quauis manuum iunctione cauendum eſt, ne infrà pectus, aut ad faciei altitudinem, niſi ad vtrumque *Memento*, vt aliqui male faciunt, teneantur, ne pectori approximentur, ne in apicibus digitorum tantummodò vniantur, ſed ſint coniunctæ ſecundum ſe totas, & rectæ, ac diſiunctæ à pectore, pollice ſemper ſuper ſiniſtro in modum Crucis ante conſecrationem.

In

In manuum extenſionibus, quæ fiunt in ſalutationibus ad populum, & inuitationibus ad orationes hoc caue, vt præcisè manus adaperias ante pectus non eleuando ante facié, non eas infrà pectus deprimendo, non palmas Populo conuertendo, vt plures faciunt, ſiuè vt alij, qui priùs ad ſe, mox ad aſtantes ridicula quadam agitatione, & circulatione circumducunt; ſed eas non lentè nimis, non nimis celeriter diſiungendo, & quòd latitudinem, & altitudinem humerorum non excedant, nec palmæ reſpicientiam inter ſe deperdant.

In eleuatione manuum, quæ fit ad intonationem *Credo*, & *Gloria*, necnon ad vtrumque *Memento* manus non ponuntur priùs ſuper Altare, ſed diſiunguntur, & eleuantur vſque ad altitudinem faciei palmis faciem reſpicientibus, & iunguntur ad altitudinem ſupradictam, & ſi dicitur *Gloria*, vel *Credo*, ante pectus deprimuntur; ſi dicatur *Memento*, ſic tenentur donec Sacerdos orauerit in ſilentio, deindè diſiunguntur, & deprimuntur ad pectus.

Manuum expanſio, quæ ſemel fit in Miſſa ſuper oblatis dùm dicitur oratio: *Hanc igitur oblationem*. fit pèr lateralem connexionem indicum dexteræ, & ſiniſtræ manus, itaut apertæ maneant, conuerſis tamen volis ſiuè palmis ad oblata. Controuerſum eſt, an in hac expanſione pollex dexter ſuper ſiniſtrum ſit collocandus in formam Crucis, & an ſupra manus, vel ſubtus. *Angelus par. 1. tit. 8. num. 67.* aſſerit Crucem digitis formandam eſſe, & præter quandam auctoritatem, quam affert, addit rationem, videlicèt quòd Rubrica generalis, vbi agit de manuum iunctione ſic præcipit; ſed mihi viſus eſt falli, quia Rubrica loquitur de manuum iunctione, hæc autem manuum approximatio non eſt coniunctio, ſed expanſio, cui per ſe fortaſſe

non

non competit id quod conuenit coniunctioni manuum. Neque hæc diſtinctio eſt abſque fundamento; colligitur enim ex ipſa Rubrica, vbi habemus manus expandi vſque ad concluſionem, deindè coniungi, cum ergo Rubrica duas has actiones ſibi mutuò ſuccedentes præcipiat, & priorem expanſionem denominet, poſteriorem verò coniunctionem, clarè liquet idem non eſſe, ergo Rubrica quæ de expanſionè loquitur, non agit de manuum coniunctione. Alij Doctores comuniter tradunt Crucē digitis pollicibus formandam, *Gauant.par.2.tit.8.num.4.lit.T.Bauld.par.3. Rit.ſeruand.tit.8.nu.4.nota 1.Cerem.Fr.Min.par.2.cap.2.n. 13.Diana infrà citatus*, propter quorum, & aliorum auctoritates libenter hanc regulam admitto. Quomodo autem iungendi ſint pollices, an videlicet debeant eſſe ſupra, an infra manus expanſas aliqui volunt eſſe ſupra, Bauld. & Gauant. citati, aliqui veró ſubtus inter quos *Act.Eccl.Med. Inſtr. à Sacerd. cap. delle mani gionte &c.* Placet tamen digitos formare Crucem ſuprà manum, quia geſtus videtur decentior, & ità deciſum fertur Romæ in Rota per *Dianam tractat.de Celeb.Miſ.reſol.*221.

Digiti communiter coniunguntur inter ſe, & quando manus ſunt diſiunctæ pollex indici adhærere debet, quod á pluribus non obſeruatur. Poſt conſecrationem indices, & pollices coniunguntur in ſūmitatibus, nec ſeparantur niſi pro attrectanda hoſtia, quod ſi folia Miſſalis vertenda ſint, aut accipiendum aliquid; puta parua palla, patena &c. medio, & indice apprehenduntur.

Percutitur pectus aliquando tota manu, aliquando ſolis extremitatibus digiti medij, anularis, & minimi. Prior modus ſeruatur communitèr excepto quod à conſecratione ad communionem, inter quæ ſecundò modo vtimur. Ali-

qui

Digitized by Google

qui manu aperta, alij digitis compreſſis, & per omnes nodos complicatis ideſt facto pugno pectus magno impetu, & fragore percutiunt, at minùs rectè, vſus enim commendatior eſt ſummitatibus omnium digitorum ſimul collectis pectus percutere.

Situantur manus, aut alteram alteri apponendo per volas, aut per latera indicum coniungendo, aut vnam contrà aliam erectam tenendo ad humerorum altitudinem, de quibus modis actum eſt. Supereſt nunc dicere de modo quo ſituantur pectori, libro, & Altari. Manus ergò ſiniſtra pectori admouetur, ideſt infrà pectus quoties Celebrans benedicit aliquid non ſtans ad Altare, & ſe ſignat, aut cum pectus percutit longè ab Altari. Manus autem ambas Altari admouet ideſt ſummitates digitorum quando genuflectit (dumodò non teneat Hoſtiam) & initio præfationis, & ante *Pater noſter*, dnm legitur Epiſtola tractus, graduale, & ſequentia, quamuis, & poſſint declinari ſuper librum, vnam verò, quando alià, vel pectus percutitur, vt ad *Nobis quoque* &c. vel aliud peragitur; apponuntur etiam aliquando ſimul iunctæ Altari, ideſt collocantur ſummitates anulariùm, ità vt apices minimorum frontem tangant Altaris, & occurrit hic modus ſeruandus ſex vicibus in Miſſa: ante Introitum, ante, & poſt lotionem manuum, initio Canonis, ad *Supplices*, & tandem ad tres orationes ante communionem.

Digitized by Google

SECTIO IV.

CAPVT I.

De Altare, & eius ornatu.

NOMINE Altaris aliquando intelligimus aram, ſiuè tabulam lapideam immobiliter ſtipiti, vel baſi lateritiæ, aut lapideæ adhærentem, & dicitur Altare fixum; aliquando paruam tabulam ſtipiti incluſam, quæ communiter dicitur Altare portatile, ſiuè viaticum, ſumitur etiam aliquando pro tota fabrica à ſolo eleuata, prout dicit ſtipitem, & tabulam, ſiuè paruam, ſiuè magnam. Vtraque tabula ab Epiſcopo, vel alio facultatem habente, debet eſſe ſacrata: *c. Nullus de conſec. diſt.* 1. nec ſufficit ſi Sacerdos ſuper ea celebret, vt docet *Bordonus tom. 2. reſol.* 83. *num.* 19. ratio eſt, quia non ſufficit, & eſt ineptum ad celebrationem Altare conſecratum, etiamſi ſuper eo celebratum fuerit, dummodò amoueantur Reliquiæ Sanctorum; ergo ſola celebratio non facit Altare aptum tamquam conſecratum, vt in eo Miſſæ fiant; aliàs detractis Reliquijs adhuc ad celebrationem eſſet aptum, quia quamuis periret conſecratio pontificalis, ex quo capite Altare eſſet execratum, ex alio tamen capite adhuc eſſet idoneum, quia ſcilicet in eo Miſſa celebrata fuit. Stipes ſiuè baſis Altaris neceſſariò non eſt lateritia ſiue lapidea, ſed etiam lignea eſſe poteſt, & talis formari etiam ſi in Diœceſanis conſtitutionibus ſtatutum ſit ex lapide, vel lateribus

eſſe formandam, vt ſtatuit, *Sac.Congreg. Rit. 10. Nouemb. 1612. in vna Gaiet.* Porrò nec ſufficit ſacratum fuiſſe Altare, ſed neceſſarium eſt, vt ſigillum non frangatur, nec Reliquiæ ſubducantur, vt habet Sacra Congregatio, aut tabula à ſtipite non moueatur ſi fixum ſit, vel enormiter non frangatur: *c. quòd in dubijs, & c. ligneis de conſec. Eccl.*

Quæſitum fuit vtrum lapis quem Illuſtriſſimus, & Reuerendiſs. Dominus meus Ioannes Lucidus Cattaneus Mantuanus Antiſtes ſacrabat nimis latus, & longus, an inquam ſi in quatuor partes ſectus eſſet, quarum quæuis bipalmaris fuiſſet, ſingulæ illæ partes aptæ fuiſſent ad conſecrationem. Soluit quæſtionem, *Tamburrin. lib. 1. de Sac. Miſ. cap. 5. §. 2. num. 16.* affirmatiuè reſpondendo. Verùm contraria ſententia tenenda eſt. Ratio eſt, quia Altare, à quo ſubducuntur Reliquiæ, vt ipſe fatetur, fit ineptum ad celebrationem, ergo etiam partes diſſectę ab ea, cui ſepulcrum inerit, ineptæ fient ad celebrationem, cum non minus ſubducantur ab illis vna excepta Reliquiæ per illam ſeparationem, quàm ſubducantur ab Altari fixo per extractionem earum à ſtipite.

Tres mappæ, & quidem benedictæ in Altari ſint, vel duæ, prout docet Rubrica, in caſu tamen neceſſitatis etiam non benedictæ adhiberi poſſunt, & ad vſus profanos reduci, vt etiam docent de puluillo, candelabris, & Cruce; Tamburrinus in neceſſitate vnicam vult ſufficere, *Tamb. ibid. §. 2.* & poſſe fieri, tàm ex lino, quàm ex cannape, & goſſipio. Pallium item eſt neceſſarium, & eſt ornamentum, quod apponitur fronti Altaris; gradus vnus in Altari cum Cruce, & cæteris prout in Rubrica. Nota tamen Rubricam Miſſalis loqui de Altaribus inferioribus, vel de tantũ requiſitis ad celebrandum, quod ſi ornatum Altaris maioris aut

alte-

Digitized by Google

alterius habere velis, vide *Ceremonial. lib.1. cap.12.* vel *Rubricam Generalem par. 2. tit.4. num.4.* & 5. ex qua colligitur quoad candelabra, & Reliquias quomodo, & quot locanda ſint pro ſolemni Miſſa. Cæterum pro Miſſa priuata duæ candelæ ſufficiunt ex cera, vna in neceſſitate, etiam ſebacea, vel vnum lumen ex oleo, vt aliqui docent apud *Bonac. de Euchar. diſput. 4. quæſt. vlt. p. 9. num. 30. Tambur. ibid. §. 4. Gauant. par. 1. tit. 20. lit. Q.* plures autem quàm duæ non admittuntur in Miſſis priuatis, etiamſi Celebrans ſit Abbas, vel Vicarius generalis *Gauant. in Enchir. V. Miſſæ Ritus*, niſi Sacramento, vel Reliquia in Altari expoſita.

Crux etiam in Altari collocanda eſt, ſed in ea altitudine, vt pes, ſiue baſis eius coæquet altitudinem candelabrorum vicinorum, & Crux tota candelabris ſuperemineat. Quærunt aliqui vtrum Imago Crucifixi debeat eſſe in Cruce? Reſpondetur affirmatiuè, & quamuis Rubrica id non exprimat, tamen id notat Ceremoniale citatum. In Altari verò vbi ſeruatur Sanctiſſima Euchariſtia Gauantus affirmatiuè reſpondet, ſi in eo celebrandum ſit, cui Tamburinus, nec aſſentitur, nec diſſentitur. In Altari veró, ſuper quo publicè ſit expoſita ſentit contrà Gauantum apponendam non eſſe, vbi etiam ſufficere pro celebratione ſi in Icone pictus ſit Crucifixus, aut alia Chriſti Domini Imago, cum quo ſentiunt etiam alij apud *Dian. tom. 2. tract. 1. reſol. 184. num. 2.* Vtraque ſententia probabilis eſt, pro priori tamen caſu meliùs ſentit Gauantus, quia in Rubrica de incenſatione habemus genuflectendum eſſe Sacramento, & incenſandam Crucem, ergo etiamſi Sacramentum ibi eſſe ſupponatur, Crux tamen exteriùs requiritur, quæ vtiq; incenſatur, non Sacramentum in cuſtodia clauſum. Pro ſecun-

Digitized by Google

ſecundo caſu ſentio cum Tamburrino, ceſſat enim figura vbi eſt figuratum; nec officit quòd in proceſſione Sanctiſſimi Sacramenti Cruces deferantur, & Crux remaneat in Altari poſt conſecrationem; in primo enim caſu Crux pręmittitur, vt vexillum, & vt ab ijs, qui videre non poſſunt Sacramentum, Crux aſpiciatur; in ſecundo caſu reſtat Crux in Altari, tùm vt conſpiciatur ab aſtantibus, qui Sacramentum iacens ſuper corporale non poſſunt intueri, tùm quia eam auferre nimis incommodum fuiſſet ob tàm breue tempus, quale eſt à conſecratione ad communionem; quando autem Euchariſtia eſt expoſita ab omnibus cerni poteſt, ideoque in eam defigendi ſunt oculi non ad Crucem tollendi, vt Rubrica docet in ſecundo *Memento*, tùm etiam quia ab initio ad finem Miſſæ ſtare debet Sacramentum in Altari, & ideo Crux eſſet ſuperflua. In tertio caſu vterque probabiliter loquitur.

Collocatur in Miſſis ſolemnibus à latere Epiſtolæ propè Altare menſa parua, breuis, demiſſa cooperta linteo vſquequaque vſque ad terram defluente ſine gradibus in ea, aut ſub illa abſque Cruce, candelabris, & Imaginibus, & in ea collocantur omnia ad ſacrificium neceſſaria. Propè credentiam ſituatur ſcamnum oblongum decenti panno coopertum pro Celebrãte,& Miniſtris. Si credẽtia non adhibeatur, calix, & liber aptantur in Altari.

Sunt qui aſſerunt Prælatos Regulares in ſuis Eccleſijs ſedere poſſe in latere Euangelij abſente Epiſcopo. *Dian. ibid. reſol.* 195. *Bord. tom.* 3. *par.* 2. *reſol.* 64. *num.* 17. idque ex triplici capite. Primò quia honorandi ſunt, cum ſint ex vna Principes in proprijs Eccleſijs, & in ſuis Religionibus, ex aliâ, quia comparantur non modo Epiſcopis, verùm etiam Archiepiſcopis, & Patriarchis. Secundò quia in eodem

latere ſedent Abbates regulares. Tertiò quia in tantùm ſedet Celebrans in latere Epiſtolæ in quantum tenetur, cedere nobilius cornu Epiſcopo; At (inferunt ipſi) Epiſcopi non ſolent adeſſe in Eccleſijs Regularium, ergò eorum Prælati poſſunt, ſedere in latere Euangelij.

At ego contra primum membrum prioris rationis inſto: Prior quicumque Monaſterij, Cuſtos, & Guardianus ſunt Principes in ſuis Eccleſijs, quia in eiſdem ordinariam habent poteſtatem, non minùs ac Generalis in tota Religione, & intenſiuè æqualem, vt docet ipſe, *Bordon. tom. 3. par. 2. reſol. 66. num. 5. & 6. & Tambur. de iur. Abbat. tom. 2. diſp. 3. quæſit. 3 num.* 1. 2. ergo non modo Prouincialis, ſed & Cuſtos, & Prior, & Guardianus poteſt ſedere in Miſſa ad latus Euangelij. Vlterius. Principes in propria ditione etiam maiori Principe præſente non debent cedere locum proprium maiori, ſicuti Epiſcopus, latus Euangelij ſuo Metropolitano non cedit, quamuis hierarchicè ſibi ſuperiori, ergo dicendum erit quod hi poſſũt ſedere in latere digniori etiam præſente Epiſcopo, quæ duo tamen nec ipſi dicere audent. Videamus ergo an hæc ratio verè probet id quod dicti Auctores probare nituntur: Sunt Principes, aiunt, ſuarum Eccleſiarum, ſed Principes in ſuis locis digniori loco honorandi ſunt, ergo loco Euangelij honorandi ſunt Regulares Prælati. Reſpondeo data maiori, diſtinguendo minorem, ſed Princeps in ſuis locis digniori loco honorandi ſunt, niſi maiori Principi cedat ille locus, ſiuè abſit, ſiuè adſit, cuius in obſequium Princeps loci teneatur, illũ locum non occupare, concedo minorem; Si verò locus cedat huiuſmodi Princip, etiamſi abſit, nego minorem, & conſequentiam. Ratio negandi eſt, quia ille locus ſoli Epiſcopo, & inferioribus Prælatis pontificalibus vtentibus reſeruatur, vt

pro-

probatur infrà, dum ſecunda ratio Bordoni, & Dianæ examinabitur, ergo ſequitur, quòd Prouinciales &c. eum locum occupare non poſſint. Cæterùm cum Principes ſint proculdubio eo modico honore dignioris loci non debent eſſe contenti, ſed inſuper thronum, baldachinumque, mitram, & baculum, diadema nempè, & ſceptrum prælatitium, ſigna iuriſdictionis, de iure ſibi vendicare poterunt, & tamen quis hæc dixerit?

Reſtat nunc poſterius membrum examinandum, & eſt: Generales, & Prouinciales non modò æquiparari Epiſcopis, ſed etiam Archiepiſcopis, & Patriarchis. Et primò quidem ſuppono hanc comparationem non fieri reſpectu Ordinis, quia Prælati Regulares, cum ſint ſimplices Sacerdotes, Epiſcopos ſibi præcellere, tamquam filijs Patres, fateantur neceſſe eſt; Epiſcopi, namque reſpectu Ordinis pares ſunt Sanctiſſimo Papæ, qui Epiſcopum ſe nominare gloriatur, & proindè Epiſcopos fratres dicit, & venerabiles, quique in locum Apoſtolorum ſucceſſere, quorum tanta eſt dignitas vt Regibus præcellant, qui eis propterea obedire tenentur, quique Epiſcopi in ius vocati ſedent, etiamſi criminaliter accuſati; & per quorum veſtigia antiquitùs Fideles iurare conſueuerant. Tota ergo æqualitas in iuriſdictione conſiſtit; Ad id autem benè dignoſcendum attendendæ ſunt circumſtantiæ aliquæ, quibus ambæ Prælaturæ ſæcularis, & regularis ordinis afficiuntur; hæ ſunt Duratio, Subordinatio, Amplitudo locorum, Quantitas Subditorum, eorumque qualitas, Authoritas; modo de ſingulis.

I. Quoad durationem nemo eſt, qui dubitet Epiſcopos longè excellere Prouincialibus, Generalibus &c. hi enim triennalem, vel quinquennalem, vt plurimum habent

adminiſtrationem; illorum Regimen eſt eius naturæ, vt niſi morte intercedente finiatur. II. Quoad ſubordinationem ſæpè Epiſcopi immediatè ſubijciuntur Sanctiſſimo, quòd ſi Metropolitanum habeant, id intelligitur ferè in appellationibus cauſarum iudicialium, extra quas vix inuenies in quibus Diœceſis Epiſcopi ſit ſubiecta Metropolitæ; Dixi Diœceſis, nam ipſe Epiſcopus ab Archiepiſcopo non iudicatur; Generalis autem ſubeſt Capitulo generali, & Prouincialis item Generali, vt ipſe Bordonus fatetur, quique rationem reddere coguntur adminiſtrationis.

III. Reſpectu amplitudinis locorum Epiſcopi plures ſæpè ciuitates, plures aliquando, & amplas regunt Diœceſes, in cuius ſingulis ferè locis ſuam exercent iuriſdictionem; Regularium autem iuriſdictio intra clauſtra, quaſi cęnobij muris incluſa conſiſtit. IV. Si numerum modo, & dignitatem Subditorum ſpectemus, Regulares Prælati ſolis Religioſis, & Monialibus, Epiſcopi verò primò toti Clero ſæculari præsũt; ſecundò Laicis omnibus, inter quos aliqui Reges, multi Principes, Equiteſque quam plurimi & nobiles ſunt, & quotquot in Diœceſi degunt, qui aliquando quingenta ſexcentaque, imò ſeptingenta millia hominum ſunt, quem numerum nulla Religio æquare poterit; Tertiò Sanctimonialibus & Regularibus viris in multis imperant: puta in examine pro ordinibus, pro audiendis confeſſionibus Populi, & Monialium, etiam exemptarum, pro prædicatione verbi Dei, etiam in proprijs Eccleſijs, in quibuſcumque cauſis iudicialibus Monaſteriorum paſſiuis; In erectione cænobiorum, in publicatione Indulgentiarum, approbatione Reliquiarum, ſi delinquant in adminiſtrando Laicis Sacramenta, ſi non

ſint

Digitized by Google

ſint in numero competenti,quo caſu ſunt ita ſubditi Epiſcopi,vt Religionis Prælati eos viſitare non poſſint; reſpectu proceſſionum, reſpectu expoſitionis Sanctiſſimæ Euchariſtiæ in ſuis Eccleſijs, & lectione Sacræ Scripturæ, & quoad alia plurima; Ex quo colligi poteſt ſubditos Prælatorum Regularium, plenè Subditos eis non eſſe, cum etiam Epiſcopis ſint de iure ſubiecti in multis, cum è contrà, qui ſubijciuntur Epiſcopo, Regularibus non poſſint ſubeſſe.

Circa authoritatem notandum eſt Epiſcopum conferre beneficia, aut ſaltem approbare in menſibus Papæ; ſubditos immediatè omnes ad ſuum tribunal cogere, ampliorem que facultatem habere legum condendarum etiam in Synodo, in qua Clerus vocem conſultiuam,ipſe vnus deciſiuam habet, ita ut Clerus ſtatuta non approbet, ſed eorum tantummodò aſſiſtat publicationi, vt notat *Gau. in Syn. par. 3. cap.* 2. propter quod neque dicitur *Placet ne vobis* ex Dec. Sac. Cong. Conc. *Gau. par.* 2. *ſect.* 2. *annot.* §. 4. *num.* 34. quia Clero nihil competit,quoad acceptandum, vel refutandum ſtatuta; Prouinciales autem & Generales, nec Prioratus,aut Guardianatus conferre ſuo iure poſſunt; nec ad ſuum tribunal ſingulos ſubditos trahunt, ſiquidem quicumque Superior localis Iudex eſt in ſua familia; nec facultatem habent aliquid innouandi circa leges, & ſtatuta Religionis.

Iuriſdictio ergo Prælatorum Regularium, nec duratione,nec independentia, amplitudine, numero, & dignitate Subditorum, & authoritate æquiparari poteſt Epiſcopali; tunc enim benè duo æquiparantur, vel abſolutè, vel quoad aliqua, cum vel in ſingulis, reſpectu quorum comparantur, ſunt ferè æquales; vel ſi in aliquo alterum eorum

deficit, ità in alio abundat, vt ſaltem ſemiplenè prioris defectum ſupplet, & ſic niſi quoad ſingula diſiunctiuè, ſaltem quoad omnia collectiuè ſumpta æqualis alteri reputetur. Exemplis veritas innoteſcet. Principi alicui amplum habenti dominium, populumque multum ſub ſe, ſed ſterile ſolum, & ruſticas, & inopes turbas benè Princeps alter comparatur longè minùs loci, minùſque habens populi, ſed fertili campo gaudens & Oppidis, mercatura, artificijs, & diuitijs pollentibus; ſiquidem defectus amplitudinis, & multitudinis ſuppletur per feracitatem, & diuitias. Quis autem autem auſit æquiparare Romanorum Conſules vel Dictatores eorum Imperatoribus, ac Principem electum cum Principe nato ob defectum ſolius independentiæ,& durationis in Electo, & Dictatore; Regem Perſarum,aut Chinenſium, cum Regibus v. g. Theſſalorum, Ponti, vel Cypri, quia omnes ſunt Reges ſupremi, cum tamen his illi maximè diuitijs, amplitudine Regni, & populorum præcellant? Itaque Epiſcopis, Archiepiſcopis, & Patriarchis Regulares Prælati æquiparari non poſſunt, cum non in vno, ſed in omnibus deficiant, vt tandem ſcribit ipſe Bordonus *ibid. reſol. 66. num. 37. & reſol.* 80. *num.* 3. qui totam æquiparationem Prælatorum Regularium cum ſæcularibus in eo ſitam eſſe dicit, quia ſicuti in Hierarchia pontificali dantur tres ordines, & gradus ſibi inuicem ſubordinati, ità in Prælaturis Regularibus; ideſt quod ſicuti Epiſcopo Archiepiſcopus, & huic præcellit Primas, aut Patriaca,ſic Generalem Prouincialis, Prouincialem Cuſtos in ſuperiorem habet, & ſicuti Epiſcopus Parochus ſub ſe habet, ſic Cuſtos Guardianos. Ecce tota proportio, & tota vis comparationis inter Sæculares, & Regulares Prælatos. Hęc tamen, quæ dixi-

diximus in omnibus Prelatis non verificantur, ſunt enim aliqui qui ſemel electi non mutantur, & alter eſt, qui ampliſſimam habet iuriſdictionem æqualem Epiſcopali, & ſemel ad Generalatum aſſumptus nunquam deperdit; & eſt Generalis Societatis Ieſu, qui Miſſam cantans ſedit tamen in latere Epiſtolæ non minus, ac Prouincialis.

Secunda ratio eorum eſt: quia id faciunt Abbates. Verùm ex eo quod Abbates ſedeant in cornu Euangelij non benè arguitur, quòd Prælati non Abbates id facere poſſint. Probatur primò, quia ea omnia, quæ conueniunt Abbati vſum Pontificalium habenti, & non iuriſdictionem, non competunt Prælato habenti iuriſdictionem etiam ſupremam, ſed non iura pontificalia, ergo malè arguitur locus ſedendi pro Prouincialibus ex poſitione Sedis Abbatialis. Antecedens quamuis per ſe notum ſit, poteſt tamen ſic confirmari. Abbates Regulares ordines conferunt minores, calices, & campanas conſecrant, ter in anno ſolemniter celebrant in pontificalibus, & dant benedictionem more Epiſcopali in fine Matutinarum, & Veſperarum ſolemnium, quæ poſteriora etiam Abbates, Priores, Primicerij, Archipresbyteri, & quouis alio nomine nuncupentur Sæculares Prælati mitrati nullam iuriſdictionem habentes faciunt; Regulares verò non pontificantes non baculo, aut mitra, ſolio, & baldachino, quæ ſigna ſunt, vt plurimum, iuriſdictionis vti poſſunt, ſed neque anulo in Miſſa vt tradit poſt Sac. Rit. Cong. 11. Feb. 1622. *Tamb. de iur. Abb. tom. 1. diſp. 2. quæſt. 2. num. 13.* neque paramenta de Altare ſumunt &c. ergo quæ conueniunt Abbatibus; non conueniunt cæteris Prælatis non pontificijs.

Probatur ſecundò: Seſſio Abbatum in latere dextero Altaris eſt de iuribus Pontificalibus, ergo Prælati non Ponti-

fices (ſiquidem Pontificum nomine veniunt Prælati omnes vſu Pontificalium gaudentes, quocumque nomine vocentur *Tamb. de iur. Abb.*) de ea participare non poſſunt, aliàs ſi participant de vno iure, cur non etiam de alio, cum non ſit maior ratio de hoc, quàm de illo? Probatur antecedens: Abbates ideò ſedent ad latus dignius, quia Regula Ceremonialis Epiſc. *lib.* 1. *cap.* 13. de erigenda ſede, & declarationes Sacræ Rituum Congregationis hoc ius illis tribuunt, extrà quas nulla alia eſt excogitabilis ratio, ſed neque in hac Regula, neque in declarationibus dicti Prælati non Pontifices comprehenduntur, ergò ad eoſdem eadem facultas non extenditur. Maior quoad primam partem eſt certa, quia Regulæ Ceremonialis, etiã de pontificalibus ritibus non tantùm pro Epiſcopis, ſed etiam pro Abbatibus æditæ ſunt,& quod dicitur de Epiſcopo, exceptis ijs, quæ ordinem Epiſcopalem omninò reſpiciunt, dicitur etiam de Abbate, vt colligitur ex conſtitutione Papali, & tradunt Doctores *Piſc. lib.* 1. *ſect.* 8. *cap.* 1. *num.* 3. *Tamb. de iur. Abb.* quoad ſecundam partem eſt item certa, quia declarationes expreſsè loquuntur de Abbatibus.

Probatur minor quoad primam partem; Quia quamuis Ceremoniale non tantùm pro Pontificibus ęditum ſit, ſed etiam pro Collegiatis, & alijs quibuſcumque Eccleſijs, vt dictum eſt in capite de Regulis Rituum, tamen quoad hoc pertiuet tantùm ad Pontifices, ergò Prælati non Pontifices hac regula vti non poſſunt. Probatur antecedens: Ea quæ in Ceremoniali traduntur pro Pontificibus dignoſcuntur ab ijs, quæ pro ſimplicibus Sacerdotibus ſcribuntur, per hoc, quòd vel in eodem Ceremoniali, vel in Miſſali ponitur expreſsè diuerſa regula pro Sacerdotibus, vt dixi-

diximus *par.* 1. *ſect.* 1. *cap. de Regulis Rituum*, ſed tùm in Miſsali, tùm in Ceremoniali ponitur regula pro Sacerdotibus contraria regulæ traditę, pro ſeſſione Pontificum, ergo regula ſedendi in latere Euangelij eſt pro ſolis Pontificibus; pro probatione minoris vide rubricam de ordine genufle&ctendi &c. & Ceremoniale cuius membrum modo dabo.

Probatur autem minor quoad ſecundam partem, quia: Declaratio Sac. Congregationis apud Gauant. *V. Abbas num.* 11. *in Enchir.* ſic habet: *Miſſam cantare poteſt Abbatialem ter in anno ad ſummum, hoc eſt cum baldachino, & ſede, ut ſupra in cornu Euangelij poſita, Miniſtris quinque adhibitis, & alijs ſex paratis &c.* ergò in hac declaratione non comprehenduntur niſi Celebrantes pontificaliter. Ceremonialis regulam ponam per extenſum inferiùs.

Neque dicas eandem iuriſdictionem, quam Abbas habet in ſuos Monachos, etiam Prouincialem &c. habere in ſuos Religioſos, ergo ſicuti competit Abbatibus ſedes in cornu Euangelij, ſic & Prouincialibus, & Generalibus competere; Nam conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ius enim illud quod habent Abbates ſedendi in latere dextero Altaris non tantùm habent ob iuriſdictionem, ſed etiam ob vſum Pontificalium; Hoc conijcitur ex eo, quia primò Abbates etiam ſæculares, Priores, Præpoſiti, Primicerij, Archipresbyteri, Decani Collegiatarum vſum habentes Pontificalium nullam tamen iuriſdictionem in foro externo, cuiuſmodi eſt Reuerendiſſimus Primicerius Collegiatæ inſignis S. Andreæ Mantuæ, ſedent in eodem latere cum pontificaliter celebrant, ſiue aſſiſtunt ſolemnibus Miſſis, ergo non titulo iuriſdictionis, ſed titulo iurium pontificalium Abbates hoc faciunt. Secundò quia

Digitized by Google

Epiſcopus conueniens cum Abbate exempto in Eccleſia Abbatiali exempta habet Epiſcopus ſedem in Euangelij latere, Abbas verò, vel in plano propè Epiſcopum, vel in latere Epiſtolæ, ſed neque contra Epiſcopum, ſed in loco humiliori; tùm etiam quia in Regularium Eccleſijs, quamuis in eis non habeat iuriſdictionem, ipſi tamen fatentur idem latus obtinere. Tertiò quia S. R. Eccleſiæ Cardinalis conueniens ad ſolemnia cum Epiſcopo Diœceſano habet latus Euangelij, quamuis Cardinalis non ſit hierarchicè Superior Epiſcopo, nec habeat iuriſdictionem in ea Diœceſi, ergo ſedere in latere Euangelij, quamuis aliquando ſit ſignum iuriſdictionis, ſemper tamen eſt coniunctum cum inſignibus pontificalibus; & aliquando eſt ſignum ſolius dignitatis, vt reſpectu Cardinalis, & Prælati ſæcularis pontificaliter Celebrantis. Magis tamen apparebit argumenti fallacia, ſi reducatur ad formam ſillogiſticam ſic: In tantum Abbati competit dignior locus in ſedendo, ſcilicet latus Euangelij, quia eſt Princeps, habetque iuriſdictionem in ſuis Eccleſia, & Monaſterio, ſed etiam Generales, & Prouinciales ſunt Principes, & habent iuriſdictionem in ſuis Eccleſijs, ergo obtinere debent eundem locum. Quæ cauſalis cum ex dictis pateat eſſe falſa, conſequenter corruit totum argumentum.

Examinanda eſt modo tertia aduerſariorum ratio, quæ eſt: Ideò ſedendum eſt in cornu Epiſtolæ, vt dignior locus reſeruetur Epiſcopo, ſi adſit, ſed Epiſcopus non ſolet adeſſe in Eccleſijs Regularium, ergo Generales, & Prouinciales poſſunt ſedere in latere Euangelij, quod non occupat Epiſcopus.

Maior eſt apertè falſa, quamuis enim *Gauant. par.* 1. *tit.* 17. *num.* 6.

num. 6. id dicat, & proinde videatur ſignificare Sacerdotes non Pontifices in Miſſis ſolemnibus ſedere ad cornu Epiſtolæ, ne Epiſcopus ad minùs dignum locum accedat, & ſedeat, tamen in Ceremoniali Epiſcoporum contrarium habetur *lib.* 1. *cap.* 13. ideſt quòd tùm in Cathedralibus abſente Epiſcopo, tùm in Collegiatis, & alijs Eccleſijs quibuſcumque, vbi Epiſcopus regulariter non interuenit, Sacerdotes ſedeant in latere Epiſtolæ, ergo falſum eſt quod ibi ſedeant tantùm ſi adſit Epiſcopus. Verba Ceremonialis ſunt hæc: *In Eccleſijs Collegiatis vbi Epiſcopus, nec Celebrans, nec præſens eſt eadem circa ornatum Altaris, & Eccleſiæ conueniunt exceptis his, quæ Epiſcoporum ſunt propria; Paramenta verò in Sacriſtia parari conuenit. Menſa, vel nulla, vel multò breuior, & demiſſior erit adhibenda, cum pauca ſint in ea reponenda, nempè pcluicula cum vrceolis vini, & aquæ, calix cum burſa, & corporalibns, & quandoque alia pro celebrationis neceſſitate, & vſu; ſed ſatis erit ſcamnum oblongum coopertum aliquo tapete, aut panno aptare à latere Epiſtolæ, in quo ſedeat Sacerdos celebrans cum Diacono, & Subdiacono*: hucuſque Ceremoniale. Ergo falſum eſt ſedere Sacerdotes in ſiniſtro latere Altaris tantùm ſi adſit Epiſcopus, ſed etiamſi abſit, ibidem ſe ſiſtere debent, aliàs ſequeretnr, quòd quiuis ſimplex Sacerdos abſente Epiſcopo conſiſtere poſſet ad latus Euangelij. Stet ergo, Prouinciales, & Generales non poſſe ſedere in latere Euangelij, neque titulo iuriſdictionis, neque ob adductam paritatem Abbatum, neque quia abſit Epiſcopus, quod etſi ſatis probatum ſit, ſi adhùc aliam rationem quęras hanc accipe. Locus dignior datur Epiſcopo tantùm poſt conſecrationem in ſignum dignitatis *Barboſ. de poteſt. Epiſc. par.* 1. *tit.* 1. *cap.* 4. & in eo ſedere non pôteſt antè con-

conſecrationem,quia iuribus pontificalibus adhùc vti non poteſt *Iord. tom. 1. prælud. 2.* & tamen eſt Prælatus, & habet iuriſdictionem ante conſecrationem, ergo Regulares cum dignitate careant Epiſcopali, nec ſint conſecrati digniorem ſibi locum vindicare non debent, tùm ob rationes omnes, & authoritates allatas, tùm ob conſuetudinem eis obſtantem *Cer. Fr. Min. par. 3. cap. 3. Rit. prop. Seruor. B. M. cap. de Miſ. ſol. Gener.* ſicuti nec vti poſſunt baldachino, & alijs iuribus, & inſignibus pontificijs per communicationem priuilegiorum *Lezana V. Baldac.* & non niſi quia priuilegium conceſſum alicui Perſonæ ratione officij, vel dignitates non extenditur ad alios, qui ſimilem ſed non eandem dignitatem, vel officium obtinent. *Rodrig. tom. 1. quæſt. 55. art. 18. Mirand. tom. 2. quæſt. 46. Io: à Cruce de ſtat. Relig. lib. 2. cap. 4. dub. 1. Portel. in dub. Regul. V. com. priuil. num. 21.*

Quæſitum olim fuit mihi, an pro baldachino ſufficiat conopæum apponere ſupra Altare maius, & ei in quo aſſeruatur Sanctiſſima Euchariſtia. Reſpondi cum diſtinctione, quia vel agitur de Altari maiori in Cathedrali, vel in Collegiatis Eccleſijs vbi ſunt Prælati cum vſu throni, & baldachini, vel in Eccleſijs vbi huiuſmodi Prælati non ſunt. Si primum certum eſt baldachinum requiri ſuprà maius Altare, vt Prælati poſſint etiam vti ſuo, intellige tamen dummodo ſuper Altare non eſſet ciborium marmoreum, vel alterius materiæ, quo caſu non obligamur aptare baldachinum, vt docet Ceremoniale Epiſc. *lib. 1. cap. 12. 13.* at ſi qualitas ciborij patiatur, conopæum addi poterit. Si ſecundum, neceſſe non eſt baldachinum apponere, quia Ceremoniale Epiſcoporum non obligat niſi in caſu ſuperiùs expreſſo, & nullibi hoc præcipitur, quapropter, quamuis

uis maximè conueniat, baldachinum appendi ſuper Altare maius, ac præcipuè Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, vtpotè quod communi ſenſu Principum Eccleſiaſticorum,& Laicorum miſterium eſt ſupremi dominij, & maximę iuriſdictionis, & inſuper maximopere confert ad Altaris munditiem, attamen cum nullo iure id caueatur vice baldachini,conopæum ſuper Altare appendi poſſe non ambigo.

CAPVT II.

De Calice, Patena, & acceſſorijs.

CAlicis nomen antiquiſſimum eſt, quo vtebantur ad ſignificandum vaſa, queis ad potum vtebantur iuxtà illud: *& Calix in manu Domini vini meri Pſal.* 74. *Videbam calicem Pharaonis in manu mea* Geneſ. 40. *Paraſti in conſpectu meo menſam Pſal.22.&c. & calix meus inebrians quàm præclarus eſt.* Eodem item nomine vſi ſunt Euangeliſtæ *Matth.* 21. *Marc.* 14. *Luc.* 22.

Primis Eccleſiæ temporibus Apoſtoli, & Sacerdotes ligneis calicibus vtebantur, argentum, neque aurum habentes, quibus pretioſam ſuppellectilem compararent, nunc aureis, & argenteis, quod primo in Concilio Rhemenſi *cap.* 6. ſtatutum fuit, tùm Sacris Canonibus ſancitum eſt *diſt.* 1. *c. vt calix*. Legimus autem eiuſdem Concilij Patres doluiſſe argenteos, & aureos Sacerdotes ligneis quondam vaſibus vſos, modò ligneos,vitreoſque Miniſtros aureis, & argenteis vaſibus vti.

Argentei itaque ad minùs nunc calices eſſe debent, cuius interior pars cuppæ auro lita, & chriſmate delibuta ſit, vt in Miſſalis Rubrica; hæc tamen aurea ſuperficies ſi longo

vſu

vſu corrodatur, & argentum maiori ex parte appareat, non deperditur tamen ex hoc præcisè conſecratio *Tambur. de ſacrif. lib. 1. cap. 1. §. 5. Gauant. in Enchir. V. Calix*, niſi iterum deauretur, aut frangatur, & *Suar. diſp* 81. *ſect.* 4. aut ſeparetur cuppa à pede; Tamburrinus tamen per nouam deaurationem vult, conſecrationem non deperdi, & validis rationibus probat, ſicut etiam ait non deperdi ſi ſeparetur cuppa à pede dumodò factus fuerit ad vitam, & tornatilis *idem* §. 5. *&* *Gauant. in Enchir. V. Calix*. Dubium maius eſt an cuppa fieri poſſit ſtannea. Ratio dubitandi eſt, quia Canones *de conſecr. c. Vaſa*, id apertè concedunt ex vna parte, & Gauantus ibidem ex Concilio Rhemenſi id docet; Ex alia, Rubrica, & conſuetudo videntur opponi. Tamburrinus ibidem reſpondet cum diſtinctione, quia vel ſunt antiqui calices conſecrati, & ſic eis vuult vti nos poſſe, vel agitur, vt fiant de nouo, & ſic negat; Ratio eius eſt, quia communis praxis Eccleſiarum adhibendi calices ſaltem argenteos, & Rubrica Reformati Miſſalis, ſatis videtur retractare illam Canonis conceſſionem: *Gobat. tamen tract. 3. num. 306.* ait abſolutè ſufficere calicem etiam ex ſtanno, cum quo *Rub. gen. de Defect. num. 1. cap. 10.* conſentit.

Patena ſic dicta quód omninò ſit aperta, & patens, ob quam cauſam patulæ etiam dicebantur, iuxtà illud: *patulis nec parcere quadris. 6. Aeneidos*; & dici à Græcis. *Card. Bona lib. 1. cap. 25. num. 3.* ex eadem materia eſſe debet cum calice, & chriſmate ſacrata, vt calix, & auro in parte interiori lita; ſi aurum corrodatur idem iudicium ferendum eſt quod de calice, quæ ambo etiam abſque conſecratione, ſemel ad Miſſam adhibita ſufficienter diſpoſita cenſeri debent ad ſacrificium iuxta probabiliorem ſententiam, quia

con-

contactus ſpecierum Sacramentalium habet eminenter quidquid habent preces, & ceremoniæ in Pontificali deſcriptæ, quapropter contendentes non eſſe ſacrata id euincunt, quòd non ſunt ritualiter, & quo ad modum comunem conſecrata. Nec dicas Altare non conſecratum (vt diximus cum de Altari) non eſt aptum ad Miſſam per hoc, quod aliquis celebrauerit in illo, ſed eſt conſecrandum, ergo etiam calix conſecrundus eſt, etiamſi adhibitus ſemel ſit in Miſſa. Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio eſt, quia per celebrationem ſuper Altare non ſacrum non ponuntur requiſita neceſſaria ad celebrandum in illo, ergo ſola celebratio non ſufficit.

Antecedens patet, quia inter cætera requiſita ad diſponendum Altare ad Sacrificium ſunt Reliquiæ incluſæ, ergo ſola celebratio non ſuffidit ad hoc vt Altare aptum ſit, vt in eo celebretur. Probo antecedens. Altare ab Epiſcopo conſecratum,& ſuper quo factæ fueri..t Miſſæ fit ineptum, vt vlteriùs in eo celebretur ſi abſque ſeparatione tabulæ à ſtipite auferantur Reliquiæ, ergo Reliquiæ ſunt requiſitũ eſſentiale, tùm ad primò ponẽdam conſecrationẽ, tùm ad conſ[illegible]rationẽ in Altari. Antecedens certũ eſt ex dictis *Sect. hac cap. de Altari*; Conſequentia ex ſe erumpit, eamque docet *Tamburrinus de Sacrif. libr.* 1. *cap.* 5. §. 1. *num.* 15.

Purificatorium, parua palla, & corporale, quod ab aliquibus brandeum dicebatur, vt notat Magnus, & Syndon, materiam habet communem, & debent fieri ex lino; & quidem pro pallis extat *c. Conſulto de conſec. diſt.* 1. purificatorium verò, tùm ob conſuetudinem antiquam, ſiquidem antiquis temporibus ſiniſtro brachio ligabãt mappulas lineas ad tergenda vaſa Sacrificij, quæ nouis temporibus mutata in manipulos, locum dedere purificatorijs; itaque

ſicuti

ſicuti illæ mappulæ erant ex lino, etiam purificatoria ex eadem materia eſſe debent, quia in locum earum adinuenta ſunt; tùm etiam ex fine, ex lino eſse debent, aptiora enim ſunt linea ad tergendum quauis alia materia. Pallæ, & purificatorium ex lino, vel ex cannabe eſſe poſſunt, vt Doctores communiter, & vt ex *c. Conſulto,* conijcitur, vbi habemus: *Sed in puro lineo, vel lintea*: cum ergo lintea dicantur, quæ ex cannabe fiunt, etiam per hunc canonem ex cannabe fieri poterunt. Tamburrinus quærit vtrum ex goſſipio fieri poſſint *Tamb. ibid. cap.* 5. §. 3. *num.* 4. vulgò *bombace*, & affirmatiuè reſpondet, quia telæ ex goſſipio lineæ dicuntur à Plinio, cui Azorius concordat. Purificatorium non benedicitur ſicuti neque burſa corporalium, & velum calicis; Pallæ benedici debent, vt in Pontificali, & Rituali, eandemque benedictionem habent cum corporali, cui includuntur pro benedictione, & cuius erant poſterior pars illi coniuncta, & qua calicem cooperiebant.

Quamuis calicis aptandi Regula detur in Rubrica, aliqui nihilominùs imò plurimi vnico purificatorio non contenti duos adhibent, quorum altero in cuppam immíſſo, aliud ori calicis apponunt, hoc calicem, digitoſque, & ora detergunt, illo patenam iacentem poſt Offertorium vſque ad orationem Dominicam tegunt, & tergunt; Alij præter duo illa tertium addunt acu elaboratum, quod calici imponunt, & vulgato nomine dicunt *os calicis*. Ad quid tot linteola? tolerabile dicerem ſi munda ſaltem ſeruarentur, ſed qui pluribus vtuntur, pluribus etiam menſibus adhibent vſque ad vltimam ſordem, vſque ad fętorem; ſatiùs ergo erit vnicum, & mundum adhibere, quàm plurima ad nihilum proficientia, & ſordida habere.

Sunt

Digitized by Google

Sunt qui corporalis pallæ conſuunt extremitatibus ornamenta acu picta, vulgò *merli, ò maglie*, & hæc ad latitudinem quatuor digitorum, immemores ſuper ea portari ſacram hoſtiam, & ſic fragmenta deperdi poſſe; Meliùs ergo eſſet corporale abſque ornatu huiuſmodi, vel mediocri conficere. Quæſitum eſt an in extremitate anteriori corporalis pingi poſſit acu crux. Gauantus affirmatiuè reſpondet authoritate praxis Eccleſiæ Mediolanenſis *Acta Med. Eccl. in Inſtruct. ſuppel. Eccl.* quæ fortaſſe id præcipit, vt oſculetur Crux dum oſculatur Altare, ſicuti vult Sacerdotes ante Altaris oſculum pollice, vel extremitate minimi, & duorum proximorum digitorum ſignum in Crucis in Altari efformare, quod eſt contra Rubricam, & vſum Romanum. Verum cur nàm ibi ponitur crux? Si ad oſculandum planè eſt contra vſum Romanæ Eccleſiæ, quæ vult oſculari Altare, quod myſterijs non vacat *Dur. lib. 4. c. 9. & 39. num. 6.* Innoc. 3. *lib. 2. cap. 15. lib. 4. cap. 5.* Corporali, & pallæ minori ſericum, & aurum in parte exteriori addi poteſt, vt dicunt Doctores, & colligitur in Rubrica de defectibus, vbi habemus: *corporalia debent eſſe ex lino, nec ſerico inmedio ornato*; ſi tantùm in medio prohibentur ornari, ergo non circum circa, nec in extima parte, dummodo ſuturæ ad interiora non penetrent. Aliqui Doctores volunt corporalis plicaturas *Dur. lib. 4. cap. 29. num. 3. Alcuin. apud Gau. Acta Med. Eccl. ibid.* ità diſtribui, vt extremitates non appareant, & ideò finem, & principium eius dicunt celandum, quia corporale ſignificat Chriſti Domini diuinitatem; quæ finem non habebit, nec principium habuit; his tamen non ità ſcrupuloſè adhæreo, corporale namque ſignificat vlteriùs Eccleſiam, & intentionem, nec non fidem *Dur. hic Innoc. 3.*

lib. 2. cap. 56. & Arch. in c. Conſultò, & contrarium in vſu communiter eſſe conſpicio; præterquamquod cum eſſent antiquis temporibus corporalia maiora his quibus nos vtimur, vtpotè quæ tegebant totum Altare, quæ item erant ampliora quam Altaria, quæ apud nos ſunt in vſu *Gau. par. 2. tit. 1. in num. 1.* multis plicaturis complicari debuerant, vt poſſent in burſam reponi ſacro peracto, & vt eo ſic complicato calicem in Miſſa cooperirent, parte poſteriori, nam pro parua palla corporale plicatum calici ſuperinducebant *Dur. & Innoc. hic*.

Aliqui minori palla non contenti ad calicem tegendum aliam addunt cui hoſtiam ſuperponunt ea intentione, vt faciliùs fragmenta hoſtiæ colligant, & huius vſum approbat Piſcara, ſed à ſolis Clericis Regularibus id fieri poteſt, cum illis tantùm conceſſum ſit *Polac. Aphor. par. 1. cap. 3.*

Quæſitum fuit, an velum calicis plicare ſiue reflectere liceat à parte anteriori ſuper burſam ante principium, & poſt finem Miſſæ, cum id Rubrica non exprimat. Reſpondeo affirmatiuè, ſic enim Doctores ſcribunt *Gau. par. 2. tit. 12. num. 6. lit. G. Polac. in Aſ. par. 1. cap. 29. Angelus par. 2. cap. 15. adnotat. 1.* & conſuetudine longa acceptum eſt; Antiquis tamen temporibus Calix velo inuolutus ferebatur ad Altare, vt vndique celatus eſſet, ſed nos etiam calicem adhuc celamus, quia pectus Sacerdotis ſupplet defectum veli in ea parte. Burſa continens corporalia ponitur ſupra velum, & nihil vltra, quapropter eorum damnatur abuſus, qui ſudarium ad digitos abſtergendos, & inſuper deponunt birretum Sacerdotis, hoc clauo apponendum, illud hamulis imponendum, vel tradendum Miniſtro ad portandum, vt faciunt obſeruantiores.

CAPVT

CAPVT III.

De Sacris Veſtibus Sacerdotum, & Miniſtrorum.

PRæcipitur in Rubrica, exteriori veſte vſque ad talum pedis defluente veſtiri, ſeù vt ait Tridentinum *ſeſſ*.24. *cap*.6. *de ref*. eius longitudinis, quæ bene viſa fuerit, & quam Statuta Synodalia, vel Prouincialia conſtituerint. Circa hoc quæſiuit quidam Parochus Ruralis, nùm defectui talaris indumenti ſatis occurreret, qui veſtem oblongam ſine manicis, vt aliqui ſolent, breuiſſimæ vſuali ſuperindueret, vel, vt alijs mos eſt, mediam quandam veſtẽ ad inſtar fœmineæ pallæ breui retenta veſtiretur. Ad primum affirmatiuè eſt reſponſum, quia huiuſmodi veſtis Clericalis reputatur, etiam communi vſu Presbyterorum, non modo tempore Miſſæ ad ſupplendum ipſum defectum, verùm etiam, vt à pluribus ſæpè vidi pro omnibus temporibus, & præcipuè hyemali ad expeditiorem brachiorum vſum. Ad ſecundum rigorosè loquendo huic defectu ſatis non obuiari, quia per inferiorem illam veſtem, quæ ad talos à lumbis cadit, & ſuperiorem quæ ab humeris defluit vſque ad genua in hominum æſtimatione vna veſtis talaris non reſultat, ſed vitio ſuperioris altera opitulatur illud velando, & quidem in aliquibus Diœceſibus vetitæ ſunt. Attamen vbi conſuetudo huiuſmodi veſtes patitur, qui ea vtitur tamquam talari indutum eſſe exiſtimandum cenſeo.

Petijt à me quidam timoratus Sacerdos, an peccaret ſaltem venialiter, qui ſciens Rubricas præcipere Celebranti, vt

ſuperpelliceum induatur ad ſacrum faciendum ſub amictu, nihilominus illum omitteret, quòd omnes ſic ſoleāt. Reſpondi vſum ſuperpellicei vere præcipi in celebratione Miſſæ, quòd ſi conſuetudo legem munierit peccatum erit fortaſſe mortale, non minùs quam ſine amictu, vel ſtola, aut manipulo celebrare, quod mortale eſſe aſſerit *Diana tom. 2. tract. 1. reſol. 169. Iord. volum. 1. lib. 4.* cum alijs: Quod dictum intellige extra caſum neceſſitatis. Vbi tamen conſuetudo legitima obtinuerit eo non vti neque venialiter peccat Celebrans, qui illud non adhibet, & ratio eſt, quia conſuetudo legitimè præſcripta habet vim abrogandi quamcumque humanam legem, vt communis eſt Doctorum Sententia, & aſſerit Iordanus, & Becanus cum Diana, & communiter omnes; Quod hic dicitur de cotta ampliatur ad Epiſcopos pro Rocchetto. Noto tamen quod hæc regula Regulares non obligat, tum quia in Rubrica nominantur tantùm Sacerdotes Sæculares, vt ibi videre eſt, tùm quia ijdem Regulares neque in proceſſionibus, neque in Choro vtuntur cotta.

Calceatis pedibus Sacerdoti præſcribitur Sacrum facere, & quamuis de iure aliqui contendant præcipi ſub mortali, ad maiorem tamen decentiam ſtatutum eſſe tenendum erit. Nec valet, non minùs præcipere Rubricam, vti calceis, quàm ſtola, & manipulo, & quolibet alio indumento; ſed Celebrans ſine altero horum peccat mortaliter, ergo à pari etiam qui ſine calceis. Nec valet olim Sacerdotes vſos eſſe ſandalijs iuxtà vſum Epiſcoporum *Caſal. cap. 35. Card. Bona lib. 1. cap. 24. num. 9.* communis enim ſententia eſt non peccare, quam refert *Silueſter, & Gobat. tract. 2. num. 386. Suarez. par. 3. diſp. 82. ſect. 3.*

Veſtes.

Veſtes Sacerdotales ſunt, amictus, alba, cingulum, manipulus, ſtola, & caſula; aliæ pro Miniſtris ſunt pluuiale, tunicella, & dalmatica, quæ quidem debent eſſe benedictæ, ſtata benedictione, vel ipſo vſu, vt aſſerit *Iordanus ibidem num.* 271. Vti autem vna non benedicta, aut vnam omittere eſt mortale, vt idem *Iordanus num.* 266. quamuis contrium ſentiat *Diana tract.* 1. *reſol.* 170. *&* 168. in neceſſitate. Aduertendum etiam eſt, ne benedictionem deperderint, quod fit quando forma prior perit; hæc tamen Regula in omnibus non acceptatur ab omnibus; aliqui namque volunt manipulum ex ſtola, vel ſtolam è caſula factam non indigere benedictione, cum ex benedicta veſte confecta ſit. Pluuiale non eget benedictione quia benedictionem propriam non habet, neque in benedictione generali omnium indumẽtorum, quæ eſt in *par.* 2. *Pontificalis*, fit mentio pluuialis, tùm quia nulli aſſignatur ordini Clericali, neque ex ſua inſtitutione adinuentum eſt pro Sacrificio Miſſæ, vt notat *Gauant. par.* 1. *tit.* 19. *num.* 3. tum quia eo etiam laici aliquando vtuntur *lib.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 11. & præcipue *cap.* 12. *Marcell. in Cerem. Papæ*.

Duo circa amictum notantur, primum eſt, quòd habeat Crucem in medio. Quid autem ſi non habuerit; Numquid pollice pingenda eſt in eo, vt vult *Angelus par.* 1. *tit.* 12 nequaquam; ſed capiti ſine oſculo, & crucis efformatione ponendum; non enim ponitur ibi Crux principaliter vt eam oſculemur, ſed vt in eo refulgeat, & perſpiciatur, ex cuius poſitione iubetur conſequenter pro reuerentia oſculum: Ideo autem vult Eccleſia in amictu eſſe Crucem, quia amictus, quo antiquitus caput velabatur, per totam Miſſam *Gau. par.* 2. *tit.* 2. *in num.* 1. *lit. F.*

poſt: Azor: & Card. Bona lib. 1. cap. 24. num. 3. poſt Gemmam. & Ruper. datur, vt ex ipſa oratione patet, pro galea, in qua ſignum aliquod apponi ſolitum eſt. Secundò præcipi amictu collaria tegenda eſſe, ex quo habes non deponenda eſſe, vt aliqui malefaciunt. Et quamuis collaria non modò pro linco velo, ſed etiam prò collare veſtis poſſet accipi, tamen credendum eſt de illo, & his ſimul loqui, prout in multis Diœceſibus intelligitur, quibus etiam conſonat Rubrica, quæ vult Sacerdotem Miſſalibus veſtibus indui ſuper indumenta ſua ſæcularia, & diurna, ergò etiam ſuper collare.

Errant, qui cingulo Sacerdotali ſubcinctorium, & ſubcingulum inſerunt, quia ſubcinctorium datur cingulo Epiſcopali, *Acta med. Eccl. ibid. Innoc. 3. lib. 1. cap. 37. Dur. lib. 3. cap. 4. num. 2.* Ibi etiam dicitur, quod ad Myſterium datur, non ad ligandam ſolam, vt vult *Piſc. lib. 1. ſect. 7. cap. 1. num. 10.* quæ ex ſe bene aptatur, cum habeat ſericas ligaturas in parte anteriori, & poſteriori, vt habent Acta *Med. Eccl. ibid. Cerem. lib. 2. cap. 8.* quale veró ſit myſterium vide *Innoc. III. lib. 1. cap. 52. Durand. lib. 3. cap. 4. num. 2.* Cingulum ergò Sacerdotis duas tantùm extremitates habebit, & erit abſque ſub cingulo, quod ſubcingulũ per Piſcarã, quamuis non ſit idẽ cũ epiſcopali, quia epiſcopale eſt bimembre annexum ſiniſtro lateri cinguli, vt habent Acta Mediol. Eccl. hic, Innoc. III. & Dur. hic; ſacerdotale autem conſtat ex duabus chordulis, quarum alia pendet à dextris, alia à ſiniſtris cinguli Piſcara ibidem; tamen hoc etiàm ſubcingulum eſt contra rubricam hic, vbi præcipimur connectere ſtolam extremitatibus ipſius cinguli, ergo non alterius ſubcinguli.

Quæ-

Quæres ex quanam materia debeat eſſe cingulum. Reſpondeo, quòd & ſi abuſus irrepſerit ex ſerico cingulum conficiendi auro intertexto, ex lino tamen fieri debere; Acta Med. Eccl. ibidem, & Piſc. ibidem, ſiue etiam ex cannabe; Piſc. ibid., color albus erit: Acta Med. Eccl. & Piſc. ibidem; quia eſt acceſſorium ad albam, in cuius gratiam eſt adinuentum, quamuis etiam color non careat Myſterio.

Stolam aliqui aſſerunt, non eſſe collo imponendam, itaut illud premat, ſed vt pendeat ſub ſcapulis, *Piſc. lib. 2. ſect. 7. cap. 1. num. 12. Angel. par. 1. tit. 1. num. 3.* Eorumque ratio eſt, quia non eſt ornatus colli, ſed quoddam genus veſtimenti, & quia debet eſſe ſub planeta. Verùm *Gau.* hìc *num. 3.* in *V. deoſculatur, & Polac. par. 1. cap. 4.* aſſerunt collo imponi, itàut illi adhæreat; ratio horum eſt, quia proprium eſt Epiſcopi longè à collo ferre ſtolam, quibus aſſentitur etiam *Bauldr. par. 3. in Rit. ſer. in cel. tit. 1. num. 3.* & quidem vtrorumque rationes perpendendo, poſteriores bene ſentire dicendi ſunt, nam *Cerem. lib. 2.* vult ſtolam collo Epiſcopi non imponi. *Ru'.* verò *Miſ. par. 2. cap. 1. n. 3.* dicit pro Sacerdotibus de Stola; *imponit medium eius collo, & Conc. Brachar. 3. cap. 3.* vult ſtolam premere ceruicem, & humeros, ergo propè collum, quod etiam affirmat *Innoc. III. lib. 1. cap. 4.* Quod autem in hoc non conueniant Sacerdotes cum Epiſcopis, quamuis noſtrum non ſit nunc munus perquirere, & ad alia tempora remittendum conuenientius eſſet, cum Ceremonialis difficultates Deo dante explicare feſtinabimus, poteſt tamen dici idcirco eſſe, quia collo Epiſcopi imponitur ligatura Crucis pectoralis, quæ Crux ſicuti per ſe habet vim ſupplendi Myſterium efficiendi Crucem

ante pectus partibus pendentibus ſtolæ, ità per funem à qua pendet Crux pectoralis habet virtutem ſupplendi hanc adhæſionem ſtolæ collo, ſiue ſtola ſignificet ligaturam ad columnam, ſiue ipſammet Crucem vt volunt *Durand. lib.* 2. *cap.* 4. & *S. Thom. apud Gauant.* ibidem in expoſitione allegorica veſtium. Nec valet, quod obijcit Piſcara; ſtolam non eſſe ornamentum colli, quia quamuis quoad ſe totam non ſit ornamentum colli, eſt tamen ſecundùm eam partem, cui Crux imponitur, quæ debet collo imponi, vt dictum eſt. Nec officit, quòd ab eo replicatur, videlicet eſſe quoddam genus veſtis, quia antiquis temporibus id verum erat, vt docent *Gau. in num.* 10. & *Caſal. ibid.* noſtris verò mutata eſt in torquem, vt ait Gemma apud Gauant. & videre eſt; quæ ex inſtitutione ſua vtique eſt ornatus ceruicis, pectoris; & humerorum; Nec obeſt, quod idem ait; ſtolam collocandam eſſe ſub planeta, ergo occultandam, quia ſi appareret, non eſſet ſub planeta, non obeſt, inquam, quia communi vſu loquendi acceptum eſt, illud ſub alio eſſe, quod habet aliud ſuper ſe, ſic alba dicitur poſita ſub ſtola, ſic amictus ſub alba, quamuis vtraque notabiliter appareat, quia non eſt opus ad hoc, vt aliquid ſub alio eſſe dicatur, quod ab eodem occultetur, nam aliàs corpus non eſſet ſub capite, nec turris ſub piramide illi impoſita, nec piramis ſub Cruce, quæ ſupra eam ſita eſt.

Per hæc tamen non aſſero collocandam eſſe ſtolam, itàut planetam emineat, ſed dico primo, quod ſi in aliqua parte contingeret, vt parùm emineret, tum ante pectus in anteriori parte, qua aperta eſt planeta, tùm in ſummitate poſterioris in ſcapulis pro nihilo reputabitur. Dico ſecundo non eſſe inferius ducendam ab humeris de more

Præ-

Prælatorum, ſed collo imponendam, quòd ſi libeat funiculum in medio adiungere, ne ſupra amictum elabatur apponi poteſt, quo ad cingulum alligetur, mox caſula ità funiculis firmetur, vt ſtolam pro maiori parte cooperiat.

Caſula ſeù planeta cum Cruce eſt in parte tantum anteriori, olim etiam in poſteriori habebat; eſt veſtis, vt plurimùm Sacerdotalis; aliquando ea vtuntur etiam Miniſtri, ſed ante pectus plicata, antiquis tamen temporibus eam adhibebant communiter non tantum Diaconus, & Subdiaconus, verum etiam Acolythi, & Clerici inferiores, vt tradit *Cardin. Bon. Rer. liturg. lib.1. cap.24.* quamuis non eaſdem cum planeta Sacerdotali eſſe ſentiat illas, quibus induebantur inferiores Miniſtri, nam de Diacono, & Subdiacono non dubitat *lib.1. cap.24. num.8.* Ideò autem plicabātur planetæ in parte inferiori, primis temporibus, quia Miniſtri miniſtrare non poterant induti veſte ampla, & circumquaque vſque ad talos defluente, qualis erat planeta; talis autem vſus permanſit vſque ad noſtra tempora, quamuis ſint modò ſatis breues *Card. Bona ibid.* quamuis Gauantus ſentiat complicari, ad differentiam caſulæ Sacerdotalis *Gau. par.1. tit.19. in num.6. lit. F.*

Dalmatica Diacono, Tunicella Subdiacono competit, quarum forma ſimilis eſt, ambæ cum manicis, ambæ cum lineis ante, & retrò poſitis, non vt priſcis temporibus in Dalmatica tantùm, vt ſcribit *Innoc.3. lib.1. cap.56.* Prima longior, & latior eſt, altera breuior contra id, quod tempore Innocentij ſeruabatur, vt ipſe notat *cap.55. lib.1.* anguſtior (non tantùm in manicis, vt vult *Piſc. ſect.1. cap.10. num.5.* quod eſt contra *Ceromoniale lib.1. cap.10.* vbi habemus manicas ſtrictiores quidem, at longiores) ſed

Digitized by Google

ſed inſuper in toto corpore, vt vult *Gau. hic num.* 5.
Quibus nam temporibus eis vtantur in minoribus Eccleſijs habetur in Rubrica; quod verò priùs induantur amictum albam, & cingulum *Gau. arguit ex Conc. Narbon.* ego inſuper id conijcio tùm ex *Cerem. lib.* 1. *cap.* 9. & 10. quod valet etiam pro Diacono, & Subdiacono miniſtrantibus Sacerdoti non Prælato, tùm etiam ex Pontificali Rom. in ordine Diaconi, & Subdiaconi, quibus præcipitur indui dictis veſtibus; tùm ex Rubrica propria, vbi dicitur, quod Subdiaconus legens Epiſtolam deponit planetam plicatam, & Diaconus ab Euangelio vſque ad communionem eadem planeta plicata depoſita aſſumit ſtolam latiorem, ac ſtat in alba, quod etiam ſeruatur in minoribus Eccleſiijs diebus ieiuniorum, & alijs, vt in Rubrica ad totam Miſſam, ergo ſi ſtant cum alba, ſequitur, quòd alba ſit veſtis Diaconalis, & Subdiaconalis ex ipſa Rubrica, quòd etiam de amictu, & cingulo dicendum eſt, cum ſint albæ acceſſoria.

CAPVT IV.

De coloribus Paramentorum.

HÆc Rubrica clara eſt, nec eget explicatione; Illud ſolùm dicendum videtur, quòd de Miſſis concordantibus cum Officio loquitur, non de diſcordantibus, vt ex ipſis primis verbis Rubricæ habetur, quæ ſunt: *Paramenta Altaris, Celebrantis, & Miniſtrorum debent eſſe coloris conuenientis Officio, & Miſſæ diei.*
Pro Miſſis autem diſcordantibus ab Officio, & votiuis hæc

com-

communiter traditur Regula per *Gauant. par. 1. tit. 18. n. 6. & Piſc. lib. 1. ſect. 3. cap. 7. num. 3. & 4. & lib. 2. ſect. 6. cap. 4. num. 6. & Quart. par. 1. tit. 18. dub. 3.* quod nempè in Votiuis priuatis color paramentorum Altaris ſit conformis Officio, color verò in veſtibus Sacerdotalibus, & Miniſtrorum correſpondeat Miſſæ, quæ celebratur. In votiuis autem ſolemnibus, & Altaris, & paramentorum colori, quem exigit officium conformetur, vt ijdem habent Doctores.

Hæc tamen, quæ diximus intelligenda ſunt dicta pro Miſſis ſimpliciter votiuis, & quæ omninò dicuntur ex libito Sacerdotis, nam pro illis, quæ quamuis ob diſſonantiam ab Officio, Votiuæ dicantur, habent tamen rationem de tempore, vt ſunt Miſſæ alicuius Vigiliæ infrà Octauam, & Feriarum Rogationum, occurrente cum illis aliquo Feſto, quo caſu Miſſæ colorem violaceum, Officium verò album, aut rubeum exigunt, ſtatuenda eſt cum Quarti alia regula, & eſt, quòd

Paramenta Altaris maioris pro ijs diebus dum perſoluitur officium habeant colorem Officio correſpondentem, paramenta autem minorum Altarium correſpondeāt colori Octauæ, & Feſti, quia color paramentorum debet eſſe proportionatus illi Officio, quod in eo Altari celebratur; cum autem ad ſolum Altare maius perſoluatur officium chorale, & in minoribus tantummodo Miſſale, hinc eſt, quòd pro eo tempore color Officio canonicali in Maiori, & color Miſſæ correſpondens in minoribus debet apparere; Cęterum in maiori Altari, dum celebratur Miſſa ſolemnis de Vigilia, vel Feria Rogationum apponi debet color violaceus, prout de votiuis ſolemnibus ſupra diximus.

Quæ-

Digitized by Google

Quæſitum fuit vtrum adhiberi poſſent veſtes coloris violacei pro veſtibus coloris nigri. Ratio dubitandi erat, quia in *Cerem. libr. 2. cap. 25. & Pontif. Rom. tit. de Viſit. in abſol. pro Def.* præſcribitur color niger, vel violaceus, ergo videbatur alter pro altero adhiberi poſſe, & *Durand. lib. 3. cap. 18. num. 6. Innoc.* III. *lib. 1. cap. 65.* ait, poſſe adhiberi veſtes violaceas quando nigris vtendum eſt. Hoc tamen non obſtante negatiuè reſpondetur, quia quamuis in Ceremoniali in Feria ſexta paraſceue concedatur color violaceus, conceditur tamen in defectu coloris nigri, quando commodè non poſſunt haberi Miniſtrorum, & præcipuè veſtes Epiſcopi, tamen in Miſſis Defunctorum requiruntur veſtes coloris nigri, vt videre eſt in *lib. 2. cap. 11. Bauld. par. 5. ex 2. lib. Cerem. cap. 11. art. 1. num. 1. Craſ. lib. 2. cap. 39. Piſc. lib. 2. ſect. 9. cap. 7. num. 1. Marcel. lib. 2. ſect. 2. cap. 26. 27. & 31.* etiam pro Epiſcopo.

Quod autem in Pontificali citato concedatur Epiſcopis vſus pluuialis vio acei, non tamen ex hoc bene arguitur, quòd etiam alijs Sacerdotibus concedatur, primò quia hæc conceſſio valet tantùm in defectu nigri coloris, quo caſu in neceſſitate, coloris etiã alterius adhiberi poſſent ſi violacea non eſſent, ſecundò quia hæc conceſſio eſt tantùm pro Feria ſexta in paraſceue, non pro Miſſis Defunctorum, & conſequenter dato, quòd extenderetur ad ſimplices Sacerdotes valeret tantùm pro eadem Feria; Tertiò quia aliquando in Officijs habetur ratio magis Perſonæ, Officium facientis, quàm Officij, prout habet *Marcel. libr. 2. ſect. 2. cap. 26.* dicens, quòd Summus Pontifex aſſiſtens Officio Defunctorum, vel faciens abſolutionem non vtitur colore nigro, vel violaceo, ſed rubeo; quod non fit ob aliam cauſam niſi quia reſpicitur non Officium, ſed

Per-

Digitized by Google

Perſona, nam illud exigit colorem nigrum, hic rubeum cum nigro, & violaceo non vtatur, vt habet idem *lib. 3. ſect. 3. c. 4.* Ergo ſicuti nō bene argueremus Cardinalibus, & Epiſcopis conuenire colorē rubeū in Miſſis, & abſolutionibus Defunctorum, eò quia conueniat Summo Pontifici; ſic non benè arguunt, colorē violaceū conuenire ſimplicibus Sacerdotibus, eò quod in aliquo caſu conueniat Epiſcopis.

Nec officit Durandus citatus, & Innoc.; vult enim violaceo vti nos poſſe, dum nigro vti debemus; at nota iuxta ſententiam Durandi hìc *num. 6.* Eccleſiam vti nigro colore ab Aduentu vſque ad Vigiliam Natiuitatis, à Septuageſima, vſque ad Sabbathum proximum Paſchæ; vult itaque Durandus ab Aduentu vſque ad Vigiliam Natiuitatis, & à Septuageſima vſque ad dictum Sabbathum poſſe adhiberi violaceum colorem pro nigro, ſicuti ait, Eccleſiam Romanam facere, quod vltro concedo pro his diebus. Pro die autem ſecunda Nouembris, & ſemper quando pro mortuis celebratur, ac Feria ſexta nequaquam, niſi neceſſitas aliter ſuadeat.

Quæſitum eſt vtrum in veſtibus Sacerdotalibus, & Altaris omnes ſimul quatuor colores adhiberi poſſent, & liceret Sacerdotibus vti vna planeta indifferenter pro vnaquaque Miſſa cuiuſcumque generis.

Reſpondeo primò hoc eſſe contra mentem inſtitutoris Rubricarum, qui ideò colores diſtinguit, vt alter adhiberetur, alter excluderetur, habentque in ſe vnuſquiſque Myſteria propria, vt Durand. & Innoc. 5. loco citato, & alij.

Reſpondeo ſecundò veſtem in ſe habentem quatuor colores æquè apparentes extrà caſum neceſſitatis, quamuis de ſingulis coloribus participet, à neutro illorum determinationem.

nem peculiarem ſumere poſſe, & proinde, neque eſſe albam, neque rubeam, & conſequenter ea tamquam alba, nec rubea vti poſſe; primum patet, quia ex varijs formis variæ habentur denominationes; ſicuti ex vna forma vnica denominatio, ergò cum æquè vnus, & alter color appareat, æquè vnus etiam, & alter denominant planetam, quòd ſi albus v.g. præualeat, eo caſu denominatio deſumenda eſt à potiori, & planeta erit exiſtimanda alba, prout etiam de facto moraliter reputatur. Dixi extra caſum neceſſitatis, quia in eo caſu ſicuti poſſumus vti alba veſte pro nigra, cum Rubrica de colore non ſit tàm rigoroſa, ſic poſſumus vti veſte, quæ ſecundum aliquam ſui partem eſt conueniens. Vſus tamen obtinuit quòd vna planeta cum pluribus coloribus adhibeatur communiter etiam in præcipuis Eccleſijs.

Quærit, *Quart. hic dub. 2.* vtrum color auri in veſtibus æquivaleat cunctis coloribus, aut ſaltem rubeo, & albo; & affirmatiuè reſpondet, quia aurum, lucidum habet per quem albo aſſimilatur, & igneum per quem rubeo, & concludit exceptis violaceo, & nigro, cæteris coloribus equipollere, eoque pro rubeo, viridi, & albo vti nos poſſe, quod etiam eſſe in vſu docet. Ego tamen quamuis veſtes aureas, vt ipſe tradit, feſtiuas fatear, adhiberi tamen poſſe de rigore pro veſtibus omnium colorum minimè aſſentior, quia color auri nec albus, nec rubeus eſt, ſed color flauus qui approximat viridi, ergo ſicuti albo pro viridi, aut rubeo vti non licet extrà neceſſitatem, ſic neque planeta aurea pro alba, & rubea, ſed pro viridi, cuius colori approximat, vt dictum eſt.

CAP.

Digitized by Google

CAPVT V.

De Miſsali.

MIſſale deriuatum eſt, vt per ſe patet, à Miſſa, cuius regulas, & partes continet, ſicuti Rituale ab antiquis dictum eſt volumen, in quo quidam ritus, & ceremoniæ ſuperſtitioſæ Gentilitatis erant collectę, vt ait *Feſt. & Cic. de Diu. 1. mihi* 124. & quamuis ab aliquibus dicatur eſſe benedicendus, inter quos, *Fuſcb. de Viſit. lib. 1. cap. 23. num. 3. poſt Abb. in cap. 1. num. 3. de pign.* tamen nequaquam in vſu eſt, nec neceſſe eſt benedici, quomodo etiam Pontificale, quo in Miſſa vtimur, & Rituale, ac Officium, cum ſit illud, quod ea continet, quibus cætera ſacrantur, & benedicuntur; nec poteſt benedici propria benedictione, cum neque in Pontificali, neque in Rituali, neque alibi ea reperiatur, contra id, quod docet, *Diana tractat. de celebrat. Miſſ. reſol.* 170.

Communis ſententia Doctorum eſt, eum peccare mortaliter, ſaltem quoad canonem, qui ſine Miſſali, & quidem reformato celebrat; quamuis aliqui contrarium teneant. Non ità tamen rigorosè, & materialiter eſt accipienda præſentia Miſſalis, vt in caſu, quo illud non poſſit haberi, non ſufficiat alius liber, aut ſcriptura continens omnes Miſſæ partes, vt docet *Tambur. lib. 1. cap. 5. §. 2.*

Quæſtio, vlteriùs, contemnenda non eſt, vtrum ſub peccati pæna Sacerdos teneatur ex libro ante ſe poſito Miſſam legere, aut ſufficiat, illam memoriter dicere, & ſatis per præſentiam libri caueatur periculo errandi, & inferendi per hoc ſcandalum proximo. Aliqui putant teneri legere Miſ-

ſam

ſam ex libro, eorumque ratio eſt, quia præſentia Miſſalis eſſet nimis materialis, immò ſuperflua, & prope idem eſſet in præſentia Miſſalis Miſſam memoriter dicere, ac celebrare omninò abſque Miſſali; tùm etiam quia legendo ex libro occurritur periculo errandi, aut cum admiratione aſtantium, conſiſtendi in medio lectionis. Addunt ipſam Rubricam ſæpè docere, quòd Miſſa legatur, *Rub. gen. par. 2. tit. 1. num. 1. & tit. 4. num. 7. & tit. 6. num. 1. tit. 7. num. 4. inſuper Gerem. lib. 1. cap. 20. & lib. 2. cap. 8. & al bi: Acta med. Eccl. in inſtruct. Sacerd.* Aliqui contrà negant, Sacerdotem teneri ſub graui peccato ea legere ex libro, dummodò rectè ea calleat; eorum ratio eſt quia, non eſt inducenda obligatio grauis niſi de ea legitimè conſtet, de hac autem obligatione non modò non conſtat, verum plurimi Doctores inferius memorandi negant eam adeſſe; ergo non eſt inducenda hæc obligatio. Ad contrarias rationes reſpondent, non eſſe ſuperfluam, aut nimis materialem præſentiam libri, cum habeatur, vt occurri poſſit periculo errandi, & ſit remediũ memoriæ hæſitanti, ſicuti in Miſsali habentur quædam orationes v.g. *Pater noſter*, *Agnus Dei*, *Kyrie el. iſon* tota Confeſſio cum ſuo Pſalmo, *Lauabo inter innocentes* &c. quæ non leguntur ex libro, & tamen non ſunt ſuperflua, nec eorum præſentia nimis materialis, quià ſufficit ea præ manibus haberi, vt ſi oriatur in Sacerdote, aliqua turbatio mentis facile poſſit haberi recurſus ad librum; ergo, inferunt, ſicuti ex libro non eſt neceſsarium legere eas partes, quamuis in eo inſcribantur, neque opus eſse legere cætera, dummodò benè memoria teneantur. Quod autem dicitur de periculo errandi, aut in medio lectionis conſiſtendi ob mentis perturbationem, aut diuagationem, reſpondent, Sacerdotem benè callentem partes

Miſsæ

Miſsæ non ſubiacere huic periculo, ſicuti non ſubiacet periculo errandi in dicenda cofeſſione, *Pater noſter*, *Lauabo*, *Kyrieeleiſon*, *Orate fratres*, *Quam oblationem*, *Agnus Dei*, *Corpus tuum Domine*, *Deus, qui humanæ ſubſtantiæ*, & alia, quæ ex Miſsali diſtante, aut legi non poſsunt, aut non debent, cum alia actio oculos impediat, & ad ſe trahat; Ratio eſt, quia non minùs bene memoritèr tenent ea, quàm Orationem Dominicam; quodſi in medio lectionis aliquando conſiſteret, & admiraretur Populus, cum hoc propriè non ſit ſcandalum, ſequitur, quòd neque huic periculo teneatur Sacerdos ſub mortali occurrere; Rubricæ, verò ac Ceremonialis verba, per quæ legere ex libro docemur, non obligare aiunt ſub peccato mortali; eorumque ratio eſt, quia, vel Rubricæ Miſſalis præceptiuæ, & obligantes ad mortale ſunt, quæ reſpiciunt integritatem Sacramenti, & Sacrificij, quæque communiter habentur à Doctoribus præceptiuæ, vel in quibus dicitur grauiter vel grauiſſimè peccari à tranſgreſſore, vt vult *Gauant. par.* 3. *tit.* 11. *à num.* 1. *vſque ad* 5. incluſiuè; Vel vt vult *Tamburrin. lib.* 2. *cap.* 5. §. 1. *num.* 3. quæ continent, ſeù notant aliquid, quod aliàs à iure, vel ex legitima conſuetudine grauiter iubetur, vel ipſæ Rubricæ grauiter, & ſub mortali præcipiunt, & ſic legere Miſſam ex Miſſali non cadit ſub præcepto, vt patet; vel vt vult *Quart. citat. vbi de Rub.* illi quæ agunt de actione in Miſſa patranda, & ſic legendus eſſet Introitus ex *Rub. par.* 2. *tit.* 4. *num.* 7. tantùm; Prophetiæ, & Epiſtola ex *tit.* 5. *num.* 4. *tit.* 6. *num.* 1. & 4. ac Communio ex *tit.* 11. *num.* 1. *Ex Cerem.* verò tantùm Hymnus Angelicus legendus eſt ſi Epiſcopus velit; Epiſtola, ac Euàngelium, & *Credo*, ergo cætera omnia, cum neceſſaria Rubrica neceſsaria Ceremoniale, legenda eſſe

L dican-

dicantur, poſſunt dici memoriter ob rationem ſuperiùs allatam, videlicet non eſse inducendam obligationem, vbi de eam aniſeſtè non apparet. At quamuis Rubrica dicat, quòd hæc ſupradicta legantur, ſi aliquis ea teneat mente, nec mentaliter ea recitando diminutionem ſentiat deuotionis, ac mentis diuagationem, cur etiam non poterit ea mentaliter dicere, cum habeatur ſubſtantia facti, quamuis non ſeruetur modus deſcriptus in Rubricis.

Hæc ego; priùs quam ex Tambur. poſt Suarez, & Delugo decerpſiſſem excogitata argumenta reprehendentibus meã conſuetudinem, quæ tamen erat dicendi memoriter totum canonem, identidèm tamen oculos ad librum conuertendo, canticum Angelicum, Simbolum, & omnia ſecreta communia ſingulis Miſſis; ſæpius obieceram, quæ tamen nil profecere, quoadusque horum Doctorum ſententia eos à propria non deterruit.

Addo, quòd ſicuti Rubrica, & Doctores dicunt ſufficere librum cum ſolo canone, ex quo infallibiliter colligitur, cætera poſse ſuppleri memoria Celebrantis, cur non etiam præſente libro hæc eadem memoritèr dici poterunt; Præfecto neſcio vndè diſparitas aliqua deriuari poſſit. Quibus ſic ſtantibus vlteriùs progredior, & dico quòd ſicuti ſola memoria benè inſtructi poteſt ſuppleri defectus Miſſalis in ijs, quæ non ſpectant ad canonem, cur non etiam occurrere poſſimus errandi periculo per bonam memoriã ſimul, & præſentiam libri, tùm in canone, tùm in cæteris, cum in omnibus Suarez, cum Tambur. ſolam memoriam abſque libro ſufficere euidenter demonſtret. Infer quòd ſi aliquis Sacerdos non poſſit legere, ſed videat calicem, & Hoſtiam, & omnia dicenda memoria teneat, poteſt celebrare, vt docet *Dian. tom. 2. tract. 1. reſol. 137. & Tambur.*

bur. lib. 1. cap. 5. §. 5. num. 1. ſed aſſiſtat ſaltem Diaconus pro fragmentis colligendis neceſse eſt.

Obijciebant; ideò ordinem Miſsæ haberi in Miſsali, vt legatur à Celebrante. At nequaquam id verum eſt. Ideò enim ordo Miſsæ primò eſt appoſitus vſque ad minimum verbum, vt noui Sacerdotes ex hoc habeant, quæ poſſint tùm obſeruare, tùm mandare memoriæ, puta Introitum, confeſſionem cum Pſalmo, *Deus qui humanæ ſubſtantiæ*, multaque alia, quorum aliqua procul dubio meliùs eſt memoriter dicere, quàm legere; quis enim diceret, Sacerdotem thurificantem teneri, legere omnia, quæ habentur poſt oblationem Hoſtiæ, ſiuè orationem, quæ dicit imponendo vinum, & aquam in calice, aut duas priores ante Introitum, *Domine non ſum dignus*, aut eas partes orationum, cum quibus producuntur ſigna Crucis ſuper oblata, vbi propter periculum euertendi calicem conſultiùs videtur, & eſt ea memoriter recitare. Secundò in tantùm ordo totius Miſsæ eſt in Miſsali, in quantum neceſse erat dari aliquem librum, in quo explicaretur tota ſeries Miſsæ, nec aliquid deſideraretur, qui liber eſt Miſsale, quo vnico quiuis Sacerdos ſufficienter inſtrui poſsit ad Miſsam celebrandam.

Fateor tamen, quamuis hæc memoritèr dicam, tamen non ſine cauſa id facere, quæ eſt hebetudo oculorum, ob quàm aut Miſsale collocare cogerer ſuper corporale, aut declinare extra medium Altaris, ibique legere cum multo meo labore; nam ſi hoc defectu non laborarem magnam partem ſecretarum libentius legerem, ex libro præcipuè ante conſecrationem, nam poſt, ſemper defixis oculis in Sacramento reliqua ex memoria non dubitarem, ob deuotionem, quam mihi experiori videor, recitare, quod tamen

pro nouis Sacerdotibus ſatis tutum non eſt, tum ob periculum errandi, tùm etiam ne illuſionibus dæmonis facilis detur aditus, vt docent multi, & ſignanter B. Philippus Nerius *teſte Iacobo Baccio lib. 2. cap. 5. num. 16.*

Quæſitum mihi fuit in viſitatione diœceſis à quodam Sacerdote, aliquando in rurali Oratorio celebrante vbi paginæ Miſſalis infrà actionem ità effractæ erant circà exteriores angulos, vt vix medietas canonis appareret, & tabula ſecretarum ità ſordibus, & vetuſtate obtenebrata, vt literæ diſparuiſſe viderentur, an cum eo Miſſali celebrare poſſet, cum iam optimè totam Miſſam memoriter haberet. Ex ſupra dictis auctoritate Suarij, & Tambur. iam vides amice lector, quid reſpondiſſe potuerim. Dixi ergo non eſſe ſufficientem cauſam non celebrandi, cum & memoria, & illæ partes canonis, que hinc indè apparebant periculum errandi amouerent, & hæc pro Miſſali; obſcuritatem verò tabellæ nihil officere, vti etiam tabellarum Euangelij Sancti Ioannis, & pſalmi *Lauabo*, quæ ad commodum non propter neceſſitatem ponuntur, cum earum defectus corrigi poſſit per præſentiam Miſſalis, præterquamquod cum iſtæ eandem naturam habeant cum Miſſali, cuius ſunt partes, & cum in ſententia Suarez non ſit neceſſarium Miſſale, multo minùs hæ, quæ continentur in Miſſali. Super addidi conſultiùs eſſe, ſcribere canonem in pagina ad euitandum peccatum veniale, quod contraheretur vtique per negligentiam conſulendi ſuper hoc defectu.

Quæſiuit alter, qui ob ſenectutem, canonem in Miſſali legere nequibat, nec literas in tabella, an ante Crucem collocare prohiberetur librum quendam, qui inſcribitur *Canon Miſſæ*, in quo literis groſſioribus totus ordo Miſſæ expreſſus habetur, quo vtuntur Prælati. Affirmatiuè reſpondi,

nullo

nullo enim iure contrarium cauetur; nec liber eſt pro ſolis Epiſcopis, & Prælatis, vt patet ex titulo, & ex eodem ordine Miſſæ, qui continet omnia, quæ pertinent ad Prælatos, & ſimplices Sacerdotes. Quod ſi conſuetudo hoc ius Prælatis ſolis tribuit, quod certè non eſt, adhuc propter neceſſitatem ex debilitate viſus, eo vti poſſent Preſbyteri, ſicuti bugia vti non prohibentur quando neceſſitas ſuadet. *Piſc. lib. 3. ſect. 2. cap. 1 num. 12.* minutiora quædam de Miſſali traduntur, & quidem Angelus dicit, quod in fine Miſſæ, quando clauditur reſpiciat calicem ex parte clauſa *par. 2. tit. 1.* ſed, vt ait Gauantus ibidem *tit. 12. in num. 1.* attenditur decentior geſtus claudentis, qui eſt, per ipſum, vt manu dextera claudatur, & vt pars clauſa reſpiciat calicem, ſi liber eſt in cornu Epiſtolæ, ſi autem eſſet in cornu Euangelij pars clauſa nequaquam reſpicit latus Epiſtolæ, ſed partem Aquilonarem. Ego ambabus manibus librum claudo nulla habita ratione cæterorum, cum nullum in hoc ſit myſterium, vt tenet Gauant.

Librum aliqui accuratiores integumento coloris, qui adhibetur in Miſſa, conueſtiunt, portantque illum ad Altare ambabus manibus, ac per angulos inferiores eleuatum ante pectus, & longè ab eo, vt docet *Rubric. gen. par. 2. tit. 6. num. 4.* quod tradit etiam, *Gauantus par. 2. tit. 2. num. 1. lit. B.*

Digitized by Google

PARS II.

SECTIO I.

CAPVT I.

De Semiduplici, Feria, & Vigilia.

QVONIAM Rubrica de duplici clara eſt, nihil de ea agendum videtur. De Semiduplici fit Miſſa in Dominicis, & diebus infrà Octauas, non tamen in omnibus Dominicis, quià earum ſunt quædam ſolemniores, quæ ſub ritu duplici celebrantur, pro quibus ſingulis, peculiares extant Rubricæ. Neque in omnibus diebus infrà octauas fit Miſſa ſub eodem ritu; Exemplum habes in duobus poſt Paſcha Reſurrectionis, & Pentecoſtes.

Excipiuntur item Vigiliæ ſi fortè infrà Octauas occurrant; nam tùnc de Vigilia non fit officium, vt in Tabella occurrentiæ in Breuiario *num. 4. die* 14. *Auguſti*, & tamen celebratur Miſſa de Feria, vt habes ex Rubricis generalibus, & peculiabus. Exemplum aliud habes in Vigilia Apoſtolorum Petri, & Pauli cadente infrà Octauam Sancti Ioannis Baptiſtæ; in Vigilia item Aſſumptionis cadente infrà Octauam Sancti Laurentij, & in *Rubrica generali par.* 1. *tit.* 3. *num.* 2. Miſſa tamen huiuſmodi non comprehenditur in hac Rubrica, quæ agit de concordantibus cum Officio, non de votiuis; hæc autem non concordat cum Officio, ac proindè eſt votiua, quod ſi mauis in hac Rubrica com-

prehen-

Digitized by Google

prehendi, lege exceptionem ſequentem, ideſt *niſi propriam habuerit Miſſam*.

In Ferijs maioribus, ſcilicet Quadrageſimæ, in Ferijs quatuor Temporum, & Vigiliarum dicuntur duæ Miſſæ cadente Feſto &c. vt in Rubrica, & cadente die Octaua, non die infrà Octauam, vt hic notat *Gauant. & Quart. par.1. tit.3. num.1. & num.2.* & alij communitèr.

Nec valet (liceat aliquas rationes afferre contrà eos, qui Doctoribus, eorumque rationibus non acquieſcunt) nec valet, inquam, quòd eadem Miſſa, quæ celebratur infrà Octauam, celebretur etiam die octaua, ac proindè ſicuti cadente Feria huiuſmodi in die Octaua duæ dicuntur Miſſæ, ſic etiam cadente in die infrà Octauam dici debeant duæ Miſſæ, non minùs ac die Octaua.

Non valet, inquam quià etiamſi ſit eadem Miſſa materialitèr, ideſt quoad Orationes, Euangelium, & aliàs partes ſui, non eſt tamen eadem formalitèr, & quoad ritum, dies enim infrà Octauam eſt ſub ritu ſemiduplici, dies Octauæ ſub duplici, & æqualis ferè ritus cum die cuius eſt Octaua.

Vrgent: eadem materialitèr, & formalitèr eſt Miſſa diei Octauæ, ac Feſti, ſicuti eadem eſt Miſſa materialitèr, & formalitèr vnius diei infrà Octauam, cum Miſſa alterius diei infrà Octauam; ergo ſicuti Collegiatæ non excuſantur à duobus Miſſis in die Octauà, quamuis eadem Miſſa lecta ſit die Feſto, ità non excuſari poſſunt ab eadem obligatione diebus infrà Octauam, quamuis eadem omninó Miſſa, aut lecta ſit, aut legenda.

Reſpondeo tamen primò ſatisfieri Octauæ ſi de ea fiat commemoratio in Miſſa conuentuali de Vigilia, ſicuti ſatisfit diei Dominico occurrenti cum duplici, de quo celebratur conuentualis cum commemoratione Dominicæ.

Reſpondeo ſecundò quod totam dirimit controuerſiam Rubrica peculiaris in Vigilia Aſsumptionis, & in Vigilia Sancti Petri, & Pauli cadente in Sabbatho, & die Sancti Leonis in Dominica, quibus caſibus non notantur duæ conuentuales, ergo idem de omnibus Vigilijs cadentibus infrà Octauas dicendum eſt, cum omnes Vigiliȩ, & Octauȩ ſint eiuſdem rationis, vt Doctores dicunt, & eſt extrà controuerſiam.

Confirmat hic Gauantus; non eſſe dicendas duas Miſsas ex Rubrica *num.* 2. vbi habemus de Vigilijs infrà Octauas occurrentibus celebrari Miſsam, cum commemoratione Octauæ, ex qua Rubrica arguit ommittendam eſse Miſsam de Octaua. At hæc illatio legitima non eſt, quià Rubrica *num. hoc* 2. agit de priuatis, à quibus ad ſolemnes non valet arguere in commemorationibus. Quòd autem hic agat Rubrica de priuatis patet, ex eò quià dicit, quod ſi occurrat Feſtum, Dies infrà Octauam, & Vigilia dicenda ſit Miſsa de Feſto, cum duabus commemorationibus, Octauæ videlicèt, & Vigiliæ, quæ poſtrema procul dubio fieri non poteſt in conuentuali de Feſto, vt hic habes *num.* 1.

Excipies ab hac regula Octauam Corporis Chriſti, ſi in aliqua eius die intermedia occurrat Vigilia Sancti Ioannis Baptiſtæ, vel Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, quo caſu celebrantur priuatæ de Octaua, cum commemoratione Vigiliæ, & duæ itidem Conuentuales ex Decreto Vrbani VIII. vt habetur apud Gauantum in nouis impreſſionibus *par.* 1. *tit.* 3. *in num.* 2. *& Arnaud. hic*.

Dices: omnis Octaua eſt eiuſdem rationis, ergo quod verificatur de vna, debet etiam verificari de aliâ, ergo ſicuti die infrà Octauam Corporis Chriſti cadente Vigilia debet dici duplex Miſsa, ſic debet etiam fieri in alijs Octauis.

Reſ-

Reſpondeo enim primò, quod diſpar eſt ratio, quia Octaua hæc Corporis Chriſti excludit Feſta ſemiduplicia, quod fit vt Populus audiat miſsam de Sacramento, vt habet hic Quart. ex Piſcara, ergo miſsa dicenda eſt de Sacramento, nec tamen prætermittenda eſt miſsa Vigiliæ, tùm ob Populi monitionem, tùm etiam, vt Officium Chorale habens commemorationem Vigiliæ ex omni parte ſit correſpondens Officio Altaris. Reſpondeo ſecundò, quod ſi diei infrà alias Octauas coincidenti cum Vigilia, dandæ eſsent duæ conuentuales, data vtique fuiſset à Recognitoribus *Miſsalis* ſub Vrbano VIII. ſicuti data eſt huic Octauæ Corporis Chriſti.

Ad id autem quod dictum eſt, omnes Octauas eſse eiuſdem generis: Reſpondetur falſum eſse, quia etiamſi poſtrema dies omnium Octauarum, exceptis Octaua Epiphaniæ, Aſcenſionis, & Corporis Chriſti, ſit duplex minus, & dies intermediæ ſint, vt plurimum, ſemiduplicia Feſta, & idem omnibus diebus celebretur officium, quod prima die, præſcindendo à ritu duplicis, & ſemiduplicis, tamen aliquæ Octauæ ſunt priuilegiatę, quæ excludunt omne Feſtum, & omnem Miſsam votiuam, aliæ non, ex quo patet Octauas omnes non eſse eiuſdem generis.

Quæres vtrum cadente aliqua Vigilia in Quadrageſima, quo caſu fit miſsa de Feria, cùm commemoratione Vigiliæ, legatur etiam Euangelium Vigiliæ in fine.

Reſpondeo negatiuè, & ratio eſt, quia Euangelium in fine legitur in Miſſa in quantum lectum eſt in Officio iuxta Rubricam generalem *par.* 1. *tit.* 13. *num.* 2. cum autem in Officio nihil fiat de Vigilia vt in *Rubr. Breuiar. die* 13. *Febuarij*, & conſequenter non legatur Euangelium, ſequitur quòd neque legatur in Miſſa.

CAPVT

CAPVT II.

De Miſſis Votiuis, & alijs á currenti.

QVamuis omnes promiſcuè Votiuæ priuatæ quocumque die dici poſſint, Dominica non occurrente, aut Duplici, vel Officio quod Duplex excludat, magis tamen conuenire videntur ijs diebus infrà hebdomadam per annum habentibus Officium feriale, dummodò non ſit reſumenda Miſſa Dominicæ impeditæ, & ob paritatem rationis, niſi ſit anticipanda aliqua Dominica, cuius ſedem ab alio Feſto maiori occupetur, puta Secunda poſt Epiphaniam, cuius Officium fiet in Sabbatho vindicante ſibi, Septuageſima diem proximè ſequentem. Votiuæ verò conuentuales non modò non conueniunt, ſed neque dici poſſunt extra dictos dies, & quidem non niſi iuxta dierum diſtributionem, vt in Rubrica Votiuarum prima. Vtrumque ex Rubrica *par. 1. tit. 4. num. 3.*

Ratio autem ob quam Eccleſia inducatur ad tolerandas huiuſmodi Miſſas, his magis diebus, quam vel in ferialibus Aduentus, Quadrageſimæ, Vigiliæ, &c. vel in Feſto ſemiduplici, vel ſimplici, eſt primò, quia in ferialibus diebus extra Aduentum, Quadrageſimæ, &c. non aſſignatur Miſſa peculiaris, ſed de præcedenti Dominica, ac proinde nulla Miſſa in libro Miſſali poſita ſic omittitur, omitteretur autem, ſi facilè concederetur votiuæ in Ferijs, quibus dicenda eſt Miſſa Dominicæ impeditę, vel Ferialis Aduentus, Quadrageſimæ, aut Vigiliæ, vel Feſtis ex ſupradictis, quæ omiſſio maximé fit ab Eccleſia. Hęc tamen non militat in Ferijs Aduentus, quæ propriam non habent

habent Miſſam, ſed ideò facilè Eccleſia non vult, omitti, vt Miſſa de tempore magis nobis proficiens, vtpotè ad terrorem inducens, & ad pœnitentiam prouocans, quampluries fieri poſſit, repetatur. Secundò, quia diebus ferialibus non impeditis per annum Miſſa ab Officio diei minùs diſcordat, quam quæuis votiua ab Officio feriali Quadrageſimæ, cæterorumque Ferialium, quæ Officiorum diſcordantia maximè ab Eccleſia cauetur, vt colligitur ex Rubrica poſt Octauam Epiphaniæ, & Rubrica 24. Dominicam Pentecoſtes; Quod verò minimum diſcrepet, eſt, quia tota concordantia Officij miſſalis cum chorali ſita eſt, vt plurimum, & regulariter in eo, vt Euangelium, & orationes, & hymnus Angelicus correſpondeant Euangelio, orationibus, & hymno S. Ambroſij in horis canonicis poſito, quod patet, quia Introitus, Epiſtola, Tractus, Graduale, Symbolum, Offertorium, Communio, Euangelium S. Ioannis non habent ſibi correſpondentes partes in Officio canonicali.

Dixi, vt plurimum, & regulariter; quia concordant aliquando lectiones cum Epiſtola, & Offertoria, ſiuè Poſtcommuniones, & Tractus, vel Gradualia cum reſponſorijs antiphonis, Capitulis &c. exempla habes in Miſſa Beatæ Mariæ Magdalenæ, & S. Eliſabeth Reginæ Luſitanorum, & in Miſsa Kalendis Auguſti, & in Feſto S. Stephani, & in eius Inuentione, & de Communi pro Virgine, & Martyre; Cum igitur Officium feriale, nec Euangelium habeat, nec *Te Deum*, niſi tempore Paſchali, in his duobus Miſsa ab Officio diſcordare non poteſt, ſed nec in Oratione diſcordat, quia ſecunda in miſsa eſt oratio de tempore, tertia oratio poteſt etiam eſse de Suffragijs, ergò minima eſt officiorum diſonantia in hoc caſu. In Ferijs

autem

autem Vigiliarum, & Quadrageſimæ diſcordat ab Euangelio, diſcordat à colore paramentorum, diſcordat Miſsa ab Officio ſecundum ſe totam, quia omnes ſuas partes habet nos ad pęnitentiam allicientes, quod etiam de Ferialibus Aduentus militat. Extra hos dies etiamſi minùs conueniant, poſsunt tamen dici votiuæ, videlicet in quocumque Feſto ſimplici, & ſemiduplici, *ex Rubr. poſt Miſ. dedic. Eccl.* dummodò rationabilis cauſa intercedat, & id paſſim non fiat.

Quæres quænam cenſeatur cauſa rationabilis dicendi votiuas.

Reſpondeo iuxtà mentem *Tambur. lib.* 2. *c.* 6. §. 1. *num.* 8. & deinceps. Maior deuotio Celebrantis, & ego propter paritatem rationis addo etiam, audientis; Neceſſitas, vel communis, v.g. ſerenitatis, pluuiæ; & periculum, itidem commune puta, peſtis, belli &c. vel priuatum, v.g. periclitatio vitæ Patris familias; vel alterius Perſonæ, aut iacturæ in bonis, vel priuata neceſſitas, quam Sacerdos, v.g. habet percipiendi alimenta ab Altari, quę minoris exiſtimari non debet periculo, & neceſſitate priuata alterius; Defectus, item libri Miſsalis continentis v. g. Miſsas ſolas Defunctorum; Solemnitas item Eccleſiæ in qua celebratur, cuius Officium ab Officio Sacerdotis dat occaſionem dicendi miſsam iuxta ſolemnitatem Eccleſiæ, quæ tamen miſsa non poteſt dici votiua ſimpliciter iuxta dicenda.

Quæres hic quænam miſsæ dicantur votiuæ ſimpliciter.

Reſpondeo quod Votiuum propriè loquendo illud eſt, quod eſt merè voluntarium, & ità fit, vt poſſit etiam omitti *Gau. par.* 1. *tit.* 3. *num.* 2. quàpropter Miſsa, quæ de duplici Feſto primę Claſſis, celebratur v.g. in Eccleſia S. Domi-

nici

Digitized by Google

nici à Sacerdote Sæculari, qui horas canonicas celebrat de Feria, non poteſt dici votiua ſimpliciter; ratio eſt, quia etiamſi diſcordet ab Officio, non poteſt tamen non dici ex ſuppoſitione, quod dicatur in ea Eccleſia. Quòd autem non poſſit dici alia Miſsa in ea Eccleſia eſt, quia in ea Eccleſia celebratur Feſtum duplex primæ claſſis, quod prohibet quaſcumque Miſsas, quæ non ſint eiuſdem Feſti in ea Eccleſia. Præterquamquod Sacerdos exter celebrans in ea Eccleſia ſit miniſter eius Eccleſiæ, & eiuſdem ritibus ſe accomodare tenetur.

Sic miſsa pro Sponſis, quia eſt de præcepto, vt ex propria Rubrica, & ex *Rituali Romano Pauli Quinti de Sacramento Matrimonij* non eſt ſimpliciter votiua. Nec obſtat quod tradatur ſub titulo *de Miſſis votiuis*, quia ſub eodem titulo ponitur miſsa B. *Mariæ* Virginis, & tamen non eſſe votiua, ponitur à Gauanto hic. Nec obſtat, quòd nec cum Officio concordet, quia miſsa B. *M.* V. in Sabbathis Aduentus non concordat cum Officio, & tamen non eſt votiua quod colligit Gauantus hic, tùm quia etiamſi diſcordet ab Officio, eſt tamen de præcepto, nec poteſt omitti.

Neque eſt votiua Miſsa, quæ dicitur in Anniuerſario conſecrationis Altaris, cum ſit de præcepto, habeatque hymnum Angelicum, & Symbolum, & tamen cum Officio non concordat, & aliæ, quas hic recenſere ſuperfluum eſt, cum ex regula ſupra tradita facilè dignoſci poterunt.

Prima ſeries votiuarum ſunt numero octo, ſingulæ ſingulis Ferijs aſſignatæ, præterquam quintæ, & ſextæ, queis binæ tribuuntur. Quales Miſſæ dicantur pro gratiarum actione habes in Rubrica poſt Miſſam de Sancta Trinitate, in quibus nota, quòd in priuatis non coniunguntur oratio-

nes,

nes, videlicet quæ eſt in Miſſa cum oratione pro gratiarum actione ſub vna concluſione; Ratio eſt, quia debent tres eſſe Orationes ex Rubrica *par.* 1. *tit.* 9. *num.* 14. vbi ait poſtquam dixerit de ſolemnibus: *In alijs autem dicuntur plures, vt in Feſtis ſimplicibus*, quæ explicat Rubricam poſt Miſſam de Sancta Trinitate, quarum ſecunda eſt de die, tertia pro gratiarum actione *Gau. par.* 4. *tit.* 17. *num.* 15. In ſolemnibus autem putat Gauantus *par.* 1. *tit.* 7. *num.* 7. *lit.* N. & *tit.* 9. *num.* 14. ſub duplici concluſione eſſe dicendas, & ratio eius eſt, quia Rubrica indicat orationes eſſe duas; At Rubricam examinando conſpiciemus, rem aliter ſe habere; Rubrica enim ait, *additis ſequentibus orationibus ſub vna concluſione*; Ecce ergo orationes non ſunt duæ, cum per vnam concluſionem connectantur in vnam, vt vſus eſt Cappellæ Papalis.

Sed quid, ſi pro gratiarum actione diceretur Miſſa de S. Maria, quæ ex Rubrica poteſt dici? debet ne poni oratio de Spiritu Sancto.

Reſpondeo negatiuè, quia, vel eſt ſolemnis, & ſic duæ tantùm ſunt orationes ſub vna concluſione, vt dictum eſt, & conſequenter oratio de Spiritu Sancto, locum non habet, quia prior eſt de B. M. poſterior pro gratiarum actione, vel eſt priuata, & ſic tres debent eſse, prima videlicet de Sancta Maria, ſecunda de Officio, tertia pro gratiarum actione, vt nuper vidimus. Nec obſtat Rubrica *par.* 1. *tit.* 9. *num.* 15. quæ docet in Votiuis B. M. dici orationem de Spiritu Sancto, primò quia hæc Miſsa propriè non eſt de Sancta Maria, ſed eſt Miſsa pro gratiarum actione; ſecundò quia, nec in ſecundo loco debet poni, cum eam ſedem ſibi vendicet oratio Officij, nec in tertio, quia eum occupat oratio gratiarum actionis, quæ ex propria

Ru-

Rubrica non eſt omittenda, ſed nec plures dicere eſt neceſſe, ergo non debet dici. Quartò, quia ideò ponitur oratio de Spiritu Sancto, ne in tertia etiam oratione eam imploremus denuò, cuius opem petiuimus in priori, vt explicat Gau. nàm tres orationes debent omninò eſſe, hìc verò ceſſat hæc ratio, quia tres ſunt abſque ea de Spiritu Sancto. Gauantus *par. 1. tit. 9. num. 9. lit. E.*

Alia ſeries Miſſarum ſunt numero treſdecim, quarum ſecundam, quæ eſt pro coronatione, & creatione Summi Pontificis, etiam in Dominicis, & alijs Feſtiuis diebus dici poſſe ſcribit *Gau. par. 4. tit. 17. num. 18. & Piſc.* quod concedendum non ambigo, ſicuti etiam dicitur Miſſa pro electione, & conſecratione Epiſcopi ex propria Rubrica; Ambæ autem admittunt hymnum, & ſymbolum, vt in Miſſa pro conſecratione Epiſcopi habetur; In Anniuerſario autem Epiſcopalis conſecrationis, Dominicis, & Duplicibus non poterit dici Miſſa de conſecratione, ſed fiet commemoratio in Miſſa de die; primùm habetur ex Rubrica votiuarum; vtrumque autem ex *Cerem. lib. 2. cap. 35. & ex Conc. prouinc. Mediol. 4. de iis quæ pertinent ad Sacrificium &c.* & ex Gauanto ibid. quidquid dicat *Piſc. lib. 2. tit. 6. cap. 4. num. 5.* vbi docet poſſe celebrari etiam diebus Dominicis, & in Feſtis duplicibus, quod tamen eſt contra Cerémoniale expreſsè.

Dubitatum fuit nùm vnica tantum ſolemnis, vel etiam priuatæ Miſſæ dici debeant his diebus coronationis, & creationis Papæ, & Conſecrationis Epiſcopi.

Pro quo dicò, quòd Miſſæ etiam priuatæ in conſecrationis, & Coronationis Epiſcopi Anniuerſario dici debent. Ratio eſt quià in Rubrica Miſſalis ſic habetur, *in die &c. dicitur Miſſa*; ergò cum Rubrica non limitet, nec nós debemus limi-

limitare; ſecundò quià in *Miſſali* habemus in eadem miſſa dici Simbolum, ſed loquendo de Miſſa ſolemni eſt ſuperfluum hoc præceptum, ergo de priuatis intelligendum eſt. Nec placet quod docet *Piſc. lib. 1. ſect.* 10. *num.* 41. nempè Sacerdotes tantùm Cathedralis, non verò alios Diœceſis, teneri ad Anniuerſarium; Concilium enim *Mediolanenſe* Prouinciale quartum, quod pro ſe citat, hoc non exprimit, imò Cap. *de his quæ pertinent ad Sacrificium Miſſæ*, contrarium ſentit, vbi dicit in Kalendario notandam hanc diem, vt à Sacerdotibus, & reliquo Clero (& indefinitè loquitur) Sacrificijs recolatur.

Dico ſecundò, quòd in Anniuerſario coronationis, vel conſecrationis Papæ, etiam Miſſæ priuatæ debent de conſecratione, vel creatione fieri de iure, quià ſi in tota Diœceſi debet de Conſecratione Epiſcopi fieri, ergo de Papæ conſecratione in toto mundo cum par ſit ratio.

Præter has votiuas, quæcumque Miſsæ propriæ Sanctorum, vel de Communi fiunt votiuæ, ſi extra proprium diem dicantur. Gauantus vult ibidem *num.* 8. votiuas Sanctorum ſumendas eſse de Communi non de Feſto proprio, ne contingat multa mutari in introitu, & orationibus, verùm *Piſc. lib. 2. ſect. 6. cap.* 4. *num.* 1. dicit Miſſas feſtiuas non diſconuenire extra diem Feſtum, etiamſi diceretur, *Gaudeamus omnes in Domino commemorationem B. N. celebrantes*, &c.

Ego autem inter vtrumque, neutri omninò aſſentiendo, ſto. Pro Miſſis votiuis pro re graui, & ſolemnibus cum populi concurſu, ſententia Piſcaræ placet, ſic enim bene dicitur: *Gaudeamus omnes &c.* ſicuti non ineptè dicitur in ſuffragijs pro oratione Patroni: *Deus qui præſentem diem, honorabilem nobis in B. Ioannis commemoratione feciſti*, &c. vt ha-

Digitized by Google

vt habet *Gau. in Rub. Breuiar. ſect.5. cap.18. num.10.* nàm ſicuti commemoratio hæc in Officio eſt, veluti repetitio Feſti Patroni,cùm non etiàm hæc commamoratio in Miſſa, & quidem ſolemni? Pro Miſſis priuatis magis arridet Gauanti doctrina; Ex quo colligendum eſt, ſi aliquis petat votiuam de Pentecoſte, de Corpore Chriſti, ſumendam eſſe de ijs, quæ ſunt in fine Miſſalis, idem dic, & quidem potiori ratione de Miſſis Natiuitatis,Circumciſionis, & Epiphaniæ Domini, quia ſunt propriæ talium Feſtiuitatum, & non poſſunt competere alijs diebus, nec violandæ ſunt Rubricæ ex indiſcreta laicorum voluntate, vt ait *Diana tom.2. tract.1. reſol.69. & 70.*

Noto hìc,celebrari poſſe Miſſas quorumcumque Sanctorum, etiamſi in Kalendario Romano, non fuerint deſcripti, dùmmodò ſint in Martirologio, vti docent *Piſc. lib.2. ſect.6. cap.3. num.8. & Claudius Arnaud. tit8. in Epitome,* quos etiam citat *Angelus par.2. cap.5.* §.12. idque quia,poſito quòd ſint deſcripti in Martirologio ab Eccleſia, pro Sanctis habentur, ergo de ijs poteſt celebrari Miſſa, quamuis non dicatur Officium,cum de Sanctis abſque aliqua limitatione liceat celebrare Miſſas. Præterquàmquod licet de Venerabilibus Perſonis, nequidèm in Martirologio deſcriptis, dummodò pro Beatis communi Eccleſiæ conſenſu, vel per Patrum, & virorum Sanctorum ſcripta, vel tolerantia Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarij habeantur, die ſui tranſitus Miſſam dicere, dummodò fama Sanctitatis præceſſerit per tempus immemorabile iuxta Conſtitutionem Sanctiſſimi D. Papæ Vrbani VIII. *die 13. Martij anno 1625.* Ergo à fortiori etiam de ijs, qui deſcripti ſunt in Martirologio Romano, qui ob id pro canonizatis habentur. Quod ſi eo die celebretur, quo leguntur

Digitized by Google

eius nomen, & paſſiones, ſiuè tranſitus in Martirologio, vel notantur in Kalendario non dicitur propriè votiua, ſed ſemifeſtiua, & ideò cum hymno Angelico celebranda eſt, vt aſſerunt Doctores notati, & ideò ait Gauantus, quia ex inſtitutione ſua hymnus Angelicus dicitur in diebus ſolemnibus, talis autem dies eſt ſolemnis reſpectu illius Sancti, ſed potiorem dat nobis rationem *Durandus lib. 4. cap. 13. num. 5.* vbi dicit Simmacum Papam ordinaſſe, hymnum hunc dici in Dominicis, & Natalitijs Martirum, & vt ſubdit Auctor, in feſtiuitatibus, quæ mærorem non habent, & ſignantèr in Natalitijs Sanctorum, ideſt diebus obitus iuxtà Auguſtinum *Sermon. 20. de Sanctis*; Extrà diem obitus Miſſa erit votiua, nec dubitari poteſt, quòd dici poſſit. *Quarti. par. 1. tit. 14. dub. 9.* & Angelus poſt eundem *Quarti part. 2. cap. 5. §. 6. & 7.* dicit, quòd de aliquo Sancto, de quo non fit Officium, quique occurrit cum ſemiduplici poſſit miſſa celebrari cum *Gloria*. Quod ſi etiàm infrà octauam occurrente aliquo ſemiduplici petatur votiua de octaua, poſſe ait eamdem Miſſam dici cum *Gloria, & Credo*.

Beatificatorum Miſſa non niſi eo die, locis, & Perſonis, quibus Sancta Sedes id indulſerit celebrari poterit, quapropter de illis Miſſas votiuas dici non poſſe benè ſcribit *Diana tom. 2. tract. 1. reſol. 81. & Angelus par. 2. cap. 5. §. 11.* Vbi data hac occaſione noto, quòd de Sanctis non canonizatis, ſed beatificatis tantùm, quorum certa Miſſa Regularibus quibuſdam conceditur, ab alijs dici non poteſt, & ratio eſt, quia Pontifex limitat pro tali Miſſa diem, locum, & Perſonas, ergò extrà illum diem, locum, & Perſonas, priuilegium hoc eſt, ac ſi non eſſet, cum ideò ſit datum, vt afficiat tantummodo ea loca, tempora, & Perſonas; in

quo arridet, mihi maximè ratio Salæ à Diana hìc allata, Priuilegia ſcilicet non eſſe extendenda ab alio, ad aliũ, etiamſi adſit ſimilitudo rationis, quia vis Priuilegij non eſt poſita in ratione, ſed in voluntate concedentis, ergo non eſt ſatis, quod in alia Perſona (idem dic propter paritatem rationis de tempore, & loco) ſit ſimilis ratio, niſi voluntas concedentis, ad illam etiam extendatur, quæ certè non cenſetur extendi niſi exprimatur, nàm inter homines voluntas nihil operatur niſi ſignificetur, cum vulgatum ſit axioma, conceptum mente retentum nihil operari *l. quidquid adſtringendæ de verb. oblig. ibi niſi palam.* Ergo hoc quod non eſt pro votiuis expreſſum, non poteſt dici, quòd extendatur etiam ad votiuas.

Dices; accedentes ad has Eccleſias quamnam Miſſam celebrabunt; Reſpondeo, de illo Sancto de quo Officium celebrarunt, quod non eſt abſurdum, ſicut non eſt abſurdum celebrare Miſſam de octaua in die comemorationis Defunctorum, & Miſſam litaniarum diebus Feſtis Paſchatis, & die S. Marci, & Miſſam de Feria Quadrageſimæ in Feſto occurrente, & ſolemni cum concurſu.

Petes an Epiſcopi in propria Diœceſi accedentes ad Eccleſiam Regularium poſſint huiuſmodi Miſſas Regularium celebrare? Angelus quæſtionem hanc proponit, & indeciſam relinquit; videtur tamèn inclinare in partem affirmatiuam, ratio eius deſumitur ex vulgato illo axiomate, quòd ſcilicet Epiſcopus in ſua Diœceſi poſſit, quæ Papa poteſt in toto Orbe. Verum contrarium ſentire tutius eſt. Ratio cui innitor eſt, primò quià Priuilegia non ſunt extendenda ab vno ad alium &c. vt ſuprà dixi, ſed intelligenda ſunt pro vt ſonant, atqui ſonant tantùm pro Regularibus, ergo illis tantùm fauere debent, ſecundò quia

Digitized by Google

Epiſcopi,& cęteri Prælati obligantur ſeruare regulas Miſſalis, & Miſſas ſolas omnino, quæ in reformato Miſſali Romano continentur, dicere, ſed huiuſmodi Miſſæ non continentur in Miſſali Romano, ergò ab iiſdem celebrari non poſſunt.

Tertiò, quià quidam Archiepiſcopus cupiens pro ſua deuotione celebrare Miſſam cuiuſdam viri Venerabilis beatificati petijt licentiam à Sac. Rit. Cong. quæ voto Prælati illius prius non annuit, quàm verbum feciſſet cum Sanctiſſimo, quod habetur in vna ſub *die* 17. *Septembris* 1610. ergò ſi Epiſcopus potuiſſet hanc Miſſam celebrare, vel non petijſſet licentiam à Patribus Sac. Cong. Rit. vel fuiſſet reſponſum non indigere peculiari conceſſione, ſed ſibi id licere, vel ad ſummum abſque communicatione voti Eminentiſſimorum Patrum Congregationis cum Sanctiſſimo, quæ non niſi in negotijs magis arduis, & dubiis fit, præſtita fuiſſet licentia. Quartò quia priuilegium conceſſum Regularibus non debet extendi ad Epiſcopos, quando verba priuilegij ità ſunt reſtricta ad certas Perſonas, vt etiàm ſecundum latam vocabuli ſignificationem, nequeat ad alios ampliari, vt ait *Fagnan. Coment in* 4. *lib. Decret. de priuil. cap. Quod nonnullis num.* 28. Quod autem ſint verba priuilegij reſtricta ad certas Perſonas, &c. vt nequeant ampliari ad Epiſcopos, probatur, quia primò, tùnc non admittitur extenſio priuilegij à perſona ad perſonã, niſi cum priuilegium aliàs eſſet eluſorium, & nihil operaretur iuxtà terminos propriæ ſignificationis *c. licet de priuil. lib.* 6. ſecundò verba priuilegij latè interpretamur quatenùs patitur verborum proprietas, vt Fagnan. ibidem, ergo cum nec priuilegium ſit eluſorium; quòd habeat fauere ijs, quibus eſt conceſſa dicta Miſſa, & Epiſcopi non

veniant

veniant nomine Regularium liquidò priuilegium hoc non eſt extendendum ad Epiſcopos.

Confirmatur quià, priuilegium conceſſum Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus clàm celebrandi tempore interdicti extenſum eſt ab Innocentio III. ad Epiſcopos, ergò antè extenſionem non fauebat Epiſcopis, aliás ſuperflua fuiſſet extenſio, vt ibi docet Fagnan. ergò de primo ad vltimum priuilegium conceſſum certis Regularibus celebrãdi Miſſam propriam non extenditur ad Epiſcopos, & ità accedente Illuſtriſſimo Domino noſtro Ioanne Lucido Cattaneo Mantuano Antiſtite ad Eccleſias Regularium ſemper ſeruatum fuit.

Alia eſſent hic ſcribenda; quæ pro varietate temporum accidere poſſunt, primò de pſalmo *Iudica*, an in votiuis tempore paſſionis ſit dicendus, de hymno Angelico, de præfatione, ſed hæc ſuis locis diſponentur. Miſſæ votiuæ pro re graui dici poſſunt in quocumque duplici non tamen in primis ſolemnitatibus, vt dicetur infrà *de Translatione Feſtorum*, idem dicit *Piſc. lib. 2. ſect. 6. cap. 4. num. 7.* & ipſa Rubrica *Gen. par. 1. tit. 6.*

CAPVT III.

De Translatione Feſtorum.

Ponitur in recognito Miſſali limitatio, quam *Gauantus par. 1. tit. 6.* partialitèr, priuſquàm in Miſſali poneretur, adnotauerat; Limitatio eſt; ſi contigerit incidere aliquod Feſtum ſolemne in dies ſequentes, in quibus procul dubiò Feſtum transfertur, etiamſi ſit principale veluti Pa-

Digitized by Google

troni cum concurſu Populi, Miſſa tamen de transferendo cantari non poteſt. Dies huiuſmodi ſunt Dominicæ primæ Aduentus, & Quadrageſimæ, Feria quarta Cinerum, Dominica Palmarum cum tota hebdomada maiori, Dominicæ Reſurrectionis, & Pentecoſtes cum duobus Feſtis ſequentibus, dies Natiuitatis Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis, & Feſtum Corporis Chriſti.

Quod hìc dicitur de Miſſa ſolemni, verificatur etiam de ſola commemoratione Feſti transferendi in priuatis, quæ eſt veluti acceſſoria ad Miſsam ſolemnem, vt infrà probatur. Itèm quod dictum eſt de ſolemni Miſſa Feſti transferendi à fortiori dicendum eſt etiam de votiuis pro graui, & publica cauſa, cum quibus quamuis illa æquiparari videatur, quòd vtraque fiat ob cauſam grauem illa cultus, hæ verò neceſſitatis, votiuæ tamen minùs conueniunt talibus diebus, quia nullam connexionem habent, cum illa die, quam certè habet Miſſa de Feſto transferendo, vtpoté quæ diem illam, tamquam propriam Sedem ſibi vendicat, in qua regularitèr, vt ſuprà diximus Miſſa dici poteſt, quamuis non fiat Officium, & dicitur ſemifeſtiua.

Alijs diebus, quibus transfertur Feſtum principale poſſunt cantari duæ Miſſæ, alia videlicet de die, alia de Feſto, quod transfertur, in quarum vtraque non debet fieri alterius cõmemoratio, prout in duabus Miſſis, quæ cantatur in Ferijs Quadrageſimæ occurrente Feſto nouem lectionum, quæ dicuntur abſque vlla vtriuſque commemoratione. Cum verò non fiat in Quadrageſima, quamuis commemoratio facta ſit in Officio, ergò nec fiet in his, ſicuti in Officio commemoratio non præceſſit.

Si contigerit huiuſmodi Miſſam Sancti transferendi celebrari in Dominica non erit legendum Euangelium in fine, tùm

quià

quià habet rationem votiuæ ſolemnis, tùm quià defectus commemorationis Dominicæ in ſemiuotiua ſuppletur per aliam Miſſam Dominicæ, prout in Quadrageſima, Vigilijs &c.

Dubitatum eſt an hæc Miſſa cantanda ſit eo Ritu, quo cantaretur ſi non eſſet ſolemnitas translata. Ad quod reſpondeo quòd ſic niſi aliquid contingeret peculiare, primo v.g. ſi contingeret in Octaua Paſchatis, & Pentecoſtes, quo caſu dicenda eſſet Præfatio de tempore niſi propriam habeat, & *Communicantes*, vt ſuis locis dicitur, ſecundò ſi eſſet Feſtum v.g., cui non competeret ex ſe Simbolum, & caderet in Dominicam, quià ratione Dominicæ diceretur Simbolum. Idem dicas ſi transferretur de tempore non Paſchali ad Paſchale, & è contrà, nàm in primo caſu ſi eſſet Martir nec propriam haberet Miſſam dicenda eſſet, vt in Communi Martirum tempore Paſchali, & diceretur duplex *alleluia* poſt introitum, omitteretur que graduale, &c. vt ſuo loco dicitur.

At dices; dato quòd Dominica aliqua anticipanda ſit, non dicitur Simbolum, & Hymnus Angelicus, quamuis vtrũque conueniat Miſſæ de Dominica, ergo à pari, quamuis Miſſæ de Feſto translato competat Simbolum, non eſt tamen in ea dicendum extrà propriam diem. Reſpondeo diſparem eſſe rationem, quià Officium Dominicæ anticipatæ euadit Officium feriale. *Rub. gen. num.4. & Rub. pecul.* ante Dominicam poſt Epiphaniam; ac proindè nec ad Laudes habet *Te Deum*, & conſequenter nec Hymnum Angelicum in Miſſa; nec habet Simbolum, quià Simbolum conuenit tantùm diebus Dominicalibus, non etiam Miſſis, aliàs quotieſcumque repetitur in Ferijs infrà hebdomadam Miſſa dicta in Dominicis perannum, dicendũ

etiàm eſſet *Credo;* quòd autèm conueniat tantùm diebus Dominicis, non Miſſis de Dominica primò habes in Rubr. de Simbolo, vbi docemur dicendum eſſe diebus dominicis; ſi diebus, ergò non extrà diem Dominicum, ſecundò ob Myſterium *Innoc. III. cap. 51. in principio, & Durand. lib. 4. cap. 25. num. 13.* Tertiò etiàm ob concurſum Populi ad eius eruditionem, quod Myſterium, quique concurſus non habetur in Miſſa anticipatæ Dominicæ.

In Miſſis autèm priuatis dicitur Miſſa de die cum commemoratione Feſti tranſlati, & ratio eſt, quia datur Miſſa ſolemnis in gratiam concurrentis Populi, cum autem Populus omnis ſolemni Miſſæ intereſſe non poſſit, ſed ſucceſſiuè ad priuatas percurrat, æquum eſt, vt etiam in priuatis commemorationem audiat.

Nec dicas, non benè inferri ex conceſſione vnius Miſſæ ſolemnis de Feſto transferendo, poſſe de eodem fieri commemorationem in Miſſis priuatis, cum illa ſolemnis habeatur ad inſtar votiuæ, cum qua priuatæ nullam habent connexionem; Nàm reſpondeo, ambiguum quidem prima facie videri ſenſum Rubricæ, vbi monemur ſaltèm commemorationem eſſe faciendam, nàm poteſt intelligi tantùm pro Miſſa ſolemni, cum immediatè præcedenter de ſolemni fuerit ſermo; poteſt nihilominùs commodè ſumi pro omnibus Miſſis, tum quia cum Rubrica indefinitè loquatur, & illimitatè, nec nos limitare debemus, tùm quia data commemoratione in ſolemni, ſi de ſolemni loquitur tantùm Rubrica, à fortiori debet etiàm dari in priuatis, cum hæ non habeant tantam connexionem cum Officio, quantam habet Miſſa ſolemnis; tùm inſuper quia vt ſuperius dixi omnis Populus ad ſolemnem conuenire non poteſt; & hæc iuxtà Sententiam communem Doctorum.

Quæ-

Digitized by Google

Quæres ſi Feſtum duplex cadat in Dominicam Aduentus, & Quadrageſimæ, quo caſu transfertur; an poſt Miſſam Dominicæ, ornandum ſit Altare pro Miſſa de Feſto, ſeſtiuo apparatu, & colore concordi ritui translatæ ſolemnitatis. Reſpondeo quod ſic; apparatus enim qualitas, & color ſequitur naturam Officij celebrandi, & colorem Sacerdotalium indumentorum: exemplum habes in die Purificationis, & die Omnium Sanctorum in ſecundis Veſperis in *Cerem. lib. 2. cap. 10. lib. 2. cap. 16.*

Quæres, vtrùm transferenda ſit dies anniuerſaria coronationis, conſecrationis, & creationis Summi Pontificis, & electionis, & conſecrationis Epiſcopi ſi contingat concurrere, cum Dominicis ſecundis Quadrageſimæ, & Aduentus, & quid ſi cadant in primis, ac Feria quarta Cinerum, & in alijs, in quibus, & Feſtum transfertur, & Miſſa de transferendo prohibetur.

Reſpondeo, quod Acta Mediolanenſis Eccleſiæ in *Concil. Prouinc. 3. cap. de ijs, quæ pertinent ad diuina Officia* docent anniuerſarium Conſecrationis Epiſcopi (idem dic propter identitatem rationis etiam de creatione Sanctiſſimi Papę) transferri ſi in diem impeditam incidat, ex quo videtur affirmatiuè etiam in hoc caſu eſſe reſpondendum. Attamen ex Concilio quarto *Cap. quæ pertinent ad Sacrif. Miſſæ, &c.* contrarium colligitur, & eſt, quòd ſi anniuerſaria dies conſecrationis incidat in Dominicam, vel aliam feſtiuam diem Miſſa celebretur de Feſto cum commemoratione Conſecrationis; quod paritèr tradit *Cerem. lib. 2. cap. 35.* ergò fundamentum Concilij tertij, quòd nempè anniuerſaria dies conſecrationis faciat transferre ſolemnitates, & feſtiuitates, vt earum dies ſibi vendicet, & eſt retractatum per poſteriùs Decretum Concilij Quarti, & per

Regu-

Regulam Ceremonialis reformati. Sufficiet ergò commemoratio quocumque die occurrerint; vt Concilium Quartum, & Ceremoniale habent, & nos ſuprà *cap. 2. hac ſectione*, ergò tranſlatio fieri non debet.

Dices: in Feſtis primæ Claſſis non debent fieri commemorationes pro publica cauſa, vt decreuit Sacra Rituum Congregatio apud *Gauantum par. 1. tit. 9. num. 16. lit. P.* ergò neque poterit fieri huiuſmodi commemoratio.

Reſpondeo negando conſequentiam, ratio eſt, quià hæc oratio non modò eſt pro publica cauſa, ſed cadit etiam ſub præcepto, cuiuſmodi non eſt commemoratio, de qua loquitur Decretum, quæ ſcilicet eſt commemoratio purè votiua; Nec commemoratio diſconuenit etiam in Feſtis primæ claſſis, vt patet in ſecunda Miſſa diei Natalitiæ Domini Noſtri Ieſù Chriſti.

CAPVT IV.

De Miſſis Defunctorum.

Libet hìc poſt votiuas locum Miſſis Defunctorum tribuere iuxtà diſtributionem Rubricarum Miſſalis, quæ votiuis Miſſas pro defunctis proximas faciunt, quæque ab aliquibus ad votiuas reducuntur, vt à *Tambur. lib. 2. de Sacrif. Miſſæ cap. 6.* §. 1. *num.* 8. etiamſi propriè non omnes ſint votiuæ, nàm quantùm attinet ad Miſſas in commemoratione omnium Fidelium, & ad eas conuentuales, quæ ſingulis Kalendis menſium, extrà tempora excepta, non impeditis, vti etiàm ad eas, quæ ſingulis Ferijs ſecundis hebdomadarum iuxtà regulas inferiùs tradendas dicuntur in Collegiatis, hæ votiuæ non niſi impropriè di-

ci

ei poſſunt; Ratio, quam etiam attuali in *Capite de Miſſis votiuis, & alijs à currenti*, eſt quia non ſunt ad libitum, ſed cadunt ſub præcepto, præterquamquod concordant etiàm cum Officio, quod ijs diebus in Cathedralibus, & Collegiatis dicendum eſt ex *Rub. prop. ante Veſperas Defunctorum in fine Breuiarij*: Illa item, quæ præſente corpore dicitur, cum ſit de præcepto, & inſuper concordet cum Officio præcantato, vt plurimum, iuxtà Regulas Ritualis, ſimplicitèr non erit votiua *Rit. Rom. Pauli Quinti de exequijs Rub. vltima.*

At quæres, vtrum præſente corpore, & dum durat Officium, & exequiæ poſſint, dici etiàm Miſſæ de Requiem priuatæ in duplici Feſto; *Angelus par.2. cap.5.* §.16. *num. An præſente corpore: poſt Quartum par.*1. *tit.*5.*dubitat.*2.ex Durandi auctoritate affirmatiuè reſpondet. Verùm Durandus loco citato, videlicet *lib.*7. *cap.* 35. *num.*31. dicit, nnon eſſe detinendum in Eccleſia Corpus defuncti, dum fiunt Miſſæ de die (quod proculdubio prudentèr dictum eſt) ſed ponendum in veſtibulo extrà portam Eccleſiæ, & reportandum intrà templum ad Officium; & Miſſas mortuorum. Durandus ergò non dicit plures Miſſas fieri poſſe; ſed eſſe diſconueniens, quòd celebrentur Miſſæ de die præſente corpore, & ob hanc cauſam: ne tale inconueniens ſequatur vult, dum Miſsæ celebrantur, corpus non retineri in Eccleſia; Contrariam ſententiam tenet *Gauant. par.*1. *tit.*5. *num.*2. *lit.X.* cum quo ego ſentio. Ratio, cui ego nitor eſt, quia, vt patet, hoc eſt priuilegium, & conceſſio, ergò attendenda ſunt verba priuilegij, quæ quidem dicunt poſſe celebrari Miſſam, ergò vnica celebrata Miſſa priuilegium vlteriùs non extenditur. Priuilegia enim non ſunt extendenda de vno ad alium, etiamſi adſit ſimilitudo.

litudo rationis, quia vis priuilegij poſita eſt, non in ratione, ſed in voluntate concedentis, ergò etiamſi adſit paritas rationis, non extenditur priuilegium extrà ſuos limites, niſi voluntas concedentis extendatur: quæ non cenſetur extendi niſi explicata, iuxtà mentem Salæ allatam ſuprà in capite *de Miſsis votiuis, & alijs à currenti*; Cum ergo habeamus Decretum Sacræ Congregationis allatum à Gauanto hìc, & Rituale Romanum Pauli Quinti ibidem concedentia Miſſam, certè voluntas Papæ, & Sacræ Congregationis non explicatur de Miſſis priuatis, immò contrarium ex ſenſu verborum colligitur. Sed neque ſingulis queiſcumque diebus poteſt celebrari ſolemnis præſente corpore, puta die Paraſceues, aut in Feſto primæ claſſis, tùnc enim transfertur in diem craſtinum ex *Durand. lib.7. cap.35. num.17. Rit. Ron.* ibidem, & Gauantus hìc, & communitèr omnes.

Abſente verò non licet pro Defunctis celebrare ijs diebus, queis non licet votiuas dicere; ad implendam tamèn Fundatorum, non tantùm mortuorum, ſed & Fundatorum viuorum voluntatem *Tamburin. de Sacrif. Miſ. lib.2. cap.6. §.2. num.*1. putat poſſe celebrari, ſed eſt omninò contrà decretum, quod exprimit poſſe tantùm celebrari huiuſmodi Miſſas ad voluntatem Teſtatorum adimplendam; ſi Teſtatorum ergò non viuorum, vt ibi *Gau. par.* 1. *tit.* 5. *num.*2. *lit. A.* & has Miſſas non quibuſcumque diebus, etiàm feſtiuis, ſed tantùm in Duplicibus non feſtiuis concedit Sacra Congregatio poſſe celebrari.

At dato quod Sacerdos celebraret *de Requiem* in Altari priuilegiato pro feria ſecunda occurrente cum duplici de præcepto, aut ex inconſideratione, aut ex alia cauſa, haberet ne intentum anima, pro qua Sacrificium offerret?

Tambur.

Digitized by Google

Tambur hic §.6. *num*.6. affirmatiuè reſpondet, quia ea omnia ponuntur, quæ requirit Pontifex, Id tamèn non valdè tutum duco, ratio eſt, quia priuilegium conceſſum à Pontifice, intelligi ſemper debet, ſaluo iure Rubricarum, vt ipſe *Tambur hic habet num*.3.ergò cum hi dies excipiantur à Rubrica, etiam excipientur à Pontifice. Tu quod diebus feſtis de præcepto dictum eſt, extende etiàm ad illos, in quibus prohibetur fieri de Duplici, videlicet infrà Octauas Epiphaniæ, Paſchatis, & Pentecoſtes, in hebdomada maiori, Feria quarta cinerum, in Vigilijs Natiuitatis, & Pentecoſtes, vt Sacram Rituum Congregationem declaraſſe docent Doctores, & ſignanter *Tambur. cap*.6. §.1. *num*.2.

Tacendum non videtur, quod Miſſa in Commemoratione omnium Defunctorum, & ſingulæ aliæ dici poſſunt, tùm in Anniuerſario, tùm in depoſitione, tùm in quotidianis, exceptis orationibus, & è contrà quamlibet trium harum pro alia ſumi poſſe; Ratio ſumitur ex Rubrica poſt quotidianam, vbi habemus, Euangelia, & Epiſtolas, quæ ſunt in altera, ad alteram poſse a pt...n è applicari, ſed detractis Euangelio, & Epiſtola, ac orationibus cętera concordant, nàm Introitus, Offertorium, & Communio ſunt eadem in omnibus Miſſis, ergò altera Miſsa dici poteſt pro altera. Excipe ab hac regula Miſsam in die depoſitionis, & Anniuerſario Papæ, Cardinalium, & Epiſcoporum, nàm ex Rubrica ante orationes diuerſas, dicitur prout in Commemoratione omnium Defunctorum demptis orationibus. At nùm pro prima Miſsa die ſecunda Nouembris poſſit dici alia; dubitant aliqui, hinc enim habetur ratio affirmatiua, ſcilicèt ex Rubrica poſt quotidianas mox allata. Hinc negatiua, quia in Rubrica poſt Miſsam omnium

San-

Sanctorum, præcipimur Miſſam celebrare, quæ prima eſt in ordine. Verùm pro affirmantibus eſſe malo, tùm quia conſuetudo inueterata fauet, tùm quià non poſſum credere Eccleſiam, illo die concedere aliam, pro quo abſque dubio, illam primariò inſtituit, præcipuè cum illam exigat, & aliam non concedat pro Papa, & Prælatis, pro quibus eam non inſtituit, ſed accomodauit.

Quæres ſi trigeſima, vel ſeptima dies incidat in diem Dominicam, vtrùm anticipanda ſit, vel transferenda, & quonam ritu celebranda? *Durand. lib. 7. cap. 35. num. 16.* docet in præcedentem diem mutari, vt citius eis conſulatur, & poſt eum, *Gauant*. Verùm *Sac. Rit. Congreg. in vna Egitanien.* 23. *Maij* 1603. *dub.* 3. cenſuit, in ſequentem diem eſſe transferendam, & *dub.* 4. declarauit, eamdem eſſe ſeruandam ſolemnitatem, quæ adhiberetur ſi in propriam diem caderet. Quod ſi Anniuerſarium, vel tertia, aut ſeptima &c. caderet in Dominicam Palmarum, transferenda eſſet vſque ad Feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis; & cum eadem ſolemnitate ob eandem rationem.

Vnum libentèr moneo, quod valdè diſplicet, in Miſſis nempè quotidianis, celebratis pro certa, & nota Perſona, orationes, dici proút in Miſſali in quotidianis. Sanè orationes poſt quotidianas Miſſas ponuntur, vt ab illis eliciantur, quæ neceſſariæ ſunt pro varietate Perſonarum ad collectas; eliciatur ergò prima pro eo, in cuius ſuffragium offertur Sacrificium (ſicuti in Miſſa de Sancto, prima oratio eſt eius Sancti, in cuius honorem fit Sacrum) ſecunda erit ad libitum, tertia *Fidelium*. Dices, cur ergo ponuntur per extenſum tres illæ orationes, ſi in quotidianis non debent legi, prout exaratæ ſunt? Reſpondeo, quià ſingulis Kalendis, & ſecundis Ferijs iuxtà Rubricas in Cathedralibus

libus, & Collegiatis celebrari debet Miſſa pro Defunctis; quæ quidem eſt primò pro Epiſcopis, & Sacerdotibus, ſecundò prò benefactoribus, & propinquis, tertiò pro omnibus Defunctis, & ideò tres orationes illæ poſitæ ſunt, prima pro Epiſcopis, & Sacerdotibus, ſecunda pro propinquis, confratribus, & benefactoribus, tertia pro omnibus Fidelibus, dicendæ in Miſſa ſolemni pro memoratis diebus.

Miſſæ Defunctorum aliquando ſunt de præcepto, per aliquos, omnibus Sacerdotibus, vt in die Commemorationis omnium Defunctorum; *Piſc. lib. 2. ſect. 3. cap. 4. num. 5. Gavant. Bauld. & alij cit. par. 3. ſect. 3. cap. 3.* Aliquandò Collegiatis tantùm ſunt de præcepto, & Cathedralibus, videlicèt præter ſecundam Nouembris, ſingulis Kalendis Menſium extrà tempora Paſchalia, quadrageſimalia, & Aduentus, non impeditis Feſto duplici, aut ſemiduplici, aut ſimplici, aut Officio Dominicæ reſumendæ, aut feriali propriam habente Miſſam, quo caſu Miſſa principalis eſt pro Defunctis, ſi verò fuerit Simplex, aut Feriale propriam habens Miſſam, vel ſit reſumenda Miſſa Dominicæ, & infrà hebdomadam non ſit dies aliâ in quâ reſumi poſſit, cantandæ ſunt duæ miſſæ, quarum altera ſit pro Defunctis; Collegiatis item, & Cathedralibus præcipitur Miſſa ſingulis Ferijs ſecundis, quando Officium ſit feriale, dummodò Feria propriam Miſſam non habeat, vt ſuprà diximus, par enim eſt ratio; dummodò etiam ſit extrà tempus Paſchale, vt ſuprà; ſi autem fiat de Simplici, vel reſumenda ſit Dominicæ Miſſa, vel Feria habeat propriam, tùnc fit commemoratio penultimo loco pro Defunctis ex Rubricis *par. 1. tit. 5. num. 1. & 2.* Dices quid ſi fuerit Officium ſemiduplex in Kalendis alicuius menſis, aut aliqua Feria ſecunda? Reſpondeo, omitti Miſſam, & commemora-

mora-

morationem, vt patet ex vi Rubricæ, quià iubemur Miſſam celebrare ſi duplex, aut ſemiduplex non fuerit, ergò ſi tale Feſtum fuerit, omittenda eſt Miſſa prout fit tempore Paſchali Quadrageſimæ, & in Feſto duplici ex *Rub. gen. par. 1. tit. 5. num. 2.* Cætera cum non indigeant explicatione omittuntur, remittendo ad Rubricas ſtudioſos.

Perijt quidam Sacerdos an ſibi liceret celebrare Miſſam *de Requiem* pro quadam Moniali, quæ ſingulis hebdomadibus vnam eleemoſynam ad huiuſmodi Miſſam pro ſe celebrandam eidem offerebat, quod idem eſt ac dicere, vtrùm pro viuis liceat celebrare Miſſam *de requiem*, & vtrùm ſit magis proficua.

Ingenuè fateor, candide Lector, me nondum notauiſſe apud Doctores reſolutionem huius quæſtionis, tunc enim temporis vix ceremoniarum præfecturam adeptus, lyricæ magis poeſi, ac morali Theologiæ operam dabam, quàm ritituum obſeruationibus, vnica grauitate, ac modeſtia, quam in me alijſque toto animi ardore in ſacris functionibus ſemper optaui, contentus. Reſpondeo tamen cum *Dian. tom. 2. tract. 1. reſol. 70. & Tambur. de Sacrif. Miſ. lib. 2. cap. 2. §. 7.* quod tunc etiam reſpondi.

Et quidem primò non reſultare magis vtilitatis ei, pro quo ſacrum offertur, ſi *de requiem* celebretur, quàm ſi de viuis miſſa dicatur, primò, quià potiſſima pars fructus nempè ex opere operato, ſemper idem eſt, ſub quocumque ritu celebretur; Secundò, quià fructus ex opere operantis maior non poteſt haberi ex precibus miſſarum pro Defunctis, quàm pro viuis, & ratio eſt, quià huiuſmodi fructus non deſumitur ex qualitate precum, ſed ex diſpoſitione petentis, vt habueram ex Doctoribus, & ſignantèr ex *Becano de Sacramentis c. 25. quæſt. 11. concluſ. 5.* & ex deuotione, &

atten-

& attentione exorantis. Dixi ſecundò minùs vtilitatis habere, quià ſi dicatur votiua, vel currens de aliquo Sancto, præter fructum ex opere operato, & operantis prouenientem, habetur etiam fructus interceſſionis eius Sancti, in cuius honorem fit Miſſa, quòd non eſt in votiuis *de Requiem*. Dixi tertio cum citatis Doctoribus eſſe ritum incompetentem, & contra vſum, ac intentionem Eccleſię.

Inſtabat ille, Miſſas viuorum celebrari pro Defunctis, ergò, poſſe etiam dici Miſſas Defunctorum pro viuis.

Reſpondeo primò, negando conſequentiam, quià ſic vſus Eccleſiæ obtinuit, & ſic ſententia communiſſima omnium eſt.

Reſpondeo ſecundò, falſum eſſe Miſſas viuorum celebrari prò Defunctis, quià Miſſæ Sanctorum, de Tempore, & de Communi, votiuæ primi, & ſecundi generis, quamuis vulgato nomine dicantur Miſſæ viuorum, impropriè tamen ſic appellantur, & colligitur ex Miſſali, vbi fit diſtinctio in proprium de tempore, & proprium Sanctorum, & Commune Sanctorum, quibus adde votiuas primi, & ſecundi ordinis, quæ conceduntur, vt aliquid acceſſorium, non autem, vt aliquid conſtitutiuum Miſſalis tamquam compars, & Miſſas viuorum, & mortuorum, & ſic corruit eius ratio, quòd enim celebretur miſſa v.g. de Sanctis Apoſtolis, vel de B. Maria pro aliquo defuncto, non celebratur Miſſa viuorum pro Defunctis, ſed miſſa Sanctorum, prout infrà; Non negò tamèn aliquas miſſas dici poſſe, & verè, ac propriiſſimè eſſe pro viuis, v.g. pro infirmis, ſponſis, peregrinis &c. quas qui pro Defunctis celebraret, non minùs ordinem rituum inuerteret, quàm qui Defunctorum miſſas pro viuis faceret.

Digitized by Google

Reſpondeo tertiò maximam eſſe diſparitatem, quià celebrans miſſam alicuius Sancti, vel de tempore pro anima Pauli, nil aliud facit, quàm Deo ſacrificium offerre ad honorem eius Sancti, vel in memoriam myſterij, de quo eo tempore agitur, applicando vim impetratiuam, & ſatisfactoriam pro Paulo, & inſupèr fructum ſuarum precum, quod vno verbo dicam, fructum miſſæ ex opere operato, & ex opere operantis, & in hoc nulla apparet turpitudo, cum hæc ſit praxis communiſſimam Eccleſiæ. Qui autem celebrat *de Requiem*; quamuis fructum ex opere operato applicet viuenti, & inſuper ex opere operantis, corrigendo per mentis actum verborum ſignificationem, facit tamen contrà ritus Eccleſiæ, quæ miſſas *de Requiem* pro Defunctorum, votiuas ſecundi generis pro viuorum neceſſitatibus poſuit. Et quidem in re graui facit contrà ritus Eccleſiæ, vt notat Tamburrinus hìc, in quo quis turpitudinem non videt?

Inſtabat, à Monachis Caſſinenſibus practicari, quòd Nouitij poſt emiſſam profeſſionem proſtrati & cooperti tapete aliquo nigro, velut mortui proſtrantur, dùm datur ſignum campana, quam vulgo dicunt (*Aue Maria da Morto*) & interùm dicitur à cæteris Monachis *De profundis*, & oratio, ac ſi Nouitius recenter profeſſus mortuus eſset, ergo (inferebat ille) poteſt etiam pro viua Moniali celebrari *de Requiem*.

At ego reſpondi, apud Eremitas Camaldulenſes eandem eſse conſuetudinem, non ideó tamèn benè deduci poſse idē ſentiendum eſse de miſsa, illud enim non modó non eſt vetitum, ſed expreſsè eſt eis conceſsum à Pontifice, qui eorum conſtitutiones approbauit, Miſsa verò de Requiem pro ſolis Defunctis eſt inſtituta nec pro viuis conceditur.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO II.

CAPVT I.

De Confeſsione, Introitu, Kyrie, & Hymno Angelico.

CONSVLTO hìc ago primùm de Confeſſione, quamuis ad partem ſecundam in Rubricis transferatur, tùm quia eſt prior Introitu, & tẽpore, vt patet; & ordine, quia bonorum operum exordium eſt confeſſio malorum vt ſcripſit *Auguſt. tract.* 12. *in Ioan. ſub fin.* Confeſſio ergò nunquàm omittitur in totum, nòmine tamèn Confeſſionis hìc intellige antiphonam, & pſalmum præcedentes, nec non verſiculos conſequentes, verſum *Indulgentiam*, quæ omnia ſunt diſpoſitio, & perfectio rectæ confeſſionis: Confeſſio inquam nunquàm omittitur in totum cum Miſſæ Sacrificium offertur, die autem Paraſceues non dicitur. quia neque Sacrificium offertur. Dimidiatur tamèn perſępè, videlicet in Miſſis Defunctorum, nec non tempore paſſionis, quo omittitur Pſalmus cum *Gloria*, vt ex Rubricis, quidquid contrà dicat *Craſ. lib.* 2. *cap.* 39. pro miſſis Defunctorum.

Quæſitum fuit, an Feria quinta in Cœna Domini dicatur Pſalmus, cum eius diei miſſa habeat hymnum Angelicum, qui continet lætitiam non minùs, quam pſalmus. Reſpondi nequaquàm, primó quia Rubrica *par.* 2. *tit.* 3. *n.* 6. & Rubrica poſt pſalmum in ordinario miſsæ prohibet pſalmum à Dominica paſſionis ad Sabbathum Sanctum

excluſiuè, ſecundò quia etiamſi dicatur hymnus Angelicus, non dicitur tamen verſus *Gloria* neque poſt pſalmū ad lotionem manuum, & conſequenter non eſſet dicendus poſt pſalmum *Iudica* ſi diceretur, cum par ſit ratio, ſed ideò omittitur pſalmus in Miſſis Defunctorum, quia non dicitur verſus *Gloria*, vt docet Gauant. *par. 2. tit. 3. num. 6. lit. V.* neque concluditur per *Requiem*, vt contra Craſsū ibidem docet *Ord. Miſ.* ergò neque pſalmus dicendus eſt. Tertiò, quia hymnus non dicitur hac die ad excludendam mæſtitiam in hominibus, ſed ad ſignificandum gaudium Angelorum pro publicè reconciliatis, vt tradit *Duran. lib. 7. cap. 1. §. 38.* Pſalmus autem *Iudica* ſignificat lætitiam ſpiritualem Sacerdotis, & aſtantium, quæ eo tempore non decet, quo recolitur memoria paſſionis Domini.

Vbi ſuperiùs dixi, tempore paſſionis non dici Pſalmum *Iudica* intelligendum eſt pro Miſſis de tempore, non autem Feſtorum occurrentium, aut votiuis. Ratio eſt, quia etiam in horis canonicis omittitur verſus *Gloria* poſt pſalmum *Venite exultemus*, & ad reſponſoria horarum in Officio de tempore, non de Feſto occurrente, & ab Officio chorali ad Miſſale, valet in hoc paritas, ergò ſicuti non omittitur in Officio Feſti alicuius Sancti verſus *Gloria*, neque omittendus eſt in Miſſa tùm *Gloria*, tùm *Iudica* cum par ſit ratio. Idem docet Rubrica generalis *par. 2. tit. 3. num. 6.* & *rubr. in Ordin. miſ. poſt pſalmum*, & *rub. poſt Introitum in Dominica paſsionis*, quæ explicat rubricam dubiam poſitam poſt Miſſam Sabbathi antè dictam Dominicam. Hoc autem non modò procedit reſpectu Miſſarum de Feſto occurrenti, ſed etiam circá votiuas, quæ reductiuè ſunt Miſſæ de Feſto, de eo nempè, cuius eſt votiua, aut ſaltem non ſunt Miſſæ de tempore, ob quam

cau-

Digitized by Google

cauſam verſus, & pſalmus prædicti omittuntur.

Dubitauerunt aliqui, nùm in votiuis de Cruce, & de Paſſione omittendi eſſent verſus, & Pſalmus; Ratio negandi erat, quia non ſunt formaliter de tempore, cum nulli diei paſſionis aſſignentur; Rationes negandi ſunt, quia videntur eſſe de tempore æquiualentèr, & reductiuè; Æquiualenter, quia mortem Saluatoris memorant non minùs, quàm *Miſſæ* in Dominica palmarum, & in Ferijs tertia, ac quarta ſubſequentibus; Reductiuè, quia ſunt votiuæ, votiuæ autem reducuntur ad Feſta quorum ſunt votiuæ, ſed non eſt aliud tempus ad quod valeant reduci, quàm tempus paſſionis, igitur reductiuè ſunt de tempore paſſionis. His tamen non obſtantibus tenendum eſt, quòd in huiuſmodi *Miſſis* dicatur *Iudica &c.* Ratio præcipua eſt, quia cum per annum dicuntur hæ miſsæ habent pſalmum, & verſum, ergo etiamſi dicantur tempore paſſionis eadem habebunt, ſicuti miſsæ votiuæ Sanctorum, quę tempore paſſionis fortè dicantur. Probatur conſequentia. Ratio ob quam omittatur pſalmus &c. in miſſis de tempore eſt, quia ſunt miſſæ de tempore, ſed hæ non ſunt miſſæ de tempore, ergo debent habere pſalmum, & verſus; Minor eſt certa, quia illæ ſunt miſſæ de tempore, quæ certis diebus aſſignantur, vt colligitur ex *Rub. gen. par. 1. tit.* 14. & ex Gauanto hìc, quod non verificatur de huiuſmodi miſſis, ergò non ſunt de tempore, ac proinde conuenit eis pſalmus, & verſus.

At contrà dices; Quamuis non ſint formaliter de tempore paſſionis ſunt tamen æquiualentèr, & reductiuè de tempore, ergò rationem earum ſequi debent, quibus æquiualent, & ad quas reducuntur. Reſpondeo negando antecedens, & quidèm quantùm attinet ad miſſam de Cruce

non eſt æquiualenter de tempore paſſionis, quia præſefert lætitiam in Introitu, Epiſtolá, ac alijs partibus excepto Euangelio, in quo memoria fit paſsionis,& mortis Dominicæ, vt in miſſa Exaltationis Sanctæ Crucis; nec reductiuè, quia potiùs reducenda eſſet ad feſtum Exaltationis, cum qua omnia habet communia in miſſa excepto Euangelio,quàm ad tempus paſſionis,cum quo nec partes miſſæ excepta præfatione, nec habet communem colorem paramentorum. Quantùm attinet ad miſſam de paſſione, nec æquiualenter poteſt dici miſsa de tempore paſsionis, quia etiamſi memoriam faciat paſſionis, & mortis Dominicæ, id tamen facit breuiter, & reſpectu vnius *Myſterij*, ſicuti in miſsa Feriæ quartæ poſt ſecundam Dominicam Quadrageſimæ,& Dominica in Quinquageſima,quæ miſſæ non dicuntur æquiualenter de tempore paſsionis; Nec reductiuè, quia illæ votiuæ dicuntur reductiuè de tempore, quæ ponuntur in communi Martyrum, Confeſsorum, Virginum &c. nec habent certam, & determinatam diem, quod non contingit in noſtro caſu, miſsa enim de paſſione (idem dic de Cruce) non eſt de communi, ſed habet diem certam, & determinatam, ideſt Feriam ſextam, vt patet ex Rubrica antè votiuas. Cęterùm dato etiam quòd eſsent æquiualenter miſsæ de tempore paſſionis, non ideò ſequeretur idem iudicium eſse ferendum ac de illis, quia Rubricæ exprimunt omitti pſalmum &c. in miſſis de tempore, ergò in illis, quæ verè ſunt de tempore.

Introitus nunquam omittitur niſi Sabbatho maioris hebdomadæ, non modò in ſolemni, verùm etiam in priuatis, ſi dicantur vt *par.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 3. dicemus, & Sabbatho Pentecoſtes in Miſſa ſolemni, quamuis aliqui non omitti contendant, aſſerentes lectiones quæ leguntur antè benedictio-

dictionem fontis, vel antè Lytanias eſſe Introitum.

Kyrie ſemper nouem vicibus dicitur, vt in ordinario habetur, & quidèm ſi omitteretur aliquod *Kyrie* à Miniſtro ſuppleat Sacerdos, prout etiam de *Suſcipiat*, & ſingulis alijs partibus dicendum eſt, cum par ſit ratio de vna, ac de alia.

Hymnus Angelicus dicitur in miſſis de tempore, quandocumque in matutino dictus eſt hymnus Sancti Ambroſij, vt ſcripſit etiam *Durand. libr.* 4. *cap.* 57. §. 5. intellige tamen in miſſis concordantibus cum officio, quia miſſa Vigiliæ occurrentis infra aliquam Octauam non habet *Gloria* vt expreſsè docent Rubricæ in miſſis Vigiliæ Apoſtolorum infrà Octauam Sancti Ioannis, & Vigiliæ Aſſumptionis Beatæ Mariæ infrà Octauam Sancti Laurentij, quod fit, quia diſcordant ab officio, vt docet *Gauant. par.* 1. *tit.* 8. *in fine*. Dicitur etiam Sabbatho maioris hebdomadæ, & Feria quinta, non modò in Cathedralibus præſente Epiſcopo, vt vult idem *Durand. lib.* 6. *cap.* 75. §. 2. ſed etiam in quibuſcumque, vt explicat Rubrica miſſalis, quæ eſt regula pro quibuſcumque Sacerdotibus, neque enim nos excipere debemus, vbi lex non excipit. Ratio cur in cunctis Eccleſijs dicatur *Gloria* in Feria quinta in cęna Domini præter illam rationem Durandi ſuprà relatam, eſt ętiam propter inſtitutionem Euchariſtiæ, quæ Feria quinta fuit à Domino Ieſu facta, & cuius memoria in cunctis Eccleſijs recolitur, vt expreſsè habet Epiſtola, Secreta, *Hanc igitur* cum ſequentibus, vt etiam tradit Durandus in Cæna Domini.

In miſſis votiuis non dicitur, niſi dicantur in quocumque Sabbatho pro Beata Maria, vel de Angelis quacumque die, & in votiuis ſolemnibus pro re graui, quæ cantantur cum populi concurſu in paramentis albis, rubeis, non tamèn in violaceis.

Dices, cur in votiuis ſolemnibus, quæ celebrantur in paramentis violaceis in Dominica non dicitur hymnus ſicuti dicitur ſymbolum? Reſpondeo hymnum ſonare cæleſtem, & ſpiritualem lætitiam, vt tradit *Durand. lib. 7. cap. 1. §. 38.* quæ non conuenit huiuſmodi Miſſis, quæ triſtitiam præſeferunt non minùs, quàm Miſſæ Dominicarum Aduentus, & Quadrageſimæ, quibus datur ſymbolum ratione diei, non hymnus, quia non ſunt dies lætitiæ.

Pręter Miſſas de tempore, & votiuas, aliæ ſunt, quæ nec de tempore ſimpliciter ſunt, nec ſimpliciter votiuæ, ſed dicuntur ſemifeſtiuæ, & ſemiuotiuæ, vt dixi in *cap. de votiuis*: puta, Miſſa, quæ dicitur de Sancto non deſcripto in Kalendario Romano, ſed tantùm in Martyrologio, nec non Miſſa, quæ dicitur de ſimplici occurrente cum ſemiduplici, eo die, quo occurrunt, vt dixi in *cap. de votiuis*; In huiuſmodi ergò miſſis dicendus eſt ne hymnus Angelicus? *Gauant. par. 1. tit. 9. num. 16. lit. I. tit. 8. num. 4. litt. B. Bauld. par. 3. cap. 6. tit. 8. num. 2.* cum *Polac.* & *Angelo* affirmatiuè reſpondent; Ratio autem eorum eſſe poteſt, quia primò eſt dies natalitia eius Sancti, vt patet, in qua Simmacus Papa conſtituit hunc hymnum dici, vt tradit *Durand. lib. 4. cap. 13. §. 5.* quod nunc etiam ſeruatur ab Eccleſia, quæ in Officijs Sanctorum ponit poſt Matutinas hymnum Sancti Ambroſij, vt expreſsè habent Rubricę Breuiarij *cap. 31. num. 1.* & conſequenter Angelicum in Miſſa. Secundò, quia dies illa habet ſolemnitatem, cum ſit dies feſtus illius Sancti, & quidem ob ſolam ſolemnitatem dicitur *Gloria*, niſi alia ratio obſtet, vt patet de votiuis ſolemnibus pro re graui. Nec refert, quod diſcordet ab Officio, quia neque Miſſa in Coronatione Summi Pontificis, & in Conſecratione Papæ, & Epiſco-

Epiſcoporum, in conſecratione Altaris, neque Miſſa conuentualis Beatæ Mariæ in Sabbathis Aduentus concordat cum Officio, & tamèn dicitur *Gloria*, vt patet ex Rubrica propria Anniuerſarij, & poſt conſecrationem Eccleſię, & Rubrica generali *par.* 1. *tit.* 8. *num.* 4. & Gau. hìc, quod fit ob ſolam ſolemnitatem, ergò magis dici debet in die natalitio Sanctorum, qui fuerunt promptuaria Dei, & templum Chriſti, vt ait Damaſcenus apud *Durand. lib.* 7. *cap.* 1. §. 3.

Inter Miſſas irregulares, ſiuè diſcordantes ab Officio pone etiam ob paritatem rationis Miſſam, quam de Octaua in die infrà Octauam impedito Feſto ſemiduplici fortaſſe dixeris, v. g. celebras de natiuitate Sancti Ioannis Baptiſtæ die Sanctorum Ioannis, & Pauli, huic quoque Miſſæ tribue hymnum Angelicum, quia adeſt ſolemnitas natiuitatis, ſi quidem tota Octaua eſt prorogatio feſti; Quod autem cenſeatur tempus ſolemne natiuitatis patet, quia datur ſingulis diebus infrà Octauam *Gloria*, & *Credo* vt fit etiam ipſâ die. An dicatur etiam ſymbolum, vide vbi agimus de Symbolo *hac ſect. cap.* 4.

CAPVT II.

De Orationibus.

Qvamuis Rubrica de Orationibus ſatis clara primo aſpectu videatur, viſum tamèn eſt aliqua hìc addere, quę haud inutilia fore reor. Quæſitum eſt circà numerum primum Rubricæ de Orationibus, vtrùm quando dici debeat tres orationes, quarum poſtrema eſt ad libitum, liceat

ceat facere commemorationem ſecundo loco Defunctorum, addita in tertio, quæ dici debuerat ſecundò? Reſpondi primò, quòd ex vi Rubricæ *part. 1. tit. 7. num. 6.* non admittitur commemoratio voluntaria pro Defunctis, ſiquidem Rubrica ait: *ſi facienda ſit commemoratio pro Defunctis*: non dicit, *ſi placet commemorationem facere*, aut quid ſimile, quod denotet Sacerdotis arbitrium, ſatiùs ergò eſſet in ſemiduplicibus poſt ſecundam addere orationem pro Viuis, & Defunctis, videlicet: *Omnipotens ſempiterne Deus*, quæ quamuis ad Defunctos partialiter pertineat, poteſt tamen poni tertio loco, vt habetur exemplum in Miſſis Quadrageſimæ; In ſimplicibus tamen, & Ferijs, poteſt poni quarto loco addita etiam quinta ad libitum. Dico ſecundò, quòd non eſt improbabile, poſſe poni ſecundam orationem pro Defunctis, & tertiam, quę ſecundo loco ponenda erat, quia tota ratio, quæ contrarium probare poſſet, eſt ne commemoratio voluntaria, & merè votiua collocetur antè commemorationem propriã, & ex ſe conuenientem Miſſæ diei, quod fieri prohibetur in Rubrica ibidem *num. 5.* eò quia præferendę ſint votiuis propriæ, prout digniores; hęc tamèn ratio eſt nulla, ſi quidem hæc Rubrica corrigitur per immediatè ſubſequentem, vbi docemur commemorationem pro Defunctis penultimo loco faciendam eſſe. Nec obſtat illa particula; *ſi facienda ſit*, per quam non videtur ſignificari libitum Celebrantis; Non obſtat inquam quia etiamſi videatur ſignificare commemorationem, quæ facienda eſt de præcepto ſingulis ſecundis Ferijs, & Kalendis non impeditis, vt ait *Rub. par. 1. tit. 5. num. 1. & 2.* tamèn ob paritatem rationis idem iudicium ferendum eſt etiam in noſtro caſu. Ratio eſt, quia oratio pro Defunctis in Kalen-

lendis, & Ferijs ſecundis, non ideò habet priorem locum poſt orationem diei, quia ſit dignior, vt notat *Innocentius de myſt. miſ. lib. 2. cap. 27.* & poſt eum *Gauant. par. 1. tit. 7. num. 6. lit. L.* ſed vt reuertatur ad viuos, quæ à viuis profecta eſt deprecatio, ergò quacũq; die dicatur oratio pro Defunctis poteſt poni poſt primam, quia ſicuti in Kalendis non detrahitur orationi *A cunctis*, quæ aliàs ſecundo loco ponenda erat, ſic nihil detrahitur eidem orationi *A cunctis* extrà dictas dies, quando *Fidelium*, aut alia dicitur ad libitum.

Quæres, nùm in hoc caſu pro commemoratione omnium Fidelium poſſit poni commemoratio pro aliqua peculiari perſona v. g. pro Patre, pro propinquis &c. Reſpondeo, quòd extrà dies ſuprà expreſſos in Rubrica, in quibus omninò pro cunctis fidelibus dicenda eſt oratio; licèt pro aliquo, vt meliùs viſum fuerit, commemorationem facere, tùm quia commemorationes pro Defunctis in Miſſa de tempore non repugnant, nam ſi repugnarent, tàm repugnarent pro pluribus, quàm pro vno, tùm quia non minùs eſt votiua, peculiaris quæuis oratio, quàm generalis, ergò ſicuti poteſt dici quocumque die oratio generalis, poterit etiam dici quæcumque alia peculiaris.

Adde ad numerum tertium, quòd ſecunda oratio *Deus qui ſalutis æternæ*: dicitur ab Octaua Epiphaniæ vſque ad Feſtum Purificationis Beatæ Mariæ, etiamſi fuerit tranſlatum, quod etiam notauit *Gauant. par. 1. tit. 9. in num. 3.* & habetur expreſsè in Dominica Septuageſimæ; quamuis eadem oratio modò non duret in Officio Chorali poſt Antiphonam finalem Beatæ Mariæ in eodem Feſto tranſlato vt ſtatuit *Sac. Rit. Cong. 11. Ianuarij 1681.* Ratio prioris fortaſsè eſt, quia hæc oratio dicitur pro partu Bea-

Digitized by Google

tæ Mariæ, ergò debuit dici vſquequò peractum fuerit tempus purgationis, quod omne reductiuè eſt tempus partus, quod autem dicatur in Miſſa non in Officio canonicali fit, fortaſſe ne publica memoria partus Beatæ Virginis, & Matris MARIÆ deponatur vſquequò publicè, & ſolemniter celebratum ſit Feſtum Purificationis, extremum videlicet tempus purgationis, quod vt modò diximus reducitur ad tempus partus. Dixi: ne deponatur publica memoria partus, quia memoria, quæ fit in Miſſa eſt publica, & ſolemnis reſpectu commemorationum, quæ fiunt in Officio ad quod non concurrit Populus, ex quo concurſu actiones fiunt publicæ, vt patet, & ſolemnes.

Ad numerum 8. infrà Octauas Paſchatis, & Pentecoſtes quandò additur vnica oratio, vel pro Eccleſia, vel pro Papa, ſi facienda ſit commemoratio ſimplicis occurrentis, ne addas vlteriùs commemorationem pro Papa, &c. argumento à ſimili ſumpto à Rubrica præcipiente duas orationes, poſt primam diei v. g. *A cunctis*, & *Eccleſiæ* quarum poſterior omittitur ſuperueniente commemoratione v. g. Feſti ſimplicis, vt habet Rubrica *par.* 1. *tit.* 9. *nu.* 16. & ob eandem rationem ſi infrà alias Octauas in Miſſa, quæ dicitur per Octauã duplex eſſet cõmemoratio omitteretur oratio *Concede*, cũ tertia; Hoc tamèn intellige reſpectu tantùm Octauarũ, nàm in ſemiduplicibus per annum etiamſi duæ orationes dicerentur poſt primam diei adhuc dicenda eſſet *A cunctis*. Ratio cur hæc dicatur vltrà tres orationes, & non dicantur aliæ, eſt quia cum in Officio facta ſit in ſuffragijs commemoratio Beatæ Mariæ, Sanctorum Apoſtolorum &c. facienda eſt etiam in Miſſa, ſicuti in Miſſis Sanctorum Innocentium tres ſunt orationes, in Miſſa S. Thomæ quatuor, Dominicæ infrà Octauam

Nati-

Natiuitatis; itidem quatuor vltrà primam de die, non ob aliam rationem, niſi quia quando agitur de faciendis commemorationibus nulla regula ſeruatur, quàm ea quæ ponitur in Officio canonicali iuxtà ea, quæ traduntur in Rubrica de commemorationibus *num.* 1.

Hic obiter aduerte pro Diœc. noſtra Mantuana, & pro omnibus ijs quibus indulto Papali conceditur quod notatur in fine *Sectionis poſt cap.* 5.

Ad numerum X. Ex regula data pro diebus infrà Octauam Paſchatis, & Pentecoſtes, idem iudicium non feras pro Dominicis infrà Octauas, in quibus duæ tantùm orationes dicuntur, nàm ſi contingat commemorationem fieri, proinde non omittitur commemoratio octauæ, quæ ſemper facienda eſt, tũ in Dominicis, cum in duplicibus, vt habet *Rubrica breu. cap.* 7. *num.* 3. niſi ſint de ſolemnioribus. Die itèm octauæ incidente in Dominica per annũ., commemorationem facies Dominicæ, & alias quotquot in Officio factæ fuerint.

Ad numerum XII. *In Simplicibus, & Ferijs per annum dicuntur tres orationes, vt in Semiduplicibus &c.* ità Rubrica; ergò malè agunt illi, qui in ſemiduplici addunt quartam, & quintam, ex hac enim Rubrica colligitur tres tantùm dici in ſemiduplici, ſicuti etiàm in Rubrica hic *num.* 3. tres tantùm orationes ponuntur. Quinque tamèn aut ſeptem poſſunt dici in ſimplicibus, & Ferijs, non quatuor, aut ſex, niſi vbi numerum talèm exigerent commemorationes, impari enim numero gaudet Deus. Non eſt inſuper ignorandum has orationes, & collocandas eſſe ſeruata earum dignitate, vt ait Rubrica, & ex ſolo Miſſali eſſe ducendas, videlicet, aut de tempore, aut de proprio Sanctorum, aut de Communi, aut ex orationibus diuerſis poſt votiuas, non ex alijs libris, quia ſunt quidem ad arbitrium

Cele-

Celebrantis quoad numerum, non quoad acceptionem, ideſt quòd poſſit eas Sacerdos accipere vnde maluerit, ex Miſsali, vt colligitur ex Rub. *par.1.tit.7.num.5.* Quapropter malè agunt illi, qui ex Officio paruo Beatæ Mariæ legunt pro tertia ad libitum in ſemiduplicibus, & in Ferijs, ac ſimplicibus orationem: *Interueniat pro nobis quæſumus Domine Ieſu:* quæ eſt poſt planctum Beatæ Mariæ, vel: *Bone Ieſu Verbum Patris, &c.* quæ eſt Sancti Gregorij, modò: *Deus qui contritorum non deſpicis gemitum;* quæ eſt oratio pro afflictione, aut aliam de meditationibus Paſſionis Chriſti.

Ad numerum XIII. ait Rubrica, quod plures orationes dicuntur in Ferijs quatuor temporum; cum ergò contigerit dici votiuam in his Ferijs quamnam orationem dices? Reſpondeo primam, ea enim eſt, quæ concordat cum Officio, quamuis non ponatur antè Epiſtolam vt Rubrica expreſsè habet *par. 1. tit. 7. num. 4.*

Ad numerum XIV. Quomodò in votiua ſolemni pro gratiarum actione addenda ſit ſecunda oratio, vt etiam in miſſa priuata dixi in *Capite de miſſis votiuis par. 2. ſect. 1.*

Qui omiſerit per obliuionem aliquam orationem antè Epiſtolam poteſt omiſſam dicere cum ſua ſecreta antè præfationem, vt benè notat *Gauant. par. 3. tit. 10. in num. 16.* quod ſi aliam dixeris, eodem modo ſupplere poteris ob paritatem rationis, ſi verò oblitus fueris, & in collecta, & in ſecretis, omittes etiam in fine Miſſæ, ideſt poſt communionem, nec ſupplere errorem teneberis in Sacriſtia, vt aduertit *Tambur. de ſacrif. Miſ. lib. 2. cap. 5. §. 2. num. 23. poſt Suarium.*

Petijt quidam Sacerdos, vtrùm in Ferijs quando ſcilicèt dicuntur quinque, vel ſeptem orationes, liceat dicere oratio-

tionem pro Papa, & pro omni gradu Eccleſiæ, vel pro Papa, & *Eccleſiæ tuæ &c.* Ratio dubitandi erat, quia dicitur in Miſſis, aut vna, aut altera, & quidem Papa cum ita ſe habeat reſpectu Eccleſiæ, vt pars reſpectu Totius, ſequitur, quod is qui orat pro Papa, oret pro Eccleſiæ, & è contra, & proinde non videtur conuenire duplex hæc oratio; Alia ratio eſt, quia ſicuti de eodem omninò idem licet aliquandò commemorationem facere, quamuis de eo fiat Miſſa, contrà eam regulam, de eodem bis non fit in eodem officio, vt benè notat *Gauant. par.4. tit.5. nu.* 15. & tunc præcipuè quandò adhibetur nomen diuerſum in prima à nomine ſecundæ, aut alterius orationis; à fortiori poterit fieri commemoratio, & de Eccleſia, & de Papa, qui idem non ſunt, & ſaltem inadæquatè diſtinguuntur. Affirmatiue reſpondi, tùm ob rationem nuper allatam, tũ etiam quia de facto aliquando oramus pro Papa, & Eccleſia ſimul, quamuis id non fiat regulariter, ſic initio canonis primò oramus pro tota Eccleſia, deindè pro Papa, tùm pro Epiſcopo, demùm pro cœteris; ſic Sabbatho Sancto Leuita cereum benedicens, primò pro tota Eccleſia, poſt pro Papa, & Epiſcopo, tandem pro Imperatore, & Populo deprecatur; ſic lecta paſſione Feria ſexta in paraſceue idem ordo ſeruatur, nec non in Lytanijs maioribus, & minoribus, vt ex ſe patet.

Placet hìc duo notare, in quibus multi errant, aliud eſt quòd litera N. in oratione *A cunctis* non ſignificat nomen Sancti ad placitum, ſed Patroni, ſeu Titularis; aliud eſt, quod notauit etiam Gauantus videlicèt, quandò celebratur Miſſa de Patrono votiua in oratione *A cunctis*, vel poni nomen Titularis, vel ſi Titulus, & Patronus ſint idem, omitti; idem dic ſi Titulus ſit v.g. S. Maria, & Patronus S. Petrus, & è contra.

contra, numquam tamen ponitur vtrumque cum aut vnũ, aut aliam ſub diſiunctione ponendum dicat *Gau. par.* 1. *tit.* 8. *in num.* 2. & colligitur ex vnica litera N. inſerta orationi; Vbi tamen ſit vſus dicendi vtrumque retineri poteſt, ſic enim commemorationibus officij correſpondebit perfectiùs, hæc oratio.

At dices; quid agendum cum votiua celebratur de Sancto Apoſtolo Petro, vel Paulo. Reſpondeo, quòd poteſt dici Miſſa pro Apoſtolis inter votiuas poſita; vel ſi dicatur miſſa pro vno, ſecunda oratio erit de die, tertia de altero Apoſtolo, ratio cur inter vtramque orationem Apoſtolorum ponatur ea de die, eſt, quia commemoratio de Apoſtolo eſt votiua, ergo debet ei præcedere propria, & de die, vt colligitur ex *Rub. par.* 1. *tit.* 7. *num.* 5. vtpotè quæ non eſt ſimpliciter votiua, tùm etiàm quià in votiua Beatæ Mariæ à qua non diſiungitur Spiritus Sanctus, ſecunda oratio eſt de Officio diei, tertia de Spiritu Sancto. At tẽpore paſſionis, quo duæ tantùm orationes dicuntur iuxtà ſenſum Rubricæ, prima oratio erit de ambobus Apoſtolis ſecunda de Officio.

CAPVT III.

De Commemorationibus.

Regulariter in Officio Miſſæ eę fiunt commemorationes, quæ factæ ſunt in Officio canonicali, & eodem ordine, & quidèm ea ratione, qua Officium miſſæ refertur ad Officium chori tamquàm compars ad ſuam compartem, & tamquàm perfectiuum ad perfectibile, quam ob cauſam concordare debent, vt ait Rubrica, & eſt antiqua

Eccleſiæ

Digitized by Google

Eccleſiæ conſuetudo. Tota autem concordantia vnius Officij cum altero ſita eſt in eo, vt orationes, & Euangelia ſibi correſpondeant. Dixi regularitèr, quia aliquando in miſſa fit commemoratio, quæ non fuit facta in Officio, vt fit in ſecunda miſſa die Natiuitatis Domini, cuius ſecunda oratio eſt de Sancta Anaſtaſia; tempore Aduentus quo in miſſis fit commemoratio de Beata Virgine, de qua nihil fit in Officio, vt habet *Rubr. Breu. ante primam Dominicam Aduentus*; Infrà Octauas Beatæ Mariæ, quæ in miſſis habent orationem de Sancto Spiritu non in Officio, & in alijs octauis, quæ in Miſſa habent *Concede* nec in Officio faciunt mentionem Beatæ Mariæ; Aliquando fit in Officio chorali, & non fit in miſſa, quod contingit in Dominica Palmarum, & in vigilia Pentecoſtes, vt habet *Rub. par. 1. tit. 7. num. 1.*

Commemorationes ſunt in duplici differentia, aliæ enim ſunt propriæ v.g. de Feſto ſimplici, de die infrà octauam, &c. occurrente cum Feſto de quo celebratur Officium, & de his valet hæc ratio, quod nempè ſeruetur ordo, vt in Breuiario; Aliæ ſunt communes, quæ vulgato nomine dicuntur ſuffragia, & hæ non diſponuntur iuxtà ordinem Breuiarij (cum vnica oratione comprehendantur) niſi in quantùm ponuntur poſt commemorationes proprias, vt in horis canonicalibus.

Quæres in numerum 2. Vtrùm in ferijs Quatuor Temporum, ac ſecunda Rogationum, & Quadrageſimæ, pro vt ibi, occurrente ſolemnitate Titularis, ſiuè Patroni, aut Dedicationis Eccleſiæ, cantentur in Collegiatis duæ Miſſæ, & dato quòd cantentur an nihilominùs facienda ſit commemoratio Feriæ in miſſis priuatis? Ne mirere qui legis, quòd quæ ità clara ſunt vt meridiana luce clariora

O videan-

videantur ego proponam. Non ſine cauſa id factum credas velim. Reſponſa, quæ ſæpè viua voce dedi nunc ſcriptis tradam, vt qui conſuetudini (ſic enim abuſus etiàm graues nominant) nimium deferunt ſciant, & cognoſcant, velint, nolint, pluris Rubricarum auctoritates, & rationes eſſe faciendas. Reſpondeo ergò ad primum affirmatiuè de Ferijs quatuor temporum, ſecunda Rogationum, & Quadrageſimæ; Ratio eſt quia Feriæ huiuſmodi numquàm omittuntur, quin de ijs ſaltem fiat commemoratio, vt *Rubrica* ibi *num.* 2. & *Rub. Breu. tit.* 5. *num.* 1. & *tit.* 9. *num.* 2. & *expreſsius* 4. & ideò quia numquam omittuntur dicuntur maiores, vt habet *Gauant. in Rub. Breu. ſect.* 3. *cap.* 6. *num.* 2. quod dictum intelligas tantùm de Officio, & Miſſis priuatis, nàm reſpectu conuentualis miſſæ expreſsè habes in hac rubrica commemorationem, non fieri, eam ſupplente alia conuentuali, quæ omninò cantanda eſt. Neque obſtat magna diei ſolemnitas, vel concurſus Populi, & præſentia corporis eius Sancti, de quo fit Officium, & Feſtum (hæ enìm ſunt aduerſariorum rationes) quo minùs miſſa de Feria fieri debeat; nam ſicuti præſente cadauere alicuius Defuncti poteſt cantari *Miſſa* de Requiem Ferijs v.g. 2.3. poſt Paſcha neque per hoc detrahitur Feſto, cur non etiam Miſſa de Feria cantari poteſt abſq; ſolemnitatis detrimento diebus Patroni, qui non ſunt niſi primæ claſſis, vt dictæ Feriæ, ſed neque habent tantam ſolemnitatem; Nec dicas eſſe Feſtum principale, & ideò videri priuilegiatum; contrà enim eſt, quia quamuis ſit principale, & ſolemne non extrahitur tamèn ab ordine duplicis primæ claſſis, cui etiam competit commemoratio, tùm in horis canonicis, vt habet *Rub. Breu. tit.* 9. *n.* 4. quæ ait faciendam commemorationem quocumque Feſto occur-

occurrente, ſi quocumque, ergò etiàm primæ claſſis, tum competit in miſſa priuata, vt hic habet *Rub. num.* 2. & quidem quocumque Feſto adueniente, quod colligitur ex Rubrica, vbi ait in Feſtis primæ claſſis nihil fieri de Vigilia (& hæc ſit reſponſio ad interrogationem pro quæſito quà reſpicit Miſſam de vigilia, nam ſuperiùs dixerat faciendam commemorationem Feriæ maioris, & vigiliæ) ergò debet fieri de Feria maiori cum excludatur ſola vigilia. Tùm etiàm competit conuentualis de Feria, vt hìc Rubrica. Inſuper miſſa conuentualis omninò debet concordare cum Officio, vt Rubrica habet, *& cap. Cum Creatura de celeb. Miſ.* ſed niſi cantaretur altera de Feria, conuentualis Miſſa de Sancto non reſponderet integrè Officio canonicali, ſi quidem nulla in eo fit commemoratio de Feria vt etiam *Rubrica hic num.* 2. præſcribit, ergò duæ debent cantari.

Dices maximum ſcandalum futurum in Populo, vidente die tàm ſolemni, cantari miſſam de pœnitentia, & de luctu. Fateor maximam eſſe charitatem recentiorum horum Doctorum, qui norunt etiàm rituales leges mutare, ne fortè murmur fiat in plebe; Papè prudentèr agunt; ſic etenim effugient fortaſsè ſententiam illam deijciendi mola aſinaria ad collum ſibi alligata in profundum Maris! At hæc ſcandala? ò vtinam ſcandala omnia huius generis eſſent, ampliùs enim non eſſet dicendum, *vah mundo à ſcandalis*, immò verius illud Pſalmiſtæ, *& non eſt illis ſcandalum*: nam ſicuti ſcandalum non eſt Populis, Feria ſecunda, & tertia poſt Paſcha fieri ſupplicationes pro litanijs, & exequias celebrare; die Paſchæ, & Natalis Domini, & alijs ſolemnioribus dicere *Fidelium animæ &c. & De profundis* in fine officij, die omnium Sanctorum dicere Veſperas, immò etiam

vigilias defunctorum, ità non erit ſcandalum in Populo die Patroni in Feria Quadrageſimæ audire miſſam de Feria. Cœterùm ſi admiratio oriretur, moneatur Populus, & murmur ceſſabit; ad ſecundum verò reſpondendum eſt paritèr affirmatiuè, ratio eſt quia priuatæ miſſæ non concordarent cum officio, ergò debent habere commemorationem Feriæ, vt plenè concordent.

Quæres an occurrente ſimplici cum die Feriali, in quem incidit Feſtum duplex, an commemoratio ſimplicis facienda ſit in miſſa conuentuali de Feſto, an de Feria? Reſpondeo faciendam eſſe in miſſa de Feſto, illa enim eſt miſſa ſimplicitèr de die, ergò illi conueniunt procul dubiò omnes commemorationes niſi expreſsè excipiantur, cum verò excipiatur ſola commemoratio Feriæ, ſequitur admittendas eſſe commemorationes de ſimplici, dato tamèn quòd facta fuerit eius commemoratio in primis Veſperis, aliàs recurrit regula huius Rubricæ *num.* 1.

Ad num. 3. ſenſus Rubricæ eſt, quòd ſi votiuam dixeris cōmemorationem facies præciſè de eo, de quo fit Officium, nèc proindè teneris facere tertio loco commemorationem, quæ ſecunda eſt in Miſſa de die, excepto Feſto ſimplici, de quo omninò fit commemoratio iuxtà *Rub. par.* 1. *tit.* 4. *n.* 3.

Dubitatum fuit circà numerum 2. An in Dominicis occurrente Duplici debeant duæ miſſæ cantari, quando in hebdomada ſequenti reſumi non poteſt miſſa *D*ominicæ, aut debeat anticipari, aut ſufficiat ſola commemoratio. Reſpondeo quod ex vi Rubricæ non eſt cantanda duplex miſſa, nam duæ miſſæ non præcipiuntur niſi in Ferijs maioribus, & vigilijs. Neque anticipanda eſt miſſa Dominicæ in Sabbatho antè Dominicam impeditam, aut alio die priori, quià anticipatio miſſæ, non iubetur tantúm ob

eam

Digitized by Google

eam cauſam, vt nempè quævis Dominica habeat ſuam miſſam; ſed etiam, vt ſeruetur ordo hiſtoricus, vt colligi poteſt in vno caſu ex Rubrica ante Dominicam infrà octauam Epiphaniæ, & Euangelio Dominicæ, & octauæ, nec non etiàm in alio caſu ex lectione Euangelij ſecundæ Dominicæ poſt Epiphaniam,& Dominicæ Sexageſimæ,quod poſtremùm notauit *Gauant. par.4.tit.4.num.3.& in Rub. Breu. ſect.6. cap.7. num.8.* Concludo ergò per commemorationem,& lectionem Euangelij,cum homilia,& commemoratione ſatisfieri eidem non minùs pro Officio vt habet *Rub.Breu. tit.9.num.3.& 4. & tit.4. num.3.* quàm etiam pro miſſa, cum miſſa, & officium ambulent pari paſſu. At dices cur etiam in duobus memoratis caſibus, in quibus anticipatur miſſa Dominicæ non ſufficit ſola commemoratio. Reſpondeo, quia ſic perueteretur ordo hiſtoricus, vt ſuprà inſinuaui, quod oſtendo ſic: Si commemoratio anticipatæ miſſę Dominicalis facienda eſſet in Dominica, in ſecundo caſu legendum priùs eſſet Euangelium prædicationis Ieſu primo loco, quàm Euangelium nuptiarum in Cana, quod transferretur ad finem miſſæ cum tamén ordine hiſtorico anterius ſit,& ratione temporis, & ætatis Chriſti, vt legenti patebit. Quoàd primum caſum prius legeretur Euangelium de baptiſmo Domini, quàm de eius diſputatione cum legis peritis in templo, quæ fuit duodecimo ætatis anno, cum tamèn baptiſmus fuerit longè poſt,& ſic perueteretur ordo hiſtoricus, quem maximi facit Eccleſia.

Nec credas velim, vt aliqui malè,cantari duas miſſas proptèr dignitatem Feriæ; id enim non eſſe conijcitur, ex eo quia dignius eſt proculdubiò quodcumque Feſtum ſemiduplex quacumque feria, cum ſit in ordine ſuperiori, & tamèn

Digitized by Google

occurrente Patrono, vel Titulari cum die infrà octauam, quæ eſt ſemiduplex nihil fit de ea, & tamèn de Feria fit commemoratio in priuatis, & cantatur vna conuentualis, ergò non ratione dignitatis; ſicuti ſi cadat in Dominica, fit ſola commemoratio Dominicæ in miſſis de Patrono etiam in ſolemni, de Feria inſuper cantatur alia miſſa.

Quæſitum eſt vtrùm in Ferijs Aduentus cadente Feſto duplici duæ cantentur Miſſæ. Dubitatum fuit eò quia in *Rub. par.* 1. *tit.* 7. *num.* 2. habemus commemorationem fieri in Ferijs Aduentus, Quadrageſimæ, quatnor Temporum, Rogationum, & vigiliarum, ſed in Collegiatis cantari duas miſſas in prædictis Ferijs, ſi in prædictis, ergò etiàm in Ferijs Aduentus, vt aliqui dicebant. Hoc tamèn non obſtante dico, ſufficere in Aduentu vnicam miſſam. Ratio eſt primò, quià quamuis hæc Rubrica ſit dubia, explicatur tamèn per præcedentem *tit.* 3. *num.* 1. de Feria, & vigilia, vbi Feriæ Aduentus non nominantur, ſecundò quià ſi cantandæ eſſent duæ *M*iſſæ in Ferijs Aduentus, cantandæ etiàm eſſent pro eo tempore in Sabbathis, ſed quocumque Sabbatho non impedito per aliquod Feſtum Duplex, vel Semiduplex, neque dicitur miſſa de Feria, ſed de Sancta Maria, vt habemus in *Rubrica par.* 1. *tit.* 4. *num.* 3. ergò neque occurrente Feſto Duplici, vel Semiduplici cãtandæ erunt duæ miſſæ. Tertiò quia ſufficit commemoratio de Ferijs Aduentus in miſſa de Sancta Maria in Sabbatho, ergò ſufficiet etiàm in miſſa de Duplici, vel Semiduplici Feſto occurrente, hæc enim eſt miſſa de die, & concordans cum Officio, Miſſa autem B. Mariæ ab Officio diſcordat.

Quartò quià Feriæ Aduentus, quamuis maiores Feriæ dicantur, non ſunt tamèn in eodem ordine cum Ferijs quatuor

tuor Temporum, Vigiliarum, Quadrageſimæ; & ſecunda Rogationum, prior ratio eſt quia miſſa ſolemnis Sabbathi Aduentus cedit miſſæ de B. Maria in Sabbatho, quæ eſt ſub Ritu ſimplici, Feria autèm Quatuor Temporum, & Vigilia non modò non cedit miſſæ B. Mariæ, vt habemus in *Rubrica par.* 1. *tit.* 4. *num.* 3. ſed neque miſſæ de duplici quocumque, pro vt Feriæ Quadrageſimæ, & ſecunda Rogationum; quin de illis cantetur altera miſſa. Poſterior ratio eſt, quia Sabbathi Aduentus miſſam cedunt miſſæ B. Mariæ, quæ eſt ſub Ritu Simplici, vigilia verò non cedit niſi Feſtis primæ claſſis, vt ibidem patet. Ergò non benè infertur quod Ferijs Aduentus conueniant duæ miſſæ, eò quia conueniant d. Ferijs, & Vigilijs, cũ & Feriæ Quadrageſimæ, & vigiliæ nõ ſint eiuſdẽ rationis cũ Ferijs Aduẽtus Quod ſi duæ miſſæ cantandæ eſſent proculdubio *Gauant. par.* 4. *tit.* 15. illud notauiſſet, & tamẽ ibidem *num.* 3. dicit nullum occurrere caſum in Eccleſia vniuerſali in menſe Decembri, cantandi duas miſsas, & tamèn certum eſt menſe Decembris occurrere Feſta S. Franciſci Xauerij, S. Damaſi, Conceptionis cum octaua, & S. Thomæ præter alia.

CAP. IV.

De Symbolo.

VBi Rubrica habet *Feſtum duodecim Apoſtolorum* non eſt ſuperfluum *ly* duodecim, nàm per illã particulam excluduntur primò illi Sancti recentiores, qui ob conuerſionem alicuius Prouinciæ ad Fidem Chriſtianam, per ſe vel per alios à ſe miſſos factam, dicuntur ab Eccleſia Apoſtoli, non tamèn ſimplicitèr, ſed illius loci v.g. Sanctus

Franciſcus Xauerius, qui Indorum, Sanctus Gregorius, qui Anglorum dicuntur Apoſtoli; Excluduntur ſecundò decimus tertius, & decimus quartus Apoſtolus, nempè Paulus, & Barnabas.

At dices: cur nàm hi duo excluduntur à conſortio duodecim? Reſpondeo, quia fortaſsè illi duodecim ſunt propriè Apoſtoli Chriſti Domini, habentque peculiarem prerogatiuam, eo quià electi fuerint à Chriſto, & à Chriſto miſſi; Paulus autem, & Barnabas propriè loquendo ſunt Apoſtolorum Apoſtoli, videlicèt aſſumpti ad Apoſtolatum ab Apoſtolis, & ab ijſdem miſſi, nàm Apoſtolus, & miſſus idem eſt, *vt Durand. lib.7. cap.43. num.1. lib.4. cap.31.*

Nec dicas primo neque Matthiam à Chriſto Domino vocatum, & electum, ſed ab Apoſtolis, vt in Actis legimus Apoſtolorum, & tamèn comprehendi in numero duodecim. Reſpondeo enim primo Matthiam ſubrogatum fuiſſe Iſcharioti, ac proindè hæredem fuiſſe ſedis, nominis, omniumque iurium eiuſdem Iudæ, cui ſuffectus eſt, vt legimus in ipſis Actis Apoſt. Hæres enim ſuccedit in omne ius illius cuius eſt hæres *l. Hæreditas ff. de reg. iur.* Reſpondeo ſecundò, ab ijſdem Apoſtolis connumeratum eſſe ſecum, vt habemus, *& annumeratus eſt cum duodecim Apoſtolis, cap.*1. ergò quem ſibi coniunxere Apoſtoli non debuit ſeiungere Eccleſia.

Nec dicas ſecundò Paulum, & Barnabam electos à Domino, & ab eodem miſſos ad prædicationem non ab Apoſtolis, vt habemus in Actis vbi legimus *ſegregate mihi Saulum, & Barnabam ad opus: cap.*13. Reſpondeo enim, priuſquàm à Spiritu Sancto deputarentur, miſſos fuiſſe ab Apoſtolis ad prædicandum, quod habetur ex ijſdem Actis, *cap.*9. ac proindè electos ab Apoſtolis ad miniſterium prædicationis,

nis, & à Spiritu Sancto locum, in quo prædicarent determinatum, ex quo ſequitur non electos fuiſſe primò per ſe à *Deo*.

A numero autem duodecim non excluditur Sanctus Ioannes, per hoc quod legimus in Rubrica *S. Ioannes antè portam latinam*, nàm ſignificat Martirium Apoſtoli, non natale, quod celebratur infrà octauam Natiuitatis, ſicuti, & de Sancto Petro ad Vincula, cuius Natalitia celebrantur die 29. Iunij.

Vbi Rubrica habet in die Octauarum Natiuitatis Sancti Ioãnis Baptiſtæ, & Laurentij, tamèn adde ex peculiari Rubrica etiam in die, & per octauam ſi ſint titulares Eccleſiæ, & à fortiori ſi fuerint Patroni, vel Compatroni, vt paulò inferiùs. Videas quæ dicuntur in fine *ſectionis poſt cap. 5.*

Rubrica habet *in Feſto Patroni*. Dubitabis hìc de quibuſnam Patronis, cum vnus locus plures habere poſſit, vel quia plures, ſibi idem locus elegerit, vt in Diœceſi Mantuana ſunt Sancti Anſelmus, & Cœleſtinus; nec non Beatus Aloyſius Gonzaga, Beatus Ioannes Bonus, & Beata Oſanna, qui ſunt Compatroni reſpectu totius Sereniſſimi Dominij, vel quia vnum Locus aliquis ſibi elegerit ex proprio voto, alios habeat ex alieno, ſic vnaquæque Ciuitas ſuum habet Patronum peculiarem (quod etiam dicas de Compatronis) habetq; Patronum communem toti Prouinciæ, vt etiàm in Prouincia Mediolanenſi Sanctus Ambroſius, in Dominio Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ Sanctus Marcus. Reſpondeo de omnibus ijs verificari, quod dicendum ſit Simbolum; ratio eſt, quia dicitur in miſſis Titularium, ergò etiàm omnium Patronorum qui ſunt in ordine ſuperiori ipſis Titularibus, vt ait *Ga-*

uantus

Digitized by Google

uantus Rub. Breu. ſect. 3. cap. 12. Nec dicas eſſe in ordine ſuperiori Titulum reſpectu Compatroni, quia ille habeat Officium primæ claſſis, quod non habet Compatronus. Hoc enim non obſtat, quin adhùc Compatronus ſit in ordine altiori, quàm Titularis, ordo ſiquidem dignitatis deſumi non debet ex gradu Officij, quo eum colit Eccleſia, aliàs omnia Feſta Domini poni deberent in duplici primæ claſſis; Feſta *Deiparæ* ſecundæ claſſis, cum certum ſit Dominum præcedere Mariam, & hanc cœteros Beatos, quod tamèn non obſeruatur, vt liquet.

Dubitabis an in translationibus Corporum, aut inſignis Reliquiæ Sanctorum, quibus aliàs non competat, dicendum ſit Simbolum. Reſpondeo affirmatiuè, quia ratione ſolemnitatis, & concurſus Populi dici poteſt, vt ait *Gauant. par. 1. tit. 11.* hùc enim pertinet illa pars Rubricæ, vbi habetur Corpus, vel inſignis Reliquia Sancti, de quo agitur. Nec officit Gauantum ſuperius dicere: *In translationibus Sanctorum non dicerem Simbolum, niſi Officium ſit duplex*, quià hìc loquitur de Anniuerſario translationis, quod quidem debet etiàm eſſe duplex *Piſc. lib. 2. ſect. 9. cap. 4. n. 29.* nàm de die translationis, cum ſit ſolemnis, procul dubio eſt itèm duplex, & conſequentèr habet *Credo*.

Dicitur etiàm in Anniuerſario electionis, & conſecrationis Epiſcopi ſiuè dicatur miſſa de conſecratione, ſiuè de Feſto occurrente, cui aliàs non competat Simbolum, cum commemoratione pro Epiſcopo *Cerem. Epiſcoporum lib. 2. cap. 35. Gau. par. 4. tit. 17. num. 2.* An verò dicatur Simbolum ratione collectæ pro Epiſcopo affirmat *Angelus par. 2. cap. 18.* Non placet tamèn eius ſententia, quia miſſa votiua ſolemnis in violaceis habet *Credo*, non quidem ratione collectæ Dominicalis, quæ non dicitur, ſed quià celebratur in

die

die *Dominico*, cui conuenit *Credo* ergo etiam in miſſa feſtiua, cui ex ſe non conuenit *Credo*; dicitur non ratione collectæ, ſed ratione diei conſecrationis, in quam cadit, vt colligitur ex Rubrica hic, vbi habemus dici ſimbolum in Feſtis, quæ ſunt infrà Octauam, & in *Dominica* ratione *Dominicæ*, & Octauæ, ſi ratione *Dominicæ*, & octauæ, ergò non collectæ.

Præterquam quòd ſequeretur, quòd etiam in vigilia Aſſumptionis cadente infrà octauam Sancti Laurentij dicendum eſſet Symbolum in Eccleſijs, quarum Titulus eſt Sanctus Laurentius, cum Miſſa Vigiliæ habeat collectam Octauæ, quod non poteſt ſubſiſtere, vt docuimus ſuo loco ex Gauanto. Nec velim dicas Gauantum habere hìc ſermonem de Feſtis, quibus cantantur duæ Miſsæ, hoc enim die non cantantur duæ Miſsæ, vt ipſe probat *par. 1. tit. 3. num. 1. & 2.* fusè; imò regulam dat generalem in Vigilijs non dici Symbolum, etſi veniant in Octaua *par. 1. tit. 11.* in fine, ergò ſi ponitur collecta, & non additur *Credo*, manifeſtè apparet non poni proptèr collèctam.

Dicitur etiam in die conſecrationis Altaris; ſubintelligetiam portatilis ex Rubrica in fine conſècrationis portatilis in Pontificali: Quæſitum eſt, an eo die quo Altare conſecratum eſt poſſint dici plures Miſſæ ſuper eo. Reſpondeo in dedicatione Eccleſiæ, omnes dici Miſſas de Dedicatione, ergò idem etiam de Altari dicendum eſſe. Nec obeſt, quod Rubrica antè orationes dedicationis Altaris ſic habeat: *dicitur Miſſa &c.* ex ea enim non benè infertur vnicam dici Miſſam, ſicuti ex Rubrica præcedenti vbi idem eſt, non infertur celebrari tantùm ſemel de Eccleſiæ Dedicatione in conſecrationis die, cum præcipuè dicantur omnes in Anniuerſario. Nec valet in Miſſa pro

Alta-

Altari eſſe *Gloria*, & *Credo*, ergò eſſe ſolemnem votiuam, & ſic plures vna dici non poſſe, non valet (inquam) quia ſæpè ſepiùs priuatè celebratur huiuſmodi Miſſa, præcipuè de Altari portatili, & ſine concurſu populi, cum Epiſcopus in oratorio priuato ea conſecrare poſſit ex eadem Rubrica antè conſecrationem poſita, vti etiam vt plurimum conſecrantur, ergò dicendum eſt non eſſe votiuam ſimpliciter, ſed quod concedantur celebrari Miſſæ ob myſterium Altaris, nàm ſicuti Eccleſia ſignificat cętum fidelium, ità Altare ſignificat Chriſtum *Durand. lib. 1. cap. 2. num. 4. & cap. 7. num. 27. & 28.*

In Feſtis principalibus Ordinum dicitur *Credo*. Quæſiere duo Sacerdotes in Eccleſijs Monialium celebrantes, quid ſibi agendum eſſet in Feſto principali cuiuſdam Beati non canonizati, cuius Miſſa, & Officium conceditur tantùm Regularibus, quique in Eccleſia earum Monialium colitur omni concurrente Populo. Reſpondi primò alterum, qui eſt Confeſſarius, & propriè Cappellanus Monialium teneri ad ſe conformandum Officio Monialium, cum illa reſtrictione quæ præſcribitur à Sacra Rituum Congregatione, videlicèr vtendi Miſſali Romano, & quamuis decretum loquatur de Sancto, non de Beatificato ob paritatem rationis idem de Beato eſt ſentiendum. Ratio eſt, quia non minùs vetitum eſt Miſſam celebrare de Canonizato, cuius miſſa conceſſa eſt certis Regularibus, quàm de Beato, cuius miſſa ſolis ijſdem Regularibus eſt conceſſa, ſed per hoc decretum aufertur prohibitio de miſſa Canonizati, ergo & de miſſa Beatificati. Reſpondi ſecundò alteri non licere, ratio negandi eſt, quia ratione Perſonæ non habet priuilegium ſe conformandi Officio Monialium; cum non ſit Cappellanus Monialium propriè ſic dictus,

Digitized by Google

tùm etiam quia ideò conceditur Cappellano, quòd celebret miſſam, vt Officium Monialium habeat miſſam conuentualem ſibi reſpondentem, quod habetur per vnicam miſſam, ſed nec ratione loci, aut miſſæ habet priuilegium; cum primus non ſuffragetur, altera ſit prohibita, ergò ex nullo capite poteſt celebrare miſſam de Beatificato. Miſſa ergò dicenda erat ab eo, qui non erat Cappellanus iuxtà Officium Romanum, & proprium; Intellige tamen hoc tantummodò procedere pro miſſa Beati, nam ſi fuerit cõceſſa Religioni miſſa peculiaris Sancti, qui ab omnibus coli poſſit per miſſam, vel B. Mariæ Virginis tunc miſſa poterit dici de illo Sancto, vel de Beata Maria cum Miſſali Romano vt ſupra dictum eſt de Cappellano Monialium. At quæres, quid ſi miſſa Ritus Romani non exigat *Credo*? Reſpondeo eo caſu omittendum eſſe, quod admirationem non cauſabit, tùm quia in ſemiduplicibus Feſtis Titularibus alicuius Cappellaniæ, quæ celebrantur cum concurſu non admirantur illi, qui audiunt Sacerdotes celebrantes miſſas votiuas ſine *Gloria*, & Defunctorum, tùm quia in Titularis, aut Patroni Feſto incidente in Ferias Aduentus, Quadrageſimæ, & ſimilibus diebus, nullus admiratur, quòd cantetur vna ſolemnis de Feria maiori, dùm aliæ de Titulari, vel Patrono celebrentur. Inſuper, vel qui adſtant ſunt periti, & ſic nulla admiratio exoritur, vel ignari, & ſic neque admirantur, cum exiſtiment Clerum prudenter agere. Neque dicas miſſam iuxtà ordinem Romanum celebratam occurrere cum Feſto illius Beati, & per participationem habere Symbolum, ſicuti ſi occurreret in Dominica, aut in aliqua Octaua; contrà enim eſt, quia ea miſſa materialitèr tantùm occurrit cum Feſto illius Beati, nàm formalis occurrentia, vt col-

ligi

Digitized by Google

ligi poteſt ex *Rubr. Breuiarij tit.* 10. per totum, eſt duorum feſtorum in eundem diem coincidentia, non quidem reſpectu diei naturalis, ſed reſpectu diei Eccleſiaſtici, prout dies officium habet, nàm ſic conſiderantur dies in Rubricis. Cum autèm hìc nullus occurſus habeatur, nulla conſequentèr eſt connexio inter Miſſam Ordinis Romani, & Feſtum huiuſmodi, ac proindè non dicitur *Credo*. Vlteriùs ſi etiam inſignis Reliquia Beati haberetur, Symbolum nihilominùs non eſſet dicendum in miſſa huius Cappellani, quia in Rubrica habemus dici Symbolum vbi habetur Corpus, vel inſignis Reliquia Sancti, de quo agitur, Sacerdos autèm de eo non agit.

Quæſiuit quidam Abbas, an in Feſto cuiuſdam Sancti, qui celebratur in Eccleſia ſui Ordinis, ſed eſt titulus Cappellæ, cuius Miſſam in Pontificalibus cantaturus erat, an in ea Miſſa dicendum eſſet Symbolum? De miſſis priuatis, & ſolemnibus Sacerdotum dubium non erat, cum excludatur à Rubrica hìc, ſed pro Miſſa Pontificali dubitabatur quaſi hæc non ſubiaceret Rubricis. Pro quo reſpondi; hanc itidem Regulam in Miſſa Pontificali ſeruandam eſſe, cum ex nullo capite appareat aliter eſſe faciendum; Non ratione Prælati celebrantis, nec ratione concurſus Populi: Non primùm, quia in *Cerem. Epiſcoporum lib.* 2. *cap.* 8. legitur de Epiſcopo celebrante ſolemnitèr ſic: *dicit Credo, vel Dominus vobiſcum vt conuenit*, ergò ratione Perſonæ Miſſa Pontificalis non habet Symbolum. Non ſecundùm, quia alitèr in ruralibus Eccleſijs ſemper eſſet dicendum quocumque adueniente Feſto, cum fiat celebris concurſus Populi ad Parochiam diebus feſtiuis.

Dicitur etiam in votiuis ſolemnibus &c. limita tamèn, ſi celebrentur in paramentis violaceis, ex Rubrica antè votiuas,

quia

quia non dicitur, niſi celebretur in Dominica. An verò dicendum ſit ſi miſſa celebretur in alio Feſto, cui competat *Credo* affirmat *Bauld. par. 5. cap. 7. tit. 11. num. 4. Magrus, Nicolius V. Miſſa.* At ego contra ſentio, quia rubrica exprimit tantùm diem Dominicam, ergò priuilegium hoc non eſt extendendum ad huiuſmodi dies.

Nec dicas, non minùs nullam habere connexionem hanc votiuam cum Officio Dominicæ, quam habeat cum Officio Feſti, in quod cadit, ergò dicendum eſſe etiam in die Feſto habente ſymbolum, ſicut dicitur in Dominica; Reſpondeo valdè diſparem eſſe rationem, ſiquidem ſymbolum competit alia ratione Miſſæ Dominicali, & alia ratione miſſæ feſtiuæ Sanctorum; & quidem Miſſæ Dominicali conuenit non ratione miſſæ, ſed tantummodo ratione talis diei; Miſſæ autem feſtiuæ conuenit, non ratione diei, in quam cadit, ſed ratione ſui, quod ſic demonſtrare viſum eſt: Illud per ſe aliquid dicitur exigere, quo præcisè remanente cęteris ablatis, adhuc illud exigit, & poſcit, ſicuti è contrà, illud per ſe non exigit aliquid, quando eo præcisè remanente, & cæteris ablatis, adhùc illud, quod exigebat non poſcit, at translata Miſſa Dominicæ ſimul cum Officio, & proinde disiuncta à die Dominica, non habet ſymbolum, & è contra translata Miſſa cum Officio alicuius v. g. Apoſtoli, vel Doctoris, à propria die, cui, tanquàm propriæ ſedi eſt affixa, adhùç habet ſymbolum, ergò miſſa feſtiua huius Apoſtoli &c. exigit per ſe, Miſſa verò Dominicalis exigit ſymbolum ratione diei, ergò miſſa votiua ſolemnis in violaceis infra Octauam, aut die alicuius Apoſtoli non habet ſymbolum, ſed tantùm in Dominica.

Nec dicas; diem ad quam Officium Sancti translatum eſt eſſe adhùc

adhùc propriam Sancti, diem verò ad quam translatum eſt Officium Dominicale non eſſe propriam diem Officij dominicalis; Contra enim eſt, quia ſicuti Miſſa, & Officium Sancti ſe habet ad Kalendas v. g. Auguſti, ità ſe habet Miſſa, & Officium de myſterio v. g. nuptiarum in Cana ad ſecundam Dominicam poſt Epiphaniam, ſed Miſſa, & Officium Sancti translatum ad aliam diem, illam ſibi tanquam propriam ſedem vindicat, ergò à pari Miſſa, & Officium myſterij v. g. nuptiarum in Cana translatum, & anticipatum in Sabbatho, & Sabbathum habet pro propria die.

Nec inſtes: Officium Dominicæ translatæ celebratur ritu feriali, ſicuti, & Miſsa; Officium verò, & Miſſæ Sancti translati eodem ritu celebratur, ac ſi translatum non eſset, ergò Miſſa Dominicæ translatæ non habet tanquam propriam Sabbathi diem, ad quam eſt anticipata, aliàs celebraretur ritu dominicali iuxta ordinem ſemiduplicis, ſicuti Miſsa, & Officium Sancti eodem ritu duplici celebratur eodem die, ad quem translatum eſt, non minùs ac ſi à propria ſede non fuiſset amotum. Reſpondeo hoc argumentum probare mea dicta, nám cum Officium extra diem Dominicam non habeat ea, quæ habet quando celebratur eadem die Dominica, ergò ratione diei illa habet, non ratione ſui; ſicuti de votiua ſolemni in violaceis in Dominica valet dicere, quod habet ſymbolum ratione Dominicæ, quia ſi contingat celebrari extra Dominicam ſymbolum non habet ex vi Rubricæ; E'contrà ſi Officium Sancti chorale, & Miſsale habet omnia ſibi competentia, tùm ſi transferatur, tùm ſi non transferatur, ergò omnia, quę habet, habet ratione ſui non ratione diei, aut alicuius circumſtantiæ. Ad argumentum ergò Reſpondeo conceſso antecedenti negando

gando conſequentiam, & ad probationem, videlicèt *aliàs celebraretur ritu dominicali iuxta ordinem ſemiduplicis* dico, quòd non poteſt celebrari ritu Dominicali, quia non celebratur in Dominicali die, ratione cuius celebratur etiam ritu dominicali, & ſemiduplici.

Ceterùm aduertere oportet ad eam fallaciam, nempè: Officium, & Miſsa Dominicæ extra diem Dominicam &c. nàm Miſsa, & Officium, vt plurimum occurrentia die dominico, dicuntur communiter Officium, & Miſsa Dominicæ, eò quia regularitèr, perſoluantur die dominico, propriè tamen loquendo, dicenda eſsent Miſsa, & Officium, v. g. myſterij nuptiarum in Cana: Baptiſmi *D.* Ieſu &c. & tunc fallacia, verborum dubiorum velaminibus detractis manifeſtè cognoſcitur; nàm Miſsæ, & Officia talium, & talium myſteriorum ſi celebrentur diebus Dominicis in quas cadere ſolent, verè Miſsæ Dominicæ ſunt, ſi ſecùs non ſunt miſsæ Dominicales, ſed feriales, & conſequentèr non habent *Credo*. Quod autem diei Dominicali competat *Credo*, primò habes ex Rubrica hìc, vbi aſsignatur diei non miſsæ, ergò in omnibus miſſis dicendum eſt, etiam votiuis ſolemnibus ea die celebratis, niſi adſit peculiaris reſtrictio. Secundò ex Doctoribus *Durand. lib. 4. cap. 25. num. 13. Innoc. 3. lib. 3. cap. 51.* qui aſserunt recitari Symbolum ijs diebus, quibus fit mentio alicuius myſterij, quod ea die recolitur, & proindè recitari diebus Dominicis, quia in eo habetur myſterium Reſurrectionis, non ex partibus miſsæ, ſed ex propria die, quod pro dubij reſolutione benè notandum eſt. Neque dicas, diem infrà Octauam habentem Symbolum, illud dare etiam miſſis priuatis Sanctorum occurrentium infrà Octauam, ergò à fortiori, ſolemni votiuæ. Reſpondeo, quòd ſi argumentum quid-

quam probaret, euinceret etiam Symbolum compete re Miſſis ſolemnibus Vigiliarum infrà Octauas occurrenti um quod tamen vidimus ſuperiùs falſum eſſe. Nota ergò pro ſolutione dubij in Rubrica hìc dici Symbolum in omnibus Feſtis occurrentibus in Dominicis,& per Octauas,non dicit Rubrica in omnibus Miſſis, ſed in omnibus Feſtis, ergo in quacumque Miſſa Feſti, etiam priuata, non in aliâ votiua.

Probatur vltimò noſtrum aſſertum ſic: ſi ex aliquo conijcitur, quód Simbolum non repugnet, imò conueniat votiuæ ſolemni in paramentis violaceis infrà Octauam, vel in aliâ die, cui competat *Credo*, eſt maximè, quià huiuſmodi Miſſa, cum ſit ex ſe indifferens ad habendum, & non habendum Symbolum, determinatur ad illud habendum per diem, cui competit Symbolum, ſed hoc non ſufficit, vt Miſſa ſolemnis in violaceis habeat *Credo*, ergò *Credo* non conuenit huiuſmodi Miſſis. Maior patet, minor probatur quià, non poteſt verificari, quòd ab huiuſmodi Miſſa tollatur indifferentia habendi,vel non habendi Symbolum, per eam diem, in qua celebratur, cum Symbolum conueniat ſolemnitati, & Feſto, non autem diei, ſed Symbolum die v.g. infrà Octauam, & die alicuius Apoſtoli, vel Doctoris, conuenit miſſæ reſpectu ſolemnitatis, non reſpectu diei, ergò non poteſt verificari, quòd miſſa votiua ſolemnis in violaceis, determinetur ad habendum Symbolum per diem, in qua celebratur; Maior eſt certa, minor probatur. Si Symbolum conueniret miſſæ reſpectu diei, ſequeretur primò, quòd eâ die, etiàm tranſlata ſolemnitate, deberet dici *Credo* eadem ex cauſa, ob quàm diceretur, ſi ſolemnitas non transferretur, ſed tranſlato aliquo Feſto ob Feriam priuilegiatam Symbolum non dicitur, vel tranſla-

tranſlato ob Dominicam priuilegiatam, vel maiorem ſolemnitatem, dicitur quidem Symbolum, ſed non eadem cauſa, ergò Symbolum in ſolemnitatibus, de quibus ſuprà, non conuenit miſſæ ratione diei, ſed ratione Feſti; Probatur ſequela, quià, vt de Symbolo in die Dominica vidimus, in tantùm dicitur, in Feſto ſolemni, quòd cadat in Dominicam, cui Feſto non competat *Credo*, in quantùm Symbolum præcisè exigitur à quacumque die Dominica, quamuis de illa non fiat miſſa, vt fit in Natiuitate S.Ioannis Baptiſtæ, quæ fortè celebretur in Dominica, ergò à pari etiàm tranſlato Feſto dicendum eſſet eadem die, quià eadem dies exigit, per aduerſarios, Symbolum. Minor quoad primam partem eſt certa, quoad ſecundam probatur. Tranſlato Feſto v. g. S.Thomæ Aquinatis ob primam Dominicam Quadrageſimæ non dicitur *Credo*, in miſſis Dominicæ ratione Feſti tranſlati, ſed ratione ſoliùs Dominicæ, de qua fit Officium, ergò non dicitur Symbolum in miſſa ratione Feſti tranſlati, ſed ratione Dominicæ, ergò Feſta Sanctorum, ſi ab vno die transferantur ad alium, non dant Symbolum diei quàm deperdunt; Ergo eadem ratione de primò ad vltimum in votiuis ſolemnibus, quæ infrà Octauas, aut die alicuius Apoſtoli v. g. vel Doctoris celebrantur in paramentis violaceis non dicitur *Credo*, cum non ſit miſſa de Feſto currente.

Sìc etiam infrà Octauam dici poteſt miſſa de Sancto, qui eo die obijt, & de quò non fit niſi commemoratio, & tamen non dicitur *Credo*, ergò *Credo* dicitur non ratione diei, ſed talis Feſti currentis; quòd autem non dicatur *Credo* in poſteriori caſu expreſsè notat, *Arnaud. par.* 1. *tit.*4. *à num.*9. *ad finem*, ſed meliùs probatur ex illatione ſequenti.

Quòd ſi dicas ideò non dici Symbolum, quià miſſa non eſt

Digitized by Google

propria de die, quamuis illi diei conueniat, ex quo capite votiua dici non poteſt, ergo (infero) Symbolum non conuenit diei, ſed ſolemnitati, quià ſi Symbolum conueniret diei, conueniret etiam miſſæ (intellige ſemifeſtiuæ) Sancti, qui eo die obijt, vt potè miſſæ eius dici.

At dices cum *Angelo par. 2. cap. 5. §. 8.* dicendum eſſe in huiuſmodi miſſis *Credo*, ſicuti in eis dicitur *Gloria in excelſis*, quià reducuntur ad miſſas Feſtiuas, & de tempore. Reſpondeo, quòd quamuis longè probabiliorem exiſtimem ſententiam Arnaud; quæ eſt contraria huic, tamen, nequè hanc ſententiam Angeli, & Quarti contrà me eſſe, quià dato, quòd dicatur Symbolum in huiuſmodi miſſis, ideò dicitur quià reputantur miſſæ de tempore, vt ijdem dicunt, ideſt miſſæ participantes de Feſto, & de Solemnitate, quià cadunt infrà Octauam, vt cadunt aliâ Feſta Semiduplicia, & Duplicia, quibus ideò Eccleſia tribuit Symbolum, vti etiam præfationes, & *Communicantes*, ergò ex hac ſententia, non ſequitur in votiuis, quæ fortè celebrantur in paramentis violaceis infrà Octauas dici Symbolum, cum hæ nullam habeant connexionem cum Feſto, & Octaua.

CAPVT V.

De Offertorio, Præfationibus, Canone, & Benedictione, ac Euangelio vltimo.

Regularitèr in quacumque Miſſa dicitur Offertorium, poſt *Dominus vobiſcum* excepto Sabbatho Sancto maioris hebdómadæ.

Dubitatum fuit vtrùm præfatio cantaretur in tono feriali, vel ſolem-

ſolemni in Miſſis Defunctorum, quæ cantantur præſente corpore, cum Miſſa fit in ordine duplici, ſicùt etiàm Officium Chori. Dubium facilè reſoluitur, cantatur enim præfatio communis, quæ cum nota ponitur poſt omnes præfationes in Miſſali, quod habes in Rubrica generali de præfationibus, præter quám quòd vnica eſt præfatio, tùm quoad verba, tùm quoad notam, qua vtimur in Miſſis Defunctorum, quæ etiàm eſt in tono feriali, ſicuti tota Miſſa eodem in tono cantatur.

Notandum hìc eſt, quòd ſi votiua cantetur infrà Octauam Natiuitatis præfationem habebit de Natiuitate, etiamſi habeat propriam, quià illud tempus quamcumque præfationem excludit, cum excludat præfationem Apoſtolorum in Miſſa Sancti Ioannis. An autem eadem præfatio durans vſquè ad Epiphaniam habeat vim excludendi præfationes proprias, quamuis aliqui affirment, quòd in Octaua Sancti Stephani, infrà Octauam Sancti Ioannis non dicatur præfatio de Apoſtolis, ſed de Natiuitate, tamèn cum Gauanto viſum eſt negare *par.* 1. *tit.* 12. *num.* 2. *lit.* C. *Quart. par.* 1. *tit.* 12. *in num.* 4. §. *his poſitis*, & dicere, quòd præfatio Natiuitatis dicitur in Octaua Sancti Stephani in gratiam Natiuitatis. Verùm quācumque ob cauſam dicantur, certum eſt præfationes proprias non excludi, aliàs in die Octaua Sancti Ioannis non poſſet dici præfatio Apoſtolorum, quæ tamen dicitur ex Rubrica poſita in prima Miſſa Natiuitatis Domini.

Refert etiam Gauantus, & alij Decretum Sacræ Congregationis Rituum, quò decernitur in Miſſis quator Temporum occurrentibus infrà Octauam Natiuitatis B. Mariæ dici præfationem communem, non B. Mariæ, ex quò arguunt in quibuſcumq; Vigilijs occurrētibus infrà Octauas

Digitized by Google

habentes prefationem propriam, eſſe tamen dicendam communem, non præfationem de Octaui. *Gauantus hic Claud. Arnaud. par. 1. tit. 12. num. 2. Quart. hic Bauld. par. 3. Rit. Seruand. in Cel. Miſ. tit. 12.*

Noto vlteriùs, transferri aliquando Feſtum alicuius Sancti, habentis propriam præfationem, ob concurſum cum Feſto Patroni, cui competit præfatio communis, vel diuerſa à præfatione, quàm exigit Feſtum translatum; hoc caſu (quod alicubi obſeruatũ non fuit) dicitur in Miſſis Patroni præfatio communis, ſi propriam non habeat, vel propria, ſi eam habuerit; Feſtum enim translatum, ex quò translatum, nullo modo afficit diem, à qua amotum eſt; ſecus tamen dicas translato Feſto, de quo cantanda ſit Miſſa, in hac enim Miſſa cantatur præfatio, quæ eo die in alijs Miſſis celebratur, niſi propriam habuerit, quia ea præfatio, eſt, pro ea die, de tempore.

Olìm præfationes plures erant, vt apparet in antiquo Miſſali Romano impreſſo anno 1558. Nunc demptis omnibus ijs, quæ ſingulis Sanctis datæ erant, vt B. Roccho, Auguſtino, & alijs, nec non ijs, quæ erant pro ſolis Virginibus, Martiribus, & Confeſſoribus redactæ ſunt ad numerum nouem.

Quæſitum nuper fuit, nùm, finita præfatione ante Canonis inchoationem, liceat particulam apponere pro communione cuiuſdam deuoti, qui tardius, quam par erat venerit ad Eccleſiam ſacrum auditurus.

Caſus hic refertur à *Gauant. par. 3. tit. 10. num. 19.* & affirmatiuè reſpondet dummodò præfatio adhuc inchoata non fuerit, *Diana tamen tom. 2. tract. de Celeb. Miſ. reſol. 225.* non modò poſt præfationem, ſed etiam paulo ante conſecrationem docet apponi poſſe. Reſpondi ergo licere; Ratio

autem

Digitized by Google

autem me mouens ad ſententiam hanc amplectendã contra Gauantum eſt, quia defectus oblationis verbalis circà formulã conſecrandam poteſt ſuppleri per oblationẽ mentalem, ergo non modo poſt præfationem, verùm etiã paulò ante conſecrationem poteſt apponi hæc particula. Quod autẽ ſufficiat oblatio mente concepta abſque verbali colligitur ex *tit.2.de defectibus num.*4.5.6.7. vbi dicitur, *facta oblatione vt ſupra*, ideſt mente concepta, vt expreſsè docemur *num.*4. Quòd autem non modò poſt præfationẽ, ſed etiam immediatè ante ipſam conſecrationem, intelli ge tamen non paſſim; ſed in aliquo caſu; Ratio eſt, quia in Rubricis citatis habemus etiã poſt conſecrationem, imò etiã poſt ſumptionem panis, & vini, ſi cognoſcat Sacerdos, vel panem, vel vinum corruptũ eſſe, apponendum eſſe nouũ panem &c. & conſecrandum, incipiendo ab illis verbis: *Qui pridie*, præmiſſa tamen oblatioue ſaltem mentali; ergo etiam inchoato canone poterit apponi & conſecrari ſicuti fit in prædictis, & alijs caſibus, quos in Rubricis de defectibus inuenies. Præterquamquòd ſi aqua in vinũ non fuerit immiſſa ante Calicis oblationẽ, vt fit de more, & Sacerdos id recordetur ante conſecrationem apponit aquam, & profert verba cõſecrationis, nec offert quidem tantũ mentalitèr dictam aquam, *Rub.ibid.tit.4.num.7.* ergo à fortiori abſque verbali oblatione, dummodò adſit mentalis, benè ſacrari poterit particula appoſita ante conſecrationem; Et quidem ratio, ob quã aqua non offeratur, alia eſſe nõ poteſt, niſi quia maior pars trahit minorem, & acceſsorium trahitur à principali, ſed etiam de particula idem verificatur, quæ acceſſoria eſt, & veluti pars Hoſtiæ maioris: ergo de illa ſimile iudicium fieri debet.

At poſt hæc reſponſa cognoui, dubitari, an conſecraretur illa

particula appoſita in Altari abſque oblatione. Dubiũ ſanè ridiculum, primò quia ad conficiendum Sacramentũ, ideſt conſecrandum eam particulam, requiritur materia, quæ eſt ipſa particula, forma, & intentio, & prætereà nihil aliud, vt manifeſtum eſt. Secundò, in caſibus ſupradictis conſecratur panis, & vinum, abſque oblatione ſaltem verbali, imò etiam aqua conſecratur, vt vidimus abſque oblatione, nec verbali, nec mentali, ſiuè conuertatur priùs in vinum, ſiué immediatè in ſanguinem, ſiuè in aquam, quæ de latere Chriſti profluxit, vt *Innoc. III. lib. 4. cap. 29.* ergo etiã dicta particula abſque verbali oblatione benè conſecratur.

Communicantes, & *hanc igitur oblationem* de Octaua aliqua nunquam omittitur, etiamſi omittatur Præfatio, quorum vterque pertinet ad Miſſam Octauæ; puta, cantatur Votiua de Beata Virgine infra octauam Paſchatis, Præfatio erit de Beata Maria, *Communicantes*, & *hanc igitur oblationem* de Octaua, vt decreuit Sacra Rituum Congregatio, vt aſſerunt *Quart.* hìc, *Gau.* hìc *num. 5. lit. G. Bauld.* hìc, *Arnaud.* hìc *num. 6.* & hoc fit eadem ratione, qua Præfatio Octauæ non omittitur in Votiua propriam Præfationẽ non habente; quia ſicuti Præfatio eſt de tempore; ſic etiam de tempore *Communicantes*, & *hanc igitur oblationem* &c. cùm ergo nulla Votiua habeat proprium *Communicantes*, debet habere *Communicantes* de tempore, ſicuti etiam eſſet danda illi Præfatio de tẽpore, niſi propriã Præfationem haberet.

Vnicus eſt caſus, in quo benedictio non datur in miſſis feſtiuis immediatè poſt *Placeat tibi &c.* ideſt quando celebrãtur Seſſiones in Synodo; nàm benedictio datur peracta tota Seſſione, *Cerem. Epiſcoporũ lib. 1. cap. vlt.* non tãtùm prima die, ſed totis diebus, quibus durat Synodus *Pontificale Rom. p. r. 3. cap. 5.*

Olim.

Olim tria Crucis ſigna producebantur in miſſa viuorum, vt docet *Caſtellanus in ordine celeb. miſſam*; in miſſis verò Defunctorum vnicum ſignum fiebat ſub hac forma: *Vita viuorum, & reſurrectio mortuorum benedicat vos in ſecula ſeculorum*; *Miſſale Rom. impreſſ. anno* 1558. *in Ordinario Miſſæ*.

Prælatis tantùm, de quibus egimus *cap.* 1. *ſect.* 3. fit à Sacerdotibus celebrantibus inclinatio, & Summo Pontifici genuflexio, nulla autèm Principibus ſæcularibus antè benedictionem, quia ab eis non eſt petenda licentia dandi benedictionem, & prætereà Crux formatur in medio, etiamſi in medio ipſe Princeps ſit, non autèm ſi ſit Epiſcopus, aut alij Prælati, quia Sacerdotem non decet eos benedicere, ſed benedicit in latere dextero ſui, vt habet hìc Rubrica, ſi ſint in medio, vel ſi in aliquo latere ſint, dat benedictionem in alio, vel in medio.

In miſſis votiuis legitur Euangelium Sancti Ioannis in fine; Arnaud. rationem reddit, quia (inquit ipſe) Euangelium correſpondens officio, prout nobiliùs, vel primo, & conſequentèr nobiliori loco legendum erat; vel omninò omittendum.

Omiſſa per errorem.

Notand. pro cap. 2. ad num. 9.

Hìc obitèr noto pro Diœceſi noſtra Mantuana; & pro omnibus ijs, quibus indulto Papali conceditur Officiũ Corporis Chriſti ſingulis Ferijs quintis per annum cum reſtrictionibus, vt in indulto; quòd ſecunda Oratio in Miſſa non erit *Concede*, vt aliqui contendunt probare, ſed *A cunctis*: Ratio aduerſariorum eſt, quia infrà Octauam Corporis Chriſti, quando nempè plures orationes dicuntur, ſecunda

da eſt *Concede*; ſed hi non benè ratiocinantur, eſt enim longè diſpar ratio; nàm infrà Octauam Corporis Chriſti non fiunt ſuffragia in Officio chorali, & ob id in Miſſali non dicitur Oratio dictis ſuffragijs correſpondens, quod ſeruatur, vt patet, in omnibus Octauis; in ferijs autem quintis, de quibus eſt ſermo, non omittuntur ſuffragia in horis canonicis, & conſequentèr apponitur oratio *A cunctis* in Miſſa. Neque dicas omitti orationem hanc in Miſſis de Vigilijs Sanctorum, & alijs in rub. *de orationibus nu.* 9. in quibus tamèn fiunt ſuffragia: ergò non benè probari, orationem *A cunctis* tunc eſſe dicendam in Miſſa, cùm ponuntur ſuffragia in horis canonicis. Reſpondeo enim, in Vigilia omnium Sanctorum non dici in Miſſa *A cunctis*, quià eſt eadem propè, vt prior oratio quoad deprecationem omnium Sanctorum; neque in Vigilia Aſſumptionis B. MARIÆ, quià bis fieret de eodem explicitè in miſſa, quod non conuenit; nec in ſemiduplicibus ab Octaua Epiphaniæ vſque ad Purificationem, vt fiat memoria Natiuitatis D. N. IESV per totum tempus purgationis, quod reductiuè eſt tempus partus; in reliquis autẽ Vigilijs non dici, tùm quia Vigiliæ ſunt præparatoriæ, & acceſſoriæ ad Feſta, quibus præponuntur; cùm itaquè acceſſorium ſequatur naturam ſui principalis, vt tradunt vulgata iura: ergo ſicuti Feſtum exigit fieri tantùm de Sancto, ità etiam Vigilia; quòd ſi in Vigiliæ Miſſa adduntur duæ orationes, vt fit diebus infrà Octauam, qui tamen ſunt eiuſdem naturæ cum die Feſto, fit quia ſunt diuerſi ritus, vt dies infra Octauas, à ritu Feſti, quibus omnibus ex rubrica *de orationibus* competunt tres orationes, quarum prior eſt de B. MARIA, quia quidquid obtinemus à Deo per Sanctos, per manus MARIÆ nobis conceditur; Tùm

quia

Digitized by Google

quia cùm Vigiliæ ſint etiam præparatoriæ ad Feſtũ,conueniens erat,eius tantùm Sancti memoriam in Vigilia recolere,cuius Feſta diebus ſequentibus erãt celebranda, vt Fideles magis excitarentur ad deuotionem illius, cuius merita ſibi imitanda tantùm proponerentur, niſi alitèr ſuaderet occurrens Feſtum aliquod Simplex, & dies infrà Octauam,quibus propria die detrahendum non eſt propter craſtinam ſolemnitatem,cùm magis mouere debeat præſens, quàm futurum, quo caſu adduntur aliæ orationes correſpondentes commemorationibus Laudum, vt habetur in Vigilia Aſſumptionis.

Addendum ad cap. de Symbolo.

Ex data regula pro Feſto S. Ioannis Baptiſtæ infer; quandocumque celebratur ab aliquo Sacerdote extrà ſuam Dieceſim Feſtum Martyris, Confeſſoris, ſeù Virginis, ſui Titularis, vel Patroni in Miſſa omitti Symbolum. Ratio eſt,quia Symbolum datur Titulari,vel Patrono huiuſmodi, non ob qualitatem Perſonæ, prout fit Apoſtolis, Euangeliſtis, Doctoribus &c. ſed ob circumſtantiam concurſus populi, vt docet *Gau par.1. tit.11. lit. N.* & præcipuè loci, aut Eccleſiæ, quorum Titulus eſt, vel Patronus, vt patet ex dictis de Feſto Sancti Ioannis Baptiſtæ, & Sancti Laurentij, ergo deficiente circumſtantia loci, vt deeſt in noſtro caſu, Symbolum reticetur. Patet etiam, quia Feſtis principalibus Ordinum ex Rubrica debetur *Credo* in Eccleſijs tantùm ſui Ordinis, ergo non in alijs, cùm exceptio firmet regulam in contrarium.

SECTIO III.

CAPVT I.

Additio ad Tit. Rubricæ De ingreſſu Sacerdotis ad Altare.

ILLVD noto, quod à multis Doctoribus traditur, à pluribus non ſeruari cognoui; Sacerdotem nempè ante Altare, in quo eleuatur Sacramentum priùs genuflectere, deindè caput aperire, & peracta eleuatione priùs caput tegere, deindè ſurgere, & capite cooperto abire; Quapropter malè agunt ij, qui ob maiorem reuerentiam, vt ipſi dicunt, capite aperto abeunt quouſquè ſint extrà conſpectum Altaris, tùm quia faciunt contra Rubricam, tùm quia adeſt periculum, quòd aliquid cadat de Calice; Vnico genu fieri genuflexionem dicunt *Gau. par. 2. tit. 2. ad num. 1. lit. g. Bauld. par. 3. Rit. ſeruan. &c. tit. 2. n. 3.* contrà *Quart. par. 2. tit. 2.* docet ambobus genibus genuflectendum eſse, idemque colligitur ex *Piſc. lib. 2. ſect. 8. cap. 1. num. 5.* & magis placet, quia, vt diximus ex omnium Doctorum placito, tunc debet fieri ambobus genibus reuerentia, quando aliquantulum debemus immorari genibus flexis; hìc autem Sacerdoti priùs genuflectendum eſt, vt ipſi volunt, deindè caput aperiendum, & cooperiendum poſt inclinationem, vtique ergo aliquo tempore genibus flexis manendum eſt, & conſequentèr ambobus genuflectendum; Præterquam quòd quando tranſitur antè Altare poſt conſecrationem, vſque ad communionem, genuflectendum eſt ambobus

gene-

genibus, vt omnes, & præcipuè *Gauant. poſt Cerem. Epiſcopor. lib. 1. cap. 2. Gau. par. 1. tit. 17. in num. 5. lib. 1.* Idem ſeruatur, quando appoſitum ſit in Altari Sacramentum, aut ſi deferens Euchariſtiam fieret obuius Sacerdoti tranſeunti cum Calice: ergo idem ſeruandum eſt etiam in noſtro caſu. Vbi tamen immorandum eſt aliquo tempore, nempè dum eleuatur Sacramentum poteſt Sacerdos tradere biretum Clerico poſt ſe genuflexo.

Occurrit etiam aliquandò Sacerdotem obuiam habere Epiſcopum, vel Principem magnum, quo caſu ſi gerit Calicem, capite cooperto illos ſalutabit, profundè inclinando, ſi Calicem non geſtat, capite detecto, vt docent communitèr omnes, præcipuè *Qua t. & Bauld.* citati; prout etiam ante Sanctiſſimum Sacramentum in Tabernaculo incluſum, tranſeundo Sacerdos cum Calice, reuerentiam facit capite cooperto, ſi ſine Calice eſt, caput aperit, *Gau. par. 2. tit. 2. in num. 5. lit. C.* Reliquiæ autem inſigni, quæ cum ſolemnitate eſt expoſita, caput apertum ijdem inclinandum docent.

Præſtat vbi non habeatur Calix, aut Pixis pro formulis imponendis, vbi tot ſint, quæ ſuper Patenam commodè non poſſint collocari, eas non ponere ſuper Corporale ante Offertorium, ſed incluſas capſulæ hoſtiariæ detinere vſquequò Calix diſcooperiatur, & tunc eas collocare, prout in Rubrica.

Errant qui putāt nomine Legati hìc intelligi ſolos Legatos à latere, non alios Miſſos, ſiuè Natos, quia cùm Legati huiuſmodi ſint ſemper Cardinales, vel ſuperfluum fuiſset id addere, vel certè præponi debuerant Cardinalibus, cùm Legati Apoſtolici de latere primi ſint Sacri Collegij, & habeant primum locū poſt Papā, vt dicit *Marcel. de Legat.*

Sub

Sub hoc ergo nomine continentur Legati miſſi, qui vulgò Nuntij appellantur, præcipuè ſi habeant facultates Legati de latere, & Legati nati. Ratio dicti eſt, quia Rubrica non exprimit quibuſnam Legatis hic honor deferendus ſit, ergo neque nos limitare rationabilitèr poſſumus, cùm militet eadem pro omnibus ratio, ſcilicet, cùm omnes habeant ordinariam auctoritatem, quamuis valdè limitatã, in cuius gratiam ſic honorantur, ac etiam in Cathedralibus præſente Epiſcopo Sedem habent vt Metropolitani, vel digniorem Chori, *lib. 1. Cærem. Epiſc. cap. 13.*

Nomine autem Archiepiſcopi intelligendi ſunt hic Primates, & Patriachæ, tum quia hoc nomen vſurpatur ad Primates ſignificandos, & Patriarchas, tùm quia ordinariam habent iuriſdictionem, vt Archiepiſcopi in Diœceſibus Suffraganeorum, & in ipſis inſuper Archiepiſcopis, *Theſaur. for. Leo lib. 1. cap. 2. n. 26. vſque ad 29. incluſiuè.*

Ordinem procedendi pro Miſſa ſolemni habes *par. 1. ſect. 2.* vt aduertitur infra.

CAPVT II.

De Introitu, vſque ad Euangelium incluſiuè.

INchoata Miſſa, & thurificato Altari, prout in Capite de Thurificatione & de Miniſtris (quoad acceſsũ ad Altare) dictum eſt; Celebrans incipit Introitum, & dicit *Kyrie* in eodem latere Epiſtolæ alternatim cum Miniſtris, & tùm *Kyrie* cùm Introitum dicit ſubmiſſa voce, vt docet *Rubr. generalis par. 1. tit. 16. num. 3.* & ſi tempus datur, ſedet interim, prout in Capite de Miniſtris dictum eſt.

Accedit deindè cùm tempus fuerit ad medium Altaris, quod oſcu-

oſculatur in medio Celebrans ſi à Sede diſceſſerit, ſecùs autem ſi ad Altare conſtiterit, Diaconus autem aſcendit ad ſecundum gradum, Subdiaconus in plano remanet, ambo poſt Celebrantem; Aſſiſtens, ſi fuerit, à latere Sacerdotis ſe ſiſtit præmonſtrans hymnum; Intonato hymno genuflectunt, & aſcendunt Miniſtri, Diaconus ad dexteram, Subdiaconus ad ſiniſtram, aut ambo ad ſiniſtram ſi Aſſiſtens adſit, & hymnum proſequuntur cum Sacerdote, ſtant omnes in linea recta manibus diſiunctis, & decentèr pectori appoſitis, quouſque à Choro hymnus fuerit peractus, & tunc genuflectunt, & eunt poſt Celebrantẽ; Si placuerit ſedent dum hymnus cantatur à Choro, & inclinant ſe, caput aperiendo, prout in Rubrica habetur.

Finito hymno à Choro recedunt à lateribus Celebrantis Diaconus, & Subdiaconus, & vadunt poſt illum, vt ad intonationem hymni, vel ſi fuerint ad ſedem, accedunt ad Altare, prout ſupra dixi, & dicitur à Celebrante *Dominus vobiſcum*, ad quod, vt malè agitur à pluribus, non inclinantur Miniſtri, & procedunt abſque alia reuerentia omnes ſimul ad latus Epiſtolæ, Diaconus per ſecundum gradum, Subdiaconus per planum, in quibus locis ſtant vſque ad finem vltimæ orationis; Idem ſeruetur ſi hymnus non ſit dicendus, videlicet quod ſiuè à latere Epiſtolæ à cornu Altaris, ſiuè à ſede procedant, Diaconus ſe ſiſtat in ſecundo gradu, Subdiaconus in plano Capellæ.

In temporibus; in Sabbatho maioris hebdomadæ, Feria ſexta in Paraſceue, quando dicitur *Flectamus genua*, Diaconus ante alios genuflectit ambobus genibus, & dicit in cantu inuitationem ad genuflectendum; Subdiaconus verò ſurgit ante alios dicens interim *Leuate*, ſurgentibus omnibus ſicut ſe proſtrauerunt cum Diacono; omnes ambobus genibus, excepto Celebrãte, ex *Rub. gen. par. 1. tit. 17. nu. 3.*

n.3.& par.2.tit.5.n.5.& Cerem.Epiſcopor.lib.2.c.26 et 28.

Dum cantat Celebrans orationes, ſi non ſit Aſſiſtens Preſbyter, Ceremoniarius ſtat ad librum vſque ad finem orationum; Miniſtri manus tenent iunctas, & caput inclinant cum Sacerdote, vt etiam omnes Miniſtri profundè, & profundiùs, vel conuertentes illud ad Crucem, cùm ſcilicet nominatur Ieſus, vel abſolutè, prout dicitur *cap. de inclinationib. par. 1. ſect. 3.*

Ad finem orationis Ceremoniarius, vel Acolythus accipit ambabus manibus Miſſale, vel librum Epiſtolarum, illudque ſe inclinans tradit Subdiacono poſt Diaconum ſtanti, qui illud ambabus manibus accipit per angulos inferiores inclinans ſe modicum Ceremoniario, & cum eo, vel Acolytho ad ſiniſtram, vadit ad medium Altaris, vbi genuflectunt ambo vnico genu, & procedunt ad locum vbi cantanda eſt Epiſtola, quæ cantatur clara, & ſonora voce, & quietè, ac diſtinctè ex libro, quem ſibi ipſi ſuſtinet Subdiaconus, cui Acolythus miniſtrat vertendo folia, ſi opus fuerit; ſi contingat aliqua legi in Epiſtola, vbi genuflexio notatur, Subdiaconus genuflectere debet, vt facit Diaconus in Euangelio, quod habetur *in Rubr. gener. par. 1. tit. 17. num. 12.* Finita lectione Epiſtolæ claudit librum, quem eleuatum ambabus manibus ſuſtinet, vt ſupra dictum eſt, vadit ad medium Altaris, vbi facit reuerentiam, deinde ad latus Celebrantis dexterum accedens genuflectit cum Acolytho, & deflectens Miſſale, ideſt partem ſuperiorem verſus Celebrantem, eius manum libro impoſitam in parte exteriori oſculatur, redditque librum Acolytho benedictione accepta.

Diaconus verò ad finem orationis recedit abſque reuerentia à ſecundo gradu vbi ſtetit ad orationes, & vadit ad dexteram Celebrantis aſſiſtendo ad librũ, vel ſtando vt ad Introi-

tum,

ſi adſit Presbyter Aſſiſtens, neque manus iunctas tenens; Lecta à Sacerdote Epiſtola, & dicto à Diacono *Deo gratias*, ſi ſedendum ſit, ſedent, & propè finem Epiſtolæ cantatæ à Subdiacono reuertuntur ad idem cornu Altaris, aut ſtant ibidem, quod melius eſt; Diaconus adueniente Subdiacono retrocedit verſus partem poſteriorem Altaris locum cedens Subdiacono manum Celebrantis oſculaturo.

Sacerdos data benedictione Subdiacono poſt oſculum manus vadit ad medium Altaris, ibiq; dicit *Munda cor meum &c.* Subdiaconus autem claudit Miſſale, defertque illud per planum cum genuflexione in medio, ad cornu dexterum Altaris vnà cum puluino niſi alter ſit in eodem cornu, cui imponit librum ibi Celebrantem expectans, qui dicto *Munda &c.* venit ad legendum Euangelium, cui reſpondet Subdiaconus ſignans ſe prout ipſe Celebrans parum eleuans librum dextera in ſuperiori parte, cum opus eſt. Diaconus interim accipit à Ceremoniario librum Miſſalem in eodem cornu Epiſtolæ, & procedens per planum ad mediũ Altaris facta genuflexione, aſcendit ad Altare, & in medio ponit librum iacentem, & iterum genuflectens recedit ad ſiniſtram Celebrantis, & manibus iunctis totum Euangelium audit, & dicit cum Subdiacono *Laus tibi Chriſte*. Si ſedendum ſit, quia cantetur Sequentia eunt ad ſedendum facta reuerentia in medio Altaris, ſed Diaconus ponit librum in Altari ad finem Tractus, vel Gradualis, aut Sequentiæ, & Sacerdos vadit ad cornu Epiſtolæ, vbi imponit thus, & benedicit Diacono.

Lecto Euangelio à Celebrante, Subdiaconus abſque genuflexione diſcedit à latere dextero Altaris, & vadit ante gradus anteriores ſiſtens ſe in plano inter cornu Euangelij, & medium Altaris poſt factam genuflexionem in medio;

Digitized by Google

Diaconus autem recedente paululùm à cornu Euangelij verſus medium Altaris Celebrante, & faciem conuertente ad latus Epiſtolæ aſcendit ſuper ſuppedaneum ,& à dextris Celebrantis ſtans miniſtrat incenſum , quod Celebrans de more imponit in thuribulum . Diaconus autem (reddita nauicula Thuriferario , qui facta inclinatione Celebranti , & genuflexione Altari, vt prius in acceſſu fecerat , per latus Epiſtolæ deſcendit ad credentiam) genuflectit , vel ſuper ſuppedaneum , vel ſuper primum gradum Altaris, dicitque *Munda cor meum* , & illicò ſurgens accipit librum Euangeliorum de Altari ambabus manibus in angulis inferioribus, quem eleuatum tenet ante faciem ſuam, & iterum genuflexus dicit: *Iube Domne benedicere* : Sacerdos dicit: *Dominus ſit in corde tuo &c.* & dicens: *in nomine Patris, & Filij &c.* manus diſiungit, & ſiniſtra pectori admota dextera benedicit Diaconum, qui interim librum deflectit in parte ſuperiori verſus Celebrantem, eiuſque manum in parte exteriori ab eo poſt benedictionem libro ſuperimpoſitam oſculatur reuerentèr, & ſurgit , deſcenditque in planum abſque alia reuerentia .

Dum Sacerdos imponit incenſum , vel maturiùs Ceroferarij accendunt cereos, ſi ſoleant extingui,quod tamen eſt contra *Cerem. lib.* 1. *cap.* 12. vt diximus etiam ſupra *par.* 1. *ſect.* 2. *cap.* 5. & cum Acolytho thuriferario deſcendunt in planum, dum Diaconus benedicitur, & ſiſtunt ſe alter contra cornu Epiſtolæ, alter Euangelij , & vnà cum Diacono , & Subdiacono , & alijs faciunt genuflexionem Altari ; & vadunt ad locum Euangelij; In deſcendendo ita gradiantur, vt ſint in ſuis locis, cum Diaconus peruenerit in planum,& cum eo ſemel tantùm genuflectant ; Ceremoniarius, & Thuriferarius commodiùs ſtant poſt Miniſtros, vtpotè

qui

qui in procedendo debent eſſe priores; poſt genuflexionem procedit Ceremoniarius tùm Thuriferarius, deinde Ceroferarij, tandem Diaconus à ſiniſtris habens Subdiaconum, vt docet *Rubr. gen. par. 2. tit. 6. num.* 5. aut ſi per anguſtum locum tranſeundum ſit, Subdiaconus ante Diaconum, vt docet *Cerem. lib. 2. cap.* 8. Sacerdos interim data benedictione vadit ad cornu Epiſtolæ facta inclinatione Cruci, & ibi ſtãs conuertitur ad Altare quouſque dicat Diaconus *Dominus vobiſcum*, nam tunc vertitur ad Diaconum ſignans ſe cum Diacono ad initium Euangelii, & caput inclinans Altari, eidemque genuflectens cum opus fuerit.

Locus hic erat quærendi, vtrum Subdiaconus cum Diacono, & Ceroferarijs genuflectant ad hanc benedictionem, ſed vide quæ diximus *Par. 1. ſect. 2. c. de ſac. Miniſtris*; modò ſupereſt dicere an ad benedictionem debeant aſſiſtere Ceroferarij contra id quod nos docemus. Ratio dubitandi eſt, quia in *Cerem. Epiſcoporum lib. 2. cap.* 8. docemur Ceroferarios ab Altare ad Epiſcopum cum cæteris procedere, ergo (inferunt aliqui) etiam Sacerdote non Epiſcopo celebrante ſic agendum eſt, cum nulla ratio ſuadeat id fieri Epiſcopo, quà Epiſcopus eſt. Nihilominùs negatiuè adhuc eſt reſpondendum, tum quia Rubrica mentionem facit de luminibus *par. 2. tit. 6. num.* 5. tantùm in procedendo ad locum Euangelij, tum quia in tantum debent Ceroferarij Diacono benedictionem petenti aſtare, in quantum recedentem cum Codice Euangelij ab Altare debent comitari, vt exprimit *Rubrica citata*, Diaconus autem in Miſſa Epiſcopali procedit ab Altare ad ſedem benedictionem accepturus, ergo ab Altare vſque ad ſedem, etiã Ceroferarij procedere debent, & conſequenter genuflectere, dum profundè Canonici, Diaconus, & Subdiaconus inclinantur, tum

quia *Marcellus lib.2.ſect.1.cap.2.* ait, *neque eſſe neceſſariũ, neque ex antiquis ceremoniis Ceroferarios aſsiſtere Diacono ad benedictionem*, ergo ſi non eſt neceſſarium coram Papa, à quo tamen cum petitur benedictio elongatur liber Euangeliorum ab Altari, à fortiori neque erit neceſſarium id facere cum ſimplex Sacerdos celebrat.

Cùm peruenerint ad locum Euãgelii, Subdiaconus venit ante Diaconum, accipitque librum ambabus manibus, & ſupra caput eleuatum tenet, vel ſi legili vtendum ſit, ambabus manibus legile retrò retinet facie item ad Diaconum conuerſa, vel ad dexteram Diaconi ſtans ei miniſtrat, vt alij volunt; Ceroferarii ſtant hinc inde mediũ habentes Subdiaconum facie ad Diaconum conuerſa, Thuriferarius à ſiniſtris, Ceremoniarius à dextris miniſtraturus thuribulum, & ob vertenda folia Miſſalis; ſi autem Subdiaconus aſſiſtit à latere dextero, quod contingit quando cantat Euangelium in ambone ad quẽ per gradus aſcenditur. *Cerem.lib.2.c.8.* Ceremoniarius ſtat poſt Subdiaconum, & is vertit folia, miniſtratque thuribulum Diacono, & ſe ſignat cum eo; Miniſtri contra Altare caput inclinant, & genufleƈtunt exceptis Subdiacono (dummodò ſuſtineat librum, aliter non) et Ceroferariis. Lecto Euangelio Subdiaconus, retrahente ſe paululùm Diacono, librum apertum decenter eleuatum fert ad Celebrantem aſcendens per gradus anteriores Altaris abſque reuerentia aliqua, cui librum offert oſculandum, quique deinde dicit *Per Euangelica &c.* tum librum claudens, & paulùm retrocedens inclinat ſe Sacerdoti, ac deſcendens in planum genufleƈtit cum Diacono, & aliis, qui ita debent metiri greſſus ſuos, vt tunc ante Altaris gradus perueniant quando Subdiaconus in planum deſcenderit, vt omnes ſimul genufleƈtant.

Facta

Facta genuflexione Ceroferarij inclinant ſe Celebranti, & eunt ad deponenda candelabra; Subdiaconus dat librum Ceremoniario, & ſtat à ſiniſtris Diaconi, qui illico accepto thuribulo ſtans in medio in plano thurificat Sacerdotem, & tradit thuribulum Acolytho poſt ſe ſtanti, qui facta genuflexione recedit; Subdiaconus autem ſtat ad ſiniſtram Diaconi dum fit incenſatio, vt poſt Introitum dictum eſt; quid agendum ſi etiam adſit Aſſiſtens, vide *par. 1. ſect. 2. cap. de Aſſiſtente*.

Dubitatum fuit in noſtra Cathedrali an Euangelium cantandum eſſet in plano cappellæ in parte dextera Altaris, & an Diaconus conuertere faciem deberet ad parietem qui eſt ad latus dexterum Altaris, ideſt vno verbo, conuertere deberet brachium dexterum Altari, & ſiniſtrum Populo, quem ritum contra antiquum vſum cantandi Euangelium in ſuppedaneo facie ad Populum conuerſa, ego in Cathedrali noſtra introduxeram in celebratione Diœceſanæ Synodi anno 1679. quemque ob pacem ſeruandam ſuſtuli, cum Clero Cathedralis nimium diſpliceret.

Dico ergò, quòd, vt ipſiſſima ſonant Rubricæ verba *par. 2. tit. 6. num. 5.* Euangelium non eſt cantandum niſi extra gradus Altaris. Verba ſunt hæc: *Vadit cum Subdiacono à ſiniſtris ad locum Euangelij contra Altare verſus populum*. Ergo cum diſcedat à Superiori gradu vbi erat genuflexus, & vadat verſus Populum, non aſcendit ad ſuppedaneum ſed magis elongatur ab Altare, & ſtat in plano: ſic *Craſs. lib. 1. cap. 49. Ceremon. Fr. Min. par. 4. cap. 12. num. 10. Lonner. par. 3. tit. 1.* §. 11. colligitur etiam ex *Piſc. lib. 1. ſect. 7. cap. 5. num. 11.* vbi dicit, Diaconum ſurgere à genuflexione, à ſuperiori gradu, deſcendere in planum vbi genuflectit iterum, deinde procedere ad cantandum Euā-

gelium: ergo ſi deſcendit à Superiori ad infimum gradũ, non debet iterum aſcendere in ſuppedaneum, aliàs non deſcenderet in planum: Idem omnino colligitur ex *Bauld. par.* 3. *cap.* 11. *art.* 5. *num.* 19. idem ex Gauanto colligitur *par.* 2. *tit.* 6. *nnm.* 5. *lit.M.* & *par.* 4. *tit.* 9. *num.* 5. *lit.G.* ſed quòd in plano Cappellæ cantetur, non ſuper gradibus expreſſe docet *Marcellus lib.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 14. & Romæ in omnibus Eccleſijs ſeruatur, & præcipue in Cappella Papali, & vide in *Cerem. lib.* 2. *cap.* 81 Diaconum qui repræſentatur in Cornu Euangelij infra gradus. Præterquam quod cantatur Epiſtola in plano, vt omnes dicunt ergo etiám Euangelium. Vlterior ratio, etiã eſt quia Miniſtri nunquam ſtant in ſuppedaneo Altaris niſi quando ſunt in actuali miniſterio Sacerdotis extra quem caſum ſemper ſtant in gradibus, & in plano, cum ergò Diaconus cantans Euangelium non ſit in actuali miniſterio Sacerdotis, ſed in exercitio ſui officij, hinc eſt quòd debet ſtare in plano.

Vtrum cantandum ſit Euangelium facie ad populum conuerſa, vt docet *Polae. par.* 2. *cap.* 5. aliqua eſt affirmandi ratio, & eſt quòd *Rubrica generalis par.* 2. *tit.* 6. *num.* 5. dicit; Diaconum accepta benedictione à Celebrante diſcedere ab Altare Populum verſus, & cantare Euangelium, ergo videtur Rubrica docere, cantari facie verſa ad Populum; hoc tamen non obſtante, non cantatur hoc modo vt expreſſe docet *Graſ. lib.* 1. *cap.* 39. *Gauant. par.* 2. *tit.* 6. *num.* 5. *lit.M. Marcel. loc. cit.* Præter auctoritatem Doctorum extat *Cerem. Epiſcop. lib.* 2. *cap.* 8. dicens, Subdiaconum renes vertere ad partem Aquilonarem, ideſt dexteram, quæ pro Aquilonari accipitur, vt ibidem expreſsè habetur, ergo Diaconus non debet conuertere faciem ad popu-

Populum, ſed ad eam partem cui vertit renes Subdiaconus, tùm vt praxis communiſſima Eccleſiarum docet; tũ quia aliter non poteſt fieri, ſi quidem Subdiaconus tenet librum ante faciem ſuam apertum, & conuerſum ad Diaconum, vt Diaconus ex eo legat Euangelium, ergo Diaconus conuertere debet faciem ſuam ad faciem Subdiaconi, & conſequenter ad eam partem, cui ipſe Subdiaconus renes vertit, vt patet etiam ex ipſa Rubrica.

Dices: Debet vertere faciem Diaconus ad Aquilonem, ergò non poteſt dari certus locus pro omnibus Eccleſijs, quia aliæ ſunt ita fundatæ, vt altare habeant ad Aquilonem, & ſic contra Altare cantandum eſſet Euangelium; aliæ ad meridiem, & in his Euangelium cantandum eſſet verſus Populum, vt verificetur, quòd ſemper cantetur contra partem Aquilonarem. Reſpondeo, quòd hæc obiectio benè procederet, & vrgeret ſi in Rubricis acciperetur Oriens, & Aquilo prout ab Aſtronomis accipitur, ideſt pro ea parte in qua primò apparet ſol, & in qua eſt polus Arcticus, ſed accipitur Oriens pro ea parte, quæ eſt vltra Altare ideſt retró Crucem, Occidens pro ea, quam reſpicit facies Crucifixi, & conſequenter Aquilonaris partis nomine ea venit, quæ eſt à dextris Altaris, ſicuti pars Aquilonaris, ſiuè polus Arcticus dexter eſt reſpectu Solis orientis; Quòd in Rubricis talis ſit Oriens, & Aquilo colligitur ex Rubrica generali *par. 2. tit. 5. num. 3. & tit. 12. num. 2. & ex Cerem. lib. 2. cap. 8.* Rubrica prior ait: *ſi Altare ſit ad Orientem verſus Populum Celebrans verſa facie ad Populum non vertit humeros ad Altare cum dicturus eſt Dominus vobiſcum &c. ſed oſculato Altari in medio ibi expanſis, & iunctis manibus, vt ſupra ſalutat Populum, & dat benedictionem*: ergo ex hac Rubrica colligimus, eam partem

tem accipi pro Oriente, quæ eſt poſterior Altaris, & quam reſpicit Sacerdos dicens Introitum, Orationes, Canonem &c., quod colligitur ex ly *verſa facie ad Populum non vertit humeros ad Altare &c.* Ceremoniale verò ait *Subdiaconus &c. vertens renes non quidem Altari, ſed verſus ipſam partem dexteram, quæ pro Aquilone figuratur*, ergo pars dextera accipitur pro Aquilonari, & conſequenter pars retrò Altare pro Orientali, ſi quidem Aquilonari ſiniſter eſt Oriens, vt etiam hìc erit, quòd autem Populus in aliquibus Eccleſijs ſtet retro Crucem, & Altare maius, vide *Cerem. lib.1. cap.25.* quòd verò dicatur ea pars Oriens docet *Gauant. par.2. tit.5. num.3. lit.B. & tit.12. in num.2.* & alij.

Sed difficultas erat. Vtrum Diaconus Canonicus teneretur cantare in plano Euangelium in presbyterio vertendo terga ſuis Cõcanonicis, qui fortaſſe eſſent ante Altare à latere Epiſtolæ, dum alijs qui ſunt à latere Euangelij poſt Epiſcopum Subdiaconus, & Ceroferarij renes vertebant.

Fateor tamen, quòd non video cur non obligetur Diaconus Canonicus; Rationes ſunt, quia in Cappella Papali Diaconus Cardinalis cantat Euangelium in plano; vt docuit Marcellus, & etiam noſtris temporibus eſt in viridi obſeruantia, ergo etiàm Diaconus Canonicus id poterit facere immo tenebitur, vt mox videbitur; Tum quia ipſum Ceremoniale loquendo de Canonicis id præcipit, & Rubrica Miſſalis. Sed meliùs, quia.

Præſente, vel cantante ſolemnem Miſſam Epiſcopo, Diaconus, vel debet primò à latere dextero Epiſcopalis throni cantare Euangelium in plano conuertentibus terga Subdiacono, & Ceroferarijs ad Canonicos exiſtentes in

Cap-

Cappella, vel debet ſecundò aſcendere ſuper ſuppedaneū, nam in plano prope gradum infimum Altaris ſtare non poteſt, quin ob anguſtiam loci ipſe Diaconus vertat renes ipſi Epiſcopo ſe conuertenti ad Altare, ſi cantando Euangelium ſtet facie contra Altare, vt docet Craſſus citatus, & vt ſeruatur in Cappella Papali (quod ibi non eſt incongruum, quia cum ſit ampla, & ſpatioſa, & gradus ſolij Pontificalis nimis protentandur, quamuis Diaconus ſtet ante infimum gradum ſolij ad ſiniſtram, & conuerſus ad Altare, non tamèn vertit renes Pontifici ſe conuertenti ad Altare, nec Miniſtri vertunt terga Cruci) ſed ſecundum non conuenit, quia eſt contra Rubricas Miſſalis, & Ceremoniale, ergo primum obſeruari debet.

Neque dicas; ſecundum poſſe ſeruari attenta conſuetudine: etiamſi non ſit conforme Rubricæ, & Ceremoniali, vt noſmetipſi diximus *par. 1. ſect. 1. cap. 3. de Regulis Rituum* Nam Reſpondeo tunc ſeruari poſſe conſuetudines Eccleſiarum quando non ſunt contra vniuerſalem conſuetudinem totius Eccleſiæ, vt loco citato diximus ex Decreto Sac. Rit. Congregationis, cum autem hæc conſuetudo ſit contraria conſuetudini Cappellæ Papalis, & Eccleſiarum Patriarchalium, & eis minorum in Vrbe, ac Eccleſiarum omnium tùm ciuitatum circumſtantium tum ipſius Mantuæ, nempe inſignis Ducalis Collegiatæ S. Barbaræ, & omnium Regularium, & omnium Eccleſiarum Orbis Chriſtiani, & inſuper ſit contra Ceremoniale, & Rubricas & contra reuerentiam debitam ipſi Prælato, vt notat Craſſus citatus, & Cerem. Cleric. Regul. S. Pauli, & non ſit conformis rationi, quia non conuenit Diaconum exercere officium ſuum in ſuppedaneo Altaris, quod eſt locus reſeruatus Sacerdoti, vt ſupra diximus, ob quam cauſam

eſt

eſt conſuetudo inhoneſta, & proinde non ſeruanda, procul dubio non eſt ſeruanda, ſed Euangelium à Diacono etiam Canonico cantandum in plano quamuis Miniſtri terga vertant Canonicis, ſicuti Acolythi funalia pro eleuatione tenentes vertunt eis terga, & Presbyteri in conſecratione ſacrorum oleorum Feria quinta in Cœna Domini faciunt nullo obſtrepente.

CAPVT III.

De Symbolo, & reliquis vſque ad Canonem.

FActa Thurificatione poſt Euangelium Sacerdos vadit ad medium Altaris, & Diaconus ad ſecundum gradum accedit, & Subdiaconus venit ad medium in plano abſq; alia genuflexione; Intonatur *Credo* ſi ſit dicendum; ſiuè *Dominus vobiſcum*, vt inferiùs, & Miniſtri aſcendunt eo modo, prout dictum eſt de hymno Angelico, genuflectũt omnes vnico genu ad verſum, *Et Incarnatus eſt*, ideſt ad finem dicti verſus, & ſe ſignant in fine. Procedunt ad ſedendum cum tempus fuerit, & caput aperiunt, & profundè inclinantur ad ea verba; *Et Incarnatus eſt*, & ad *Ieſum* (& quidem conuerſi ad Altare) ſicut ad *adoratur*; quo caſu non conuertuntur ad Altare, ſed prout ſtant, inclinantur, notandum autem quod caput aperiunt ad *adoratur*, non ad *conglorificatur*, ſicut dum dicitur *Ieſu Chriſte* ad primum tantum verbum ſit reuerentia; Si non ſedent dum eadem cantantur à Choro inclinant caput, & ad verſum *Et incarnatus eſt*, genuflectunt in ſupremo gradu, & quidem per totum verſum; idem ſeruant diebus Natalis Domini, & Annunciationis, vt habet *Cerem. lib. 2. cap.* 8.

ideſt,

ideſt, quòd etſi ſedeant, ſurgunt, & genuflectunt in infimo, non in ſupremo gradu Altaris, vt aliqui voluere; Ratio eſt, quia in tantùm genuflectunt, in ſupremo in quantum debent iterum aſcendere ad Altare, vt in ſimili habemus Feria quinta, & die Corporis Chriſti; omnes tamèn Miniſtri dummodò ſtent genuflectant, vt ij de Choro; ſi verò Miniſtri non ſtent, caput profundè inclinent, quia iam fecerunt genuflexionem cum Celebrante, idemque Symbolum dixerunt, quippè qui & Symbolum, & *Gloria*, *Sanctus*, *&* *Agnus Dei* bini dicere debent, & reſpondere ad Confeſſionem, quæ omnia dicunt ſubmiſſiori voce.

Dicto verſu, *& Incarnatus eſt*, ſurgit Diaconus, & vadit ad credentiam, vbi accipit burſam cum corporali ſibi traditam à Ceremoniario, quàm eleuatam tenens antè oculos non erectam, ſed quaſi iacentem portat ad Altare, vbi corporale explicat, quo facto redit ad Celebrantem, & ſedet, eundo, & redeundo Altari, & Celebranti debitas reuerentias faciet, cui tamen Celebrans non aperit caput, ſed ad ſummum modicum caput inclinat. Si non ſit ſedendum, expleto iam verſu, *& Incarnatus eſt* Diaconus vadit ad credentiam, ex qua portat burſam ad Altare, & extendit corporale recedentibus paululùm Subdiacono, & Celebrante verſus cornu Euangelij, dum ipſe ſtat in medio.

Finito Symbolo (vt etiam ſi non ſit dicendum immediatè finito Euangelio, & facta thurificatione Sacerdotis) vadant Miniſtri vnus poſt alium retrò Celebrantem dum dicitur *Dominus vobiſcum*, tùm Diaconus vadit ad librum monſtrans Offertorium Sacerdoti, & Subdiaconus ad credentiam, vbi accepto velo humerali ope Ceremoniarij calicem manu ſiniſtra nudâ accipit, & parti dexteræ longiori

ei ipſius veli calici ſuperpoſitæ manum imponit, ne aliquid decidat, portatque calicem ad Altare inter cornu Epiſtolæ, & medium, vbi illud relinquit Diacono, qui lecto Offertorio venit ad dexteram Celebrantis. Subdiaconum ſequitur Acolythus cum ampullis, quas deponit ſuper cornu Epiſtolæ; Diaconus patenam diſcooperiens eam tradit Sacerdoti oſculans eius manum, aut ſi calix fuerat in Altari finito Offertorio ad dexteram venit Celebrantis, vbi repoſito calice extra corporale, eum diſcooperit, & tradit patenam, vt ſupra, quo caſu Subdiaconus dum dicitur Offertorium vadit ad credentiam, vbi imponitur ei velum, & reuertitur ad Altare ſequente eum Acolytho cum ampullis, quas deponit, vt ſupra. At ſi ſymbolum non diceretur dicto *Dominus vobiſcum* Subdiaconus vadit ad credentiam, portatque calicem cum burſa, & corporali; Diaconus cedente ei locum Sacerdote extendit vt dictum eſt corporale, deindè dat patenam Sacerdoti in medium ſtanti cum oſculo manus, & priùs patenæ in extremitate &c. & ſi ſint particulæ in pixide, quám poſt Subdiaconum Ceremoniarius ferre debet, pixidem diſcooperit, & dum dicit Sacerdos oblationem *Suſcipe &c.* eleuatam parum eam tenet dextera, quàm iterum cooperit. Tùm Diaconus accipit ſiniſtra calicem à Subdiacono extersum, & ampulla vini de manu Subdiaconi accepta vergit, dextera in calicem, quem parum inclinatum tenet, vinum ad placitum Sacerdotis, tùm Subdiaconus eleuat aquam demonſtrans eam Sacerdoti dicens *Benedicite &c.* de qua benedicta paucas guttulas infundit in calicem, eamque, vel deponit, vel tradit Acolytho, vt de ampulla priori factum fuerat, & ſtat ibidem vſque poſt oblationem calicis; Diaconus exterſo calice, ſi guttæ aliquæ ſint diſ-

con-

continuatæ à vino in fundo ſtante, accipit dextera pedem calicis eumque Sacerdoti cum oſculo, & pedis calicis, & manus tradit, tenet etiam pedem, vel brachium Sacerdotis dum fit oblatio vini, dicens cum Sacerdote *Offerimus tibi Domine &c.* ac cooperit illum depoſitum ſuper Altare parua palla; Dùm autem Sacerdos dicit *In ſpiritu humilitatis* Diaconus dat Subdiacono patenam, quàm ipſe nuda manu tenet verſa ad ſe parte interiori coopertam longiore parte veli, quam Diaconus ſuperinducit patenæ, & vadit abſque reuerentia in planum, vbi facta genuflexione ſtat ſemper, genuflectens tantùm ad eleuationem Sacramenti. Fit poſtea Altaris thurificatio, deindè Sacerdotis, qui poſtmodùm lauat manus miniſterio Acolythorum; quomodò facienda ſit thurificatio habetur in *par. 1. ſect. 3. cap. 3. de thurificatione*. In Miſſis autem Defunctorum in quibus Diaconus non incenſat Chorum, nec Subdiaconus ſuſtinet patenam, miniſtrant linteum ad abſtergendas manus Celebrantis, & ad thurificationem Altaris Subdiaconus miniſtrat eleuans planetam à ſiniſtris, ceterùm ſtat in plano non minùs ac in alijs Miſſis ſolemnibus.

CAPVT IV.

De Canone vſque ad Conſecrationem.

GAuantus hìc vult, prima verba Canonis proferri ſimul cum eleuatione, & demiſſione oculorum, & manuũ, vt nempè non ſit geſtus ſine voce; Quarti è contra hìc vult eleuationem, & demiſſionem dictam præcedere, &

verba

verba tùnc proferri, quando Sacerdos eſt inclinatus. Hos ſequuntur de more Angelus, & Arnaud, vnuſquiſque ſuum Directorem; Ego ex Rubrica in Ordinario Miſſæ poſita, & hæc eſt: *extendens eleuans iungens &c. inclinatus dicit.* & concordante cum generali Rubrica, quæ dicit *eleuat manus, oculiſque eleuatis &c. & manibus iunctis, & ſuper Altare poſitis profundè inclinatus dicit &c.* ſentio verba proferenda eſſe à Sacerdote iam inclinato. Vtraque enim Rubrica dicit *inclinatus*. Quod ſi Rubrica generalis ſatis non explicat alteram, aliæ ſatis explicabunt. Prima *eleuatis oculis, & ſtatim demiſſis tùm profundè inclinatus dicit Munda cor &c.* Secunda, *Manibus iunctis, & ſuper Altare poſitis aliquantulùm inclinatus dicit, Suſcipe Sancta Trinitas &c.* Tertia, *Stans iunctis manibus ante pectus capite inclinato dicit Agnus Dei &c.* Quarta, *Stans iunctis manibus ſuper Altare, & capite inclinato dicit, Placeat &c.* Videſne quomodò ex his colligendum eſt à Sacerdote inclinato verba proferri, non dum inclinatur. At dices in his caſibus non extenduntur manus, nec alius geſtus fit, cui verba non iungantur, vt vult *Gau.* Reſpondeo, quòd hi geſtus non faciunt, quòd verba debeant eodem tempore proferri ex *Cerem. Epiſc. qui cap. 8. lib. 2.* ait *Manibus ſuper Altare poſitis deuotè inclinatus extollit ad Crucem oculos eoſque ſtatim demittit, & incipit*: ergò poſtquàm poſuerit manus ſuper Altare debet verba proferre, vt ipſiſſima verba Ceremonialis ſonant.

In canone præter nomina Pontificum vniuerſalis, & Diœceſani nulla alia adduntur Principum ſiuè Regum ex illa generali regula, *nihil addendum aut detrahendum Miſſali*, vt exprimit Pius V. in Conſtitutione. Neque facit contra hanc regulam *Innoc.* III. *lib.* 3. *cap.* 2. qui in canone habet

bet etiam nomen Regis, quia tempore Innocentij licebat multa facere, quæ poſt reformationem Miſſalis licitè fieri nequeunt. Illius autem Epiſcopi nominatur nomen intrà cuius fines Eccleſia ſita eſt, in qua Sacerdos celebrat, vt Rubrica docet, ergò non Epiſcopi proprij Sacerdotis celebrantis in aliena Diœceſi,neque Primatis,aut Archiepiſcopi ſi Celebrans fuerit vel ipſe, vel locus, in quo eſt, exemptus, ſed Diœceſani; Epiſcopus enim Diœceſanus etiamſi non ſit Superior proprius loci exempti, ſicuti non eſt ſuperior hierarchicus reſpectu Regularium debet tamen etiam ab exemptis nominari ſicuti à Regularibus fit, & docet Rubrica hic; Neque ideò eſt nominandus Primas &c. quia eò quòd locus eximatur ab authoritate Epiſcopi intrà cuius Diœceſim ſitus eſt, non ideò ſubijcitur Primati tanquam Epiſcopo ordinario, ſed ſubiectus ei remanet eo modo, ac priùs erat, niſi immediatè Sanctæ Sedi ſubijceretur.

Infra actionem, quamuis Rubrica exprimat caput inclinandum eſſe ad nomen *Ieſu*, non ideò tamen ſequitur non eſſe idem ſignum reuerentiæ præſtandum nomini *Mariæ*; ne autem bis tàm breuì tempore cogamur facere duplicē inclinationem,ad nomen *Mariæ* caput leuiter deprimatur, ac ſemper magis vſque ad nomen *Ieſu*.

Ad: *hanc igitur oblationem*: palmæ extenduntur ſuper oblata, pollices autem non infrà ſed ſuprà appareant, & quidem compoſiti in formam Crucis vt ex deciſione Rotæ Romanæ alibi faciendum tradidi non ex vi Rubricæ, vt alij docuere.

Dum dicitur verſus: *Quam oblationem*: fiunt quinque Cruces prout in Rubrica. Gauantus vult eas fieri non interruptè idest non vult manum deponi ſupra corporale poſt factas tres.

tres cruces dum dicitur: *Rationabilem acceptabilemque facere digneris*, & deindè alias duas dum dicitur: *vt nobis Corpus &c.* ſed vult dicta verba diſpenſari ſuper tertia,& quarta cruce. Angelus è contrà *par. 4. num. 68.* vult manum reclinari ſuper corporale, ne ſtet ſine motu in aere ſuſpenſa; Ego inter vtrumque ſto, neque abſolutè alteri aſſentior, aut alteri; ſed dico inſpiciendum eſſe quanam celeritate, aut tarditate proferantur hæc verba, & iuxtà illam geſtus eſſe formandos, quia ſi quis lentus ſit poteſt manum reclinare ſuper Altare, vt verba, & geſtus ſibi inuicem copulentur, quòd ſi ſine mora proferantur,& cum aliqua celeritate tunc intrat dictum Gauanti, quod communiter obſeruari contingit, cum nimium nimiumq; gaudeant breuitate moderni.

Antequam manibus hoſtia capiatur, aliqui tempore æſtiuo priùs non ad corporale, ſed ad purificatorium digitos abſtergunt nimio ſudore madentes ne corporale maculent, quod quamuis aliqui damnent, ego id improbare non audeo.

Conſecraturus hoſtiam ponit cubitos ſuper Altare, non totum cubitum, & manum, vt aliqui malè faciunt, qui coguntur profundè etiam inclinari contra id, quod docet Rubrica, ſed cubitum tantùm, ideſt partem exteriorem curuaturæ iungentis brachium lacerto, manu interim, & brachio eleuatis ſuper Altare; Peracta verò conſecratione, vt Sacerdos commodè genuflectat ponit manuum iuncturam ad oram Altaris, itàvt tota hoſtia ſit ſuper Altare, & corporale, nec videri poſſit à Populo; Antequam formam proferat ſanguinis *hic eſt enim &c.* ſupra calicem digitos ſemper abſtergat, quod etiam cum tetigerit hoſtiam ſemper obſeruet, ne fragmenta minutiſſima, quæ

facilé

facilè videri non poſſunt, diſpergantur; dùm autem profert verba, immotus ſtet capite inclinato, & calice paulum eleuato ab Altare, non autem ad ſe conuerſo; ridiculum enim eſt aliquos videre Sacerdotes, qui dextero pede vltrà ſiniſtrum poſito quaſi genuflexionem antè conſecrationem incipiant ore calicis ad ſe conuerſo verba ſonanter, & interruptè intrà calicem penè dicere, & quaſi timeant verbum aliquod deperdi ad vnumquodque verbum vſque ad labia calicis inclinari, mox eleuari, veluti interim ex imis viſceribus ſacra illa verba ſingillatim non niſi magna vi educere poſſint.

In Miſſa ſolemni quando datur Aſſiſtens Presbyter, Diaconus non debet ſtare poſt Celebrantem, vt in Præfatione, ſed paulùm retrò poſt eum à latere dextero. Opponunt, Diaconum incenſari inter Diaconos aſſiſtentes in Miſſa Pontificali; accedere ad dexteram Epiſcopi, vt cum eo dicat *Sanctus*, accedere ad cornu Epiſtolæ, vt capiat patenã de manu Subdiaconi, ergò (inferunt) ſtare poſt Epiſcopum, ergò cum ſit par ratio, quotieſcumque eſt Aſſiſtens, Diaconum ſtare poſt Celebrantem; Hoc tamèn non obſtante, in dicto *Cerem. lib.* 2. *cap.* 8. *& lib.* 1. *cap.* 9. habentur, quòd Diaconus eleuet quotieſcumque opus fuerit manicam dalmaticæ Epiſcopalis, quòd non poteſt commodè fieri, niſi Diaconus ſtet à latere dextero Epiſcopi paulò poſt eum; Rubrica tamèn Miſſalis *par.* 2. *tit.* 7. 11. ſic ait: *Deindè Diaconus accedit ad ſiniſtram Celebrantis ei aſſiſtens dùm dicitur Canon, niſi alius Sacerdos aſſiſtat, quia tunc ſtaret ad dexteram aliquantulum poſt Celebrantem*, ergò non vtique in eo loco vbi ſtat quando dicitur Præfatio. Cereмoniale autem ideò dicit incenſari inter duos Diaconos, & conſequenter omninò poſt Epiſcopum, deindè aſcen-

R dere

dere ad Epiſcopum, vt dicat *Sanctus*, & aſcendere ad cornu Epiſtolæ, vt accipiat patenam, quia in primo caſu dicitur Præfatio, & in alio caſu dicitur *Pater noſter*, quo tempore Diaconus ſtat poſt Celebrantem ſiuè adſit, ſiuè non adſit Presbyter Aſſiſtens.

In Miſſa priuata cereus à latere Epiſtolæ pro eleuatione poſitus ardet vſq;ad Cõmunionẽ ob reuerentiam Sacramenti; in ſolemni verò vſque ad depoſitionem calicis ardent funalia, ratio ſecundi eſt, ne Acolythi intortitia tenentes ardentia remaneant genuflexi vltrà eleuationem, & adorationem Sacramenti, quod non conuenit, vt ſuo loco dictum eſt. In Miſſis autem de tempore, diebus ferialibus, Aduentus, & Quadrageſimæ, Vigiliarumque, quæ ieiunantur, exceptis ijs, de quibus ſatis diximus ſuo loco, in Miſſis quoque Defunctorum intortitia tenentur accenſa vſque ad Communionem incluſiuè, & extra hos caſus ſi facienda ſit Communio etiam tempore lætitię ſemper tenentur accenſa vſquequò peracta fuerit cõmunio *Cer. Ep. lib. 2. cap. 29.* Ratio deſumitur ex *Rubr. gen. par. 1. tit. 7. num. 5.* pro priori, quia nempè pro eo tempore omnes genuflectunt de choro vſque ad *Pax Domini &c.* ergò etiam Acolythi tenentes intortitia; ſed dices cur ad *Pax Domini* ipſi quoque cum Choro non ſurgunt; reſpondet Gauantus, quòd Chorus ſurgit pro pace, quæ non datur niſi ſtantibus, & à ſtantibus *Gau. par. 1. tit. 17. num. 5. lit. V.* Acolythi autem remanent genuflexi vſque ad Communionem, quia modicum illud tempus pro nihilo reputatur. Sed pro Miſſis Defunctorum in quibus pax non datur. Ratio tunc eſt, vt Chorus cantet verſum *Agnus Dei*, quia actu cantantes regulariter ſtare debent *Cer. fr. min. par. 4.* quod etiam colligitur ex *Gau. in Rub. gen. par.*

1. *tit.*

Digitized by Google

1. *tit.* 17. *lit. S. cap.* 11. *num.* 13. & quidem Epiſcopus quando Miſſæ per alium ſolemnitèr celebratæ aſſiſtit, ſurgit, & ad ſedem vadit ideò vt dicat *Agnus Dei* vt expreſsè docet *Cerem. lib.* 2. *cap.* 12. quæ ratio non eſt tamen nimis tuta cum actu cantantes genuflectant in Matutino ad *Venite adoremus, & procedamus &c. Cerem. lib.* 2. *cap.* 6. & alibi. & Chorus genuflexus in Vigilijs cantet *Benedictus qui venit*. Ratio igitur ſit, quod tradit *Innoc.* III. *lib.* 6. *cap.* 4. quod Sacerdos pronuncians *Pax Domini* ſignificat Ieſum, qui poſt Reſurrectionem apparuit Diſcipulis, deditque eis pacem, & per eum verſum intimari gaudium reſurrectionis, ad quod non debemus genuflectere, ſed ſtare, vt tempore Paſchali, & diebus Dominicis, quibus ideò ſtamus, quia gaudium nobis reſurrectionis repræſentant, cum quo omninò ſentit *Durand. lib.* 4. *cap.* 51. *num.* 14. & 18. *S. Anton. in Sum. par.* 3. *tit.* 13. *cap.* 5. ſ 3. intortitia autem non extinguuntur vſque ad factam Communionem, quia nimis proxima eſt Communio, quæ eſt conſummatio, & altera ex duabus potioribus partibus ſacrificij. Quando autem fit Communio Chori, aut Miniſtrorum in Miſſa tenentur luminaria ob Sacramenti reuerentiam, quod debet extra Altare ad gradus portari.

CAPVT V.

De Canone poſt Communionem vſque ad Orationem Dominicam.

Viſum non eſt prætereundum ſub ſilentio omnia huius tituli, quamuis quoad ritus extraordinarios modica ſit difficultas; eſt tamen aliqua, primò de ſignis quæ fiunt

antè Orationem Dominicam, cum hoſtia conſecrata ſuper calicem; ſecundò de ſignis, quæ manu fiunt à Sacerdote ſuper hoſtiam; tertiò de applicatione Sacrificij.

Quinque cruces quæ fiunt cum hoſtia antè Orationem Dominicam omnes fiunt in eadem diſtantia ab Altare; ideſt tres intra labia calicis, duæ verò poſtremæ à labio calicis ad pectus Sacerdotis in eadem altitudine; fiunt autem non erectæ, ſed veluti iacentes, & proſtratæ, vti ſignificant ea verba: *à labio ad labium*: & hoc quoad tres priores: quoad duas verò poſteriores idem iudicium proferendum eſt, quod conijcitur ex ly *ſimilitèr*; quia ſi ſignat non quomodocumque, ſed *ſimilitèr*, ergò eo modo, vt in prioribus, quæ vtique iacentes efformatæ fuere, vt ex Rubrica, & vſu communi. Antiquitùs ab aliquibus tres fiebant extra calicem altiùs, duæ verò intra calicis labia, vt habet *Innoc.* III. *lib.* 4. *cap.* 9. quamuis alio proximo loco dicat duas cruces fieri in latitudine calicis, qui modus nunc temporis ſeruatur. Ab alijs verò prior ducebatur ſupra, ſed omninò extra calicem, altera intra labia, tertia in medio cauitatis ipſius calicis, quarta à labio exteriori verſus pectus Sacerdotis proſtrata, quinta à labio calicis ad eius pedem omninò erecta *Durand. lib.* 4. *cap.* 46. *num.* 18. & habent peculiare myſterium, quem modum etiam *Craſſus* ſequitur *lib.* 2. *cap.* 4. quamuis cum aliqua differentia, quia vult duas priores eſſe extra calicem, tertiam intra labia.

Dum Sacerdos dicit; *Nobis quoque peccatoribus*: tribus digitis, ideſt eorum ſummitate non cum indice, & pollice pectus percutit, quod *Durand. ibidem num.* 3. non credit vacare myſterio; hoc tamen ſeruatur quotieſcumque index, & pollex ſunt poſt conſecrationem coniuncti, nempè ob reuerentiam Sacramenti, qui duobus illis digitis attrectatur.

Cur

Cur caput deprimitur in concluſione orationis pro defunctis? Gauantus hìc putat eſſe,quia ſtatim dicturus eſt *Nobis quoque peccatoribus*, quæ verba ſunt maximæ humilitatis, ait ipſe; Quarti autem ex Cornelio à Lapide vult Sacerdotem eo geſtu Chriſtum ſignificare morientem, eiuſque deſcenſum ad inferos pro mortuis liberandis, idemque præſtare Sacerdotem eo geſtu, ac ſi diceret poſt ly *indulgeas deprecamur*: ſi diceret inquam; *Per merita Paſſionis Domini Ieſu*.

In Miſſa ſolemni accedit Diaconus prout in Rubrica, & calicem diſcooperit, tenet autem calicem duobus digitis,vt docet *Cerem. lib.* 1. *cap.* 9. dum Sacerdos facit cruces, vt calix non proſternatur; ſicuti etiam fit in incenſatione ad oblata, quod olim non modò fiebat, verùm etiam Diaconus cum Sacerdote calicem eleuabat ab Altari *Innoc. lib.* 4. *cap.* 10. quod non fit ſine myſterio vt notat *Durand. lib.* 4. *cap.* 46. *num.* 12.

Circa ſigna, quæ manu fiunt à Sacerdote ſuper oblata iam conſecrata, quærunt aliqui cur adhuc benedicantur, cum iam ex vi verborum ità ſanctificata ſint,vt ampliùs ſanctificari non poſſint; reſpondet ad hæc *Innoc. lib.* 5. *cap.* 2. ſigna,crucis quę eo tempore producuntur ſuper hoſtiam, eſſe ſigna non ſanctificantia, ſed ſignificantia aliquorum myſteriorum paſſionis, & mortis Chriſti, quę *Durand. lib.* 4. *cap.* 43. *num.* 6. declarat. Huic conſonat etiam præter alios *Sanctus Thomas quæſt.* 82. *art.* 5. quarto loco *S. Anton. in Sum. par.* 3. *tit.* 13. *cap.* 5. 53. qui huiuſmodi ſignis, vti, ait, Sacerdotem ad commemorandum paſſionis Chriſti modum, & crucis virtutem.

Alij ex recentioribus Theologis ſigna crucis, etſi fiant ad benedicendam hoſtiam, non eſſe tamen inconuenientia ſu-

Digitized by Google

ſtinent, quia quamuis Chriſtus in hoſtia benedicatur ea tamen benedictio procedit non à Sacerdote, ſed à Chriſto, qui eſt principalis offerens in Miſſa, vt ait *S. Thom. quæſt.* 82. *art.* 7. *ad* 3. *Bellar. lib.* 2. *de Miſ. cap.* 4. *Conc. Later. in cap. firmiter de Sum. Trinit.* *Conc. Trid. ſeſſ.* 22. *cap.* 1. *&* 2. & alij; dicitur autem principalis offerens Chriſtus, quatenus Sacerdos nomine Chriſti Domini offert *S. Th. loc. cit.* quæ reſponſio valdè conſona eſt rationi.

In *Memento* poſt conſecrationem fit mentio Defunctorum pro quibus vult Sacerdos orare; At Celebrans pro vno defuncto poteſt ne Sacrificium applicare pro eo in hoc *memento*? Affirmant alij, alij contra negant; Huius quæſtionis ſolutio pendet ab ea ſolemni; Vtrum in ſola conſecratione totum ſacrificium perficiatur, vel etiam fractio hoſtiæ, & communio ſint de eſſentia huius ſacrificij. Volunt aliqui Sacrificium in ſola conſecratione conſiſtere, quod magis probabile exiſtimat *S. Thom. quæſt.* 79. *art.* 5. *& quæſt.* 82. *art.* 4. ad primum, vel quia Chriſtus ponitur ſub ſpeciebus corruptibilibus ſecundum eum eſſe reproductum, in quo ſtatu proximus eſt deſtructioni, itidèm ſecundum illud eſſe reproductum, quod ſufficere dicunt ad hoc, vt hoſtia propriè dicatur mactata, inter quos eſt *Tambur. lib.* 2. *cap.* 1. §. 1. *num.* 1. Vel quia ex vi verborum ſub ſpeciebus panis ſolùm ponatur Corpus, & ſub ſpeciebus vini ſolus ponatur ſanguis, in quo ſtatu ex vi verborum, nec ſanguis animatur, cum ex vi verborum non ſit cum corpore, nec corpus animatum eſſe poteſt, prout ex vi verborum ſine ſanguine exiſtens, & ſic formaliter quamuis non realiter victima ponatur in Altari mactata; Vel quia conſecratio realem mutationem panis, & vini faciat in Corpus, & Sanguinem; Vel quia conſecratio ſit miſti-

miſtica mactatio Corporis, & Sanguinis Chriſti.

Volunt alij hoſtiæ fractionem eſſe partem Sacrificij, quia Chriſtus panem fregit in vltima Cæna *Canus de locis Theo. lib.* 12. *cap.* 13. *ad* 4. *argumentum. Valent. tom.* 4. *diſp.* 6. *quæſt.* & *punct.* 1. ſed eſt contra communem Doctorum ſententiam, & præcipuè *Sancti Thom. quæſt.* 83. *art.* 6. *ad* 6.

Alij ſentiunt etiam communionem eſſe partem Sacrificij, quia tùnc hoſtia ponitur in ſtatu proximo deſtructioni, & quia eſt perfecta immutatio, & conſumptio victimæ; *Albert. in* 4. *diſt.* 13. *Bellar. lib.* 1. *cap.* 27.

Prioris ſententiæ Doctores negant applicari poſſe Sacrificium in poſteriori *Memento*; ratio eſt, quia applicare Sacrificium nil aliud eſt, quàm offerre actionem ſacrificandi in obſequium Dei, ſed in hac ſententia actio ſacrificandi tranſijt, quia in conſecratione conſiſtit, & fructus Sacrificij non poteſt ſtare in ſuſpenſo, ergò in ſecundo *Memento* non poteſt fieri applicatio, ità *Tamb. libr.* 2. *cap.* 2. §. 10. *num.* 6.

Poſteriores ſententiæ docent poſſe, quam *Tambur.* hîc improbabilem non exiſtimat: Tu verò bone Sacerdos, qui vel ex Iuſtitia, vel ex Charitate Sacrificium hoc, vel pro viuente, vel pro defuncto offers, cupiſque illis meliori quam potes modo prodeſſe, tutiorem amplectere partem, quam ſi ex Iuſtitia celebras ſequi teneris, quia agitur de damno tertij, nec debes applicationem incertam reddere pro certo ſtipendio; quod ſi ex charitate etiam moueris iuxta tutiorem ſententiam, vt prudenter agas, opitulare

Digitized by Google

CAPVT VI.

De Communione vſque ad finem Miſsæ.

CIrca priuatam Miſſam Rubrica ita dilucida eſt, vt explicatione non egeat; circà ſolemnem aliqua notanda ſunt.

Dùm Miniſtri dicunt *Agnus Dei* cum Celebrante, ſiniſtram pectori admouent, dùm pectus percutiunt, non ponunt ſuper Altare vt Celebrans, quod ſemper obſeruare debent.

Data pace per Subdiaconum Choro venit ad Altare, & facta in plano genuflexione dat pacem Ceremoniario, & aſcendit ad dexteram Celebrantis, vbi iterùm genuflectit, & ſtat ibidem manibus iunctis dum dicit *Domine non ſum dignus*, & dum communicatur Sacerdos, deindè miniſtrat Sacerdoti; quod ſi longiùs abſit Chorus, & Subdiaconus, ſumptà Sacra Euchariſtia ſub ſpeciebus panis, nondum venerit, Diaconus relinquit librum, & accedit ad dexteram Sacerdotis, eique miniſtrat; meliùs enim videtur, quam quod ſuppleat Acolytus; Tùm quia proprium munus Diaconi eſt inſeruire Celebranti, tùm quia quandò hæc duo concurrunt, nempè aſſiſtere libro, & miniſtrare Sacerdoti, miniſterium circà Perſonam præualet aſſiſtentiæ libri, vt patet ad Offertorium, & dùm fit conſecratio &c.

Acolythus facta à Celebrante priori Communione, Corporis nempè, fert ad Altare peluiculam cum hamulis, quam deponit in cornu Epiſtolæ, tùm genuflectit, eaſque porrigit ſtans in eodem latere, vel Diacono, vel Subdiacono,

Digitized by Google

ei videlicet, qui Sacerdoti miniſtrat; Alter itèm Acolythus, aut idem reportatis ad credentiam ampullis redit ad latus Euangelij portans paruum velum calicis ſumptum de credentia ambabus manibus ſuppoſitis. Subdiaconus autem facta purificatione vadit ad cornu Euangelij, & Diaconus librum portans ad cornu Epiſtolæ, hic per gradus, ille per planum incedens, eodemque tempore genuflectens poſt Celebrantem; Ille aptat calicem, quem ad credentiam reportat ſolus, hic monſtrat antiphonam *Communionem* Celebranti, qua lecta deindè vadit retrò poſt eum in medio dùm dicturus eſt *Dominus vobiſcum*, cętera prout in Rubrica; Cùm Diaconus dicturus eſt *Ite Miſſa eſt* docet Gauantus, vt priùs genuflectat *par.* 2 *tit.* 11. *num.* 3. *lit. R.* ſed non eſt vis, quia nec Celebrans cum conuertitur ad populum facit reuerentiam, nec Ceremoniale docet, quod Diaconus inclinetur Cruci, vt ipſe dicit. Ad benedictionem genuflectunt Diaconus, & Subdiaconus in ſecundo gradu, & pingunt ſibi ſignum crucis, vt conſuetudo declarauit, niſi ſint Canonici; qui neque ad benedictionem Epiſcopi genuflectunt; Cętera vide vbi de Miniſtris.

Placet modò quærere pro Miſſis, tùm priuatis, tùm ſolemnibus, quando non vtimur credentia, quomodò calix aptandus ſit in Altari.

Quo pacto in principio Miſſæ vſque ad offertorium, & ab offertorio vſque ad communionem incluſiuè aptandus ſit, ità Rubrica dilucidè docet, vt nemo dubitare poſsit. Aliqua fuerat iam dubitatio à communione vſque ad finem Miſſæ, à qua Gauantus authoritate, & ratione, paucis, vt par eſt, ſe expediuit. Nunc aliqui recentiores contrà eundem inſurgentes, eumque acerrimè impugnantes magis ambi-

ambiguam fecere. Modici quidem momenti res eſt, ſed celebris nunc facta videtur contentione Authorum, hinc indè rationibus, authoritatibuſque decertantium. Siſte amabo te lector humaniſſimè, & æqua lance vtrorumque rationes perpendēdo de veritate quæſtionis cognoſcamus.

Vult Gauantus *par. 2. tit. 10. in num. 5.* Vt in principio Miſſæ, & *par. 2. tit. 16. num. 11.* calicem cooperiendum eſſe à parte anteriori velo demiſſo, vt in principio Miſſæ, quod confirmat authoritate Innocentij Tertij, & ait Gauantus; *Velum amouetur à calice, vt calix videatur à Populo, quia tunc manifeſtè in Miſſa paſſio Chriſti repræſentatur; Vndè etiam finita eiuſdem repræſentatione, quæ accidit circà communionem, velo rursùs velatur, ne videatur vt priùs, ſed occultetur.* Gauantum ſequitur. *Bauldr. par. 3. cap. 7. tit. 10. nota 6.*

Angelus contrà *par. 2. cap. 15.* poſt Quartum aſſerit, calicem non cooperiri, ſed reflecti velum ſuper burſam, & primò, quia dicit nullum eſſe myſterium, quale eſt in priori Miſſæ parte. Verùm id à Gauanto negatur, nec Quarti, aut Angelus probat. Alia ratio Angeli eſt, quia cum ea pars Miſſæ, quæ eſt à confeſſione ad offertorium ſit Miſſa Cathecumenorum, æquum erat vt calix, Chriſti repræſentans paſſionem abſconderetur Neophitis, qui adhuc digni non ſunt de potioribus Fidei ſacramentis communicare; at cum poſt communionem non adſint niſi Fideles, non eſt neceſſe calicem velari. Sic ille; at Gauantus dicit velari non Neophitis, ſed populo; & ratio cur etiam Fidelibus abſcondatur eſt, quia antè offertorium manifeſtè adhùc non celebratur paſſio Redemptoris, ac propterea cuicumque abſconditur. Præterquàmquòd, ſi id fieret in gratiam Cathecumenorum, procul dubio vbi

Cathe-

Cathecumeni non eſſent, id fieri non deberet, & tamèn quamuis regulariter hoc tempore, quo reformatæ ſunt rubricæ Miſſalis, in nullis, vel ſaltèm in paucis Eccleſijs inſtruantur Cathecumeni; nihilominùs Eccleſia vbicumque præcipit calicem vſque ad communionem velari, hæc ergò ratio nulla eſt.

Confirmat; calicis nullum eſſe vſum poſt communionem, ergo ſuperfluum eſſe illum velare, cum faciliùs Sacerdos illum in fine Miſſæ ſit accepturus, ſi velum reflexum fuerit. At non meliùs arguitur ſic? Poſt Communionem nullus eſt vſus calicis, ergò tunc cooperiendus eſt; quis enim dixerit rem aliquã nõ velari quando adhibenda eſt? Sanè tunc reponimus, & cooperimus; quando illà vtendum non eſt: tunc verò diſcooperimus, cum ea vti volumus, & ſignantèr calicem tunc cooperimus, quandò vti eo nolumus, vt initio Miſſæ: tunc diſcooperimus cum vti volumus, vt ad Offertorium vſque ad Communionem; corruit ergò etiam hęc ratio; ideò plicari velum, quia Sacerdos calice non debet vti, & recurrit ratio Gauanti intantùm velari, in quantùm, vel non agitur manifeſtè adhùc; vel iam peracta eſt paſſio Chriſti. Quòd autem faciliùs Sacerdos accipiat calicem in fine Miſſæ, ſi velùm reflexum ſit; quis non ſentit rationis inefficaciam? numquid qui antè verſum communionem potuit, non poterit etiam eadem facilitate lecto Euangelio velùm plicare?

Obijcit Gauanto, Rubricam, quæ iubet aptari calicem, vt in principio Miſſæ; per ly *vt in principio Miſſæ* non docere niſi locum, non autem, & cętera quæ conſequuntur. Verùm Gauantus docuit ly, *vt in principio* cadere etiam ſuper velationem calicis, & quidem id temere non docet, habet enim authoritatem Innocentij ſuperiùs allatam. Ratio

tio verò, qua interpretantur Quarti, & Angelus oppoſito modo eam clauſulam, nimis frigida videtur.

Inſtat in *Rubrica gen. rit. ſeruand. in Celebratione &c. tit. 1. num.* 1. non reperiri, velum reflectendum eſſe, ſed tantùm accipi calicem, ergò ſupponit velum iam reuolutum eſſe, nam aliàs Rubrica dixiſſet *reuoluto velo*, vel quid ſimile. Reſpondeo tamèn, quòd ſicuti *Rubrica gen. tit.* 1. *num.* 1. nihil memorat de reflexione veli in Sacriſtia, & tamèn velum reflectitur, vt ipſe vult; cur non etiam dici poteſt idem in fine Miſſæ?

Vrget; *Rubricam tit.* 1. *num.* 1. intelligi ab omnibus, vt ſuperpoſita burſa velum reflectatur, ergò, quotieſcumque burſa ſuperponitur, velum eſſe reflectendum. Verùm falſa eſt illatio; in priori enim caſu Sacerdos aptat calicem in Sacriſtia, à qua illum debet breui aſportare, & in quà nullum habet myſterium, & ſic poteſt reflecti, quia aptatur, vt feratur ad Altare, non vt ibi ſtet; in Altari autem, in quo myſterium habet, & ſuper quo debet expoſitus eſſe Populo quoadusque Miſſa finiatur cooperiri debet, ne videatur ob rationem illam ſæpiùs repetitam.

Præterquàmquòd ſi calix non eſſet velandus omninò, cur nam eſſet velandus à parte poſteriori ſecundum quam Populo non apparet. Certè ab Offertorio ad Communionem velatur, quia non debet videri ab aliqua parte.

Vlteriùs in Miſſa ſolemni Subdiaconus facta Communione velat calicem, cui ſuperponit burſam, & reflectit velum quòd iterùm extendit cooperiens totum calicem iam collocatum in credentia, vt docet *Bauld. par.* 3. *cap.* 2. *art.* 9. *Gauant. Piſcar. lib.* 1. *ſect.* 7. *cap.* 1. *num.* 15. *& lib.* 2. *ſect.* 7. *cap.* 7. *num.* 11. *Cerem. Rom. fr. min. par.* 2. *cap.* 8. *num.* 11. ergò à fortiori calix velandus eſt in Altari, cum in eo inſu-

Digitized by Google

inſuper vel habeat myſterium, vt docet Gauantus, vel ſaltem faciliùs videri ab omnibus poſſit.

Nec dicas *Cerem. Epiſc. libr.* 2. *cap.* 8. & *lib.* 1. *cap.* 10. & 12. & *Craſ. lib.* 1. *cap.* 29. docere, quòd calix aptetur in credentia abſque velo, ergò velo non poſſe cooperiri, cum velum in credentia non ſit. Reſpondeo enim ab authoribus modò citatis interpretari Ceremoniale, quòd nempè velum ponatur in credentia plicatum, quod per aliquem Acolythum portatur ad latus Euangelij Altaris poſt communionem, & quidem non abſque fundamento, vt ex lectione verborum Rubricæ patebit. Verba autem Rubricæ ſunt *par.* 2. *tit.* 11. *num.* 3. *Subdiaconus verò vadit ad cornu Euangelij, vbi calicem mundat, aptat cum purificatorio, patena, & palla cooperit, plicat corporale reponit in burſam, & illam ſuper calicem coopertum velo ponit, quem collocat in Altari, vel in credentia*: ergò calix debet eſſe coopertus velo, vt ait Rubrica: ergò etiam ſenſui Rubricæ magis approximat ſententia Gauanti, qui vult calicem vndequaque coopertum.

Dices cum Angelo; Nunquam Rubrica docet velum ſuperinduci burſæ corporalium, & tamèn communiter ab omnibus id præſtatur, quòd docent etiam Authores, quandò à Sacriſtia ad Altare vadit Sacerdos: ergò quamuis Rubrica hìc non doceat velum eſſe plicandum à parte anterioris, id tamèn non eſſe omittendum.

Reſpondeo, quòd verè Rubrica nullibi docet velum eſſe reflectendum á parte anteriori, cum immò antiquis temporibus calix inuolutus velo, quòd aer dicebatur, portaretur ad Altare, vt poſt *Amalar* docet *Gauant. par.* 2. *tit.* 1. *in num.* 1. *lit. N.* ſed velatur calix, vt faciliùs accipiatur manibus, & ne velum attrectatum commaculetur, quòd tradunt omnes Authores.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO IV.

CAPVT I.

De Offertorio.

ANTIQVISSIMA fuit in Eccleſijs conſuetudo, quod in Miſſis ſolemnibus; antequam fieret panis, & vini oblatio, dicto nempè à Sacerdote Offertorio, dùm idem Offertorium in Choro cantaretur; munera populorum, quæ oblationes vulgato nomine dicuntur, à Sacerdote reciperentur; vndè & Offertorium dictum eſt, eo quia dùm Populi offerebant cantabatur *Innoc.* III. *lib.* 2. *cap.* 53. *Suarez tom.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 83. *ſect.* 1. *Quart. par.* 2. *tit.* 7. *ſect.* 3. *dub.* 1. In aliquibus tamèn Eccleſijs poſt concionem id immediatè fiebat, vt notat Durandus mox citandus.

Varij Doctores varios faciunt Pontifices authores harum oblationum; alij enim Adriano id tribuunt, alij Gregorium, alij Cęleſtinum, hanc præcepiſſe ceremoniam volunt *Suarez hìc*; conſtat verò nobis Fabianum Pontificem conſtituiſſe, vt ſingulis Dominicis diebus fieret, & Gregorium Septimum in Synodo Romana; vt in ſingulis Miſſis ſolemnibus aliquod offerretur; *Suar. & Frà Angelo* Conti *dell' Oblatione* 3. *parte della Meſſa cap.* 4.

Materies quæ offerri poteſt à Durando hìc deſcribitur; Aurum ſcilicèt, aut argentum, ſiué aliquid de ſubſtantia offerentis, pro auro, & argento ſumitur omne genus pecuniarum, quæ in metallis pretioſioribus deſignantur. Inter

cæte-

Digitized by Google

cętera, quæ offerri poterunt ab aſtantibus eſt panis azimus, vulgò *hoſtiæ*, & vinum, candelæ, & intortitia cerea, calices, patenæ, candelabra, thura, tobaleæ, lintea, thuribula, acerræ, cæteraque omnia, quæ adhiberi ſolent in Altaris ornatu, & Eccleſiæ; offerri poſſunt etiam quæcumque alia, quæ ad ſuſtentationem Miniſtrorum ſunt opportuna, ſed iuxtà varias locorum conſuetudines agendum eſt. Prælati cum conſecrantur duo barilia vini duoſque panes deauratos offerũt cum intortitijs; Clerici cereos *Pontif.* Rom. *de ordinat. Epiſcopi, & Abbatis. Marc. lib.* 1. *ſect.* 2. *cap.* 1. & 2. Imperatores, Reges, & Duces aurum, *Marc. lib.* 1. *ſect.* 5. *cap.* 5. & 6. & *ſect.* 7. *cap.* 2. In die Canonizationis Sanctorum par turturum in caniſtello deaurato, par columbarum in caniſtello deargentato, diuerſæ auiculæ in alio caniſtello diuerſorum colorum; duo panes, duo vaſa vini, cerei, & mappulæ.

Regulariter in Miſſis ſolemnibus Populus tantummodò oblationem facit, Mares primò, deindè fœminæ; Clerici, & Monachi offerre non ſolent niſi in ſolemnibus diebus, in Miſſis Defunctorum, & in noua celebratione Sacerdotis; tùm quia de oblationibus ipſi viuere debent, tùm quia ipſimet, & ſua omnia Deo ſunt oblata. *Durand. lib.* 4. *cap.* 30. *num.* 36.

Modum oblationes huiuſmodi faciendi docet *Cerem. Ambroſ. lib.* 1. *cap. de Veglonibus*, quòd ſcilicèt celebrante Archiepiſcopo Veglones, quorum munus eſt, nomine Populi Mediolanenſis oblationes offerre, accedunt ad ſolium Pontificale, vbi genuflexi offerunt; Fœminæ verò, quia non ingrediuntur presbyterium, ad ingreſſum chori Senatorij dant oblationem Archiepiſcopo. Celebrante verò Canonico deſcendit Celebrans cum Miniſtris ab Altare

adi

ad aditum presbyterij præcedentibus duobus Acolythis cum vaſis argenteis, & mappula, cùm peruenerit ad ingreſſum presbyterij extenditur mappula, vt dicit etiam Ord. Rom. ſuper gremium Canonici per Diaconum, & Subdiaconum, qui eam hinc indè tenent, & fit oblatio panis, qui in vnum ſcyphum reponitur, & vini, quod in alium primò à maribus, tùm à fœminis; Panis accipitur à Celebrante, & traditur Subdiacono, qui eum immittit in ſcyphum. Diaconus ex ſe accipit vinum, oſculantur autem offerentes manus Celebrantis, ſi Epiſcopus ſit, in quo ſenſu loquitur Durandus, ſi non ſit Epiſcopus, vel manipulum, vel Crucem, vel piam aliquam imaginem, quàm manu geſtat, non verò patenam vt ſtatuit Sanctus Carolus in *Conc. Prou. 3. de iJs quæ pertinent ad ſacrif. Miſſæ, & Pius V. ad Archiep. Tarrac.* 8. *Ianuarij* 1571.

Stare autem non ſedere debet Sacerdos, & capite aperto ad Altare, vel ad aditum presbyterij, quia quod in Pontificali traditur Epiſcopum ſedere cum mitra, id pertinet tantùm ad Epiſcopum, & quidem ſtando, & capite aperto Sacerdos ſimplex diſtribuit etiam palmas, cineres, candelas &c. vt ſuo loco, ergò etiam ſtando accipit oblationes.

CAPVT II.

De Communione Miniſtrorum ſiué Laicorum in Miſſa.

PLures vidi Sacerdotes in priuatis Miſſis ſacram hoſtiam diſtribuentes, neminem tamèn vidi, qui priùs, quàm particulam ex corporali in patenam poneret, genuflexus eam

cam adoraret, quamuis clarè in Rubrica generali id habeatur; imò quemdam corrigendo, & , vt officij mei eſt, illum monendo, vt priùs genuflecteret, quàm Sacramentum attrectaret; tunc quidem quieuit dictis, ſed impatiens correctionis (erat enim ex ijs, qui nulli cedere ingenio, ingenio cum omnibus longo vſu decertare aſsuetus) redijt ad me ſequenti die, & excogitatis rationibus probare nitebatur non eſſe genuflectendum. Primò, quia hæc Rubrica dicit genuflectendum eſſe priuſquam Sacramentum ponatur in pixide, non in patena; Secundò, quia poſt Orationem Dominicam tangitur hoſtia ſacra dùm adducitur ſuper patenam, & tamèn nulla fit genuflexio. At priorem falſam oſtendi; Rubrica enim dicit genuflectendum priuſquam ponatur in pixide, aut ſi pauci communicandi ſint ſuper patenam, ex quo patet idem præſtandum, tùm quando ponitur in pixide, tùm quando ponitur ſuper patenam; quià illa particula *Vel* diſtinguit pixidem à patena, vt monſtret eorum alterutro Sacerdotem vti poſſe, non diſtinguit vas à diſco, vt doceat genuflexionem faciendam ſi ponantur particulæ in vaſe, non autem quando ponantur in diſco; quòd ſi etiam dubia eſſet rubrica, quæ tamèn certa eſt, vtendum eſſet ea regula, quòd nempè in dubio fauere debeamus reuerentiæ Sacramenti, tùm etiam quia motiuum genuflectendi non eſt, quia Sacramentum ponatur in pixide, ſed quia tangitur, & attrectatur; ſed tangitur etiam quando ponitur ſuper patenam, ergò genuflectendum eſt, quia idem manet motiuum.

Neque valet, omittendam eſſe genuflexionem in hoc caſu, quia etiam omittitur à Sacerdote poſt Orationem Dominicam ponente hoſtiam ſuper patenam; non valet, inquam, fortaſſe, quia patenam habet in dextera, & ſic commodè

Digitized by Google

non genufleāteret, cum debeat ſuſtentari ad altaré tum quia tunc orat. quo caſu interrumpenda eſſet oratio *Libera* dicunt aliqui, ſed non eſt bona ratio quia ante eleuationem calicis in ipſa genufiexione, non ante, nec poſt; Sacerdos orat; ſed potiſſima ratio in hoc eſt, quia rubrica id non exprimit; in noſtro autem caſu, & expreſſe docet rubrica, & nihil manu tenet, deponit enim dextera calicem, ſiniſtra patenam, vt patet, & conſequenter poteſt genufleātere. Vide in ſimili caſu in feria ſexta Paraſceues, Sacerdos poſt Orationem Dominicam, & *Libera* genufieātit, tum capit patenam, & eam ſupponit Sacramento ex quo cognoſci poteſt ideò genufleātere, quia nihil manu tenet, & tangit Sacramentum, quamuis vt dixi ratio validior ſit, quia rubrica exprimit id fieri in illo caſu, non autem in iſto.

Si Celebrans conſecrauerit particulas in ipſa pixide exiſtentes, eadem genuflexio eſt facienda, priuſquam pixis in medium Altaris adducatur (nam dicto offertorio, & facta oblatione ponitur pixis retrò poſt calicem ante Crucem, tum quia id notat *Cerem. lib. 2. cap. 29.* & ante communionem reducitur in medium Altaris, quod monet etiam *Gauantus par. 2. tit. 7. num. 9. lit. N. & tit. 10. num. 9. lit. G.*) tum quia Diaconus in Miſſa ſolemni nunquam diſcooperit calicem poſt conſecrationem quin priùs, & poſtea genufleātat, & tamen vas non attrectat, quamuis pallam, eius operculum, tangat, ergo magis genufleātendum eſt antequam tangatur pixis *Bauldrius* huic ſentẽtiæ cõſonat *par. 3. ritus ſeruand. in celeb. &c. tit. 11. rub. num. 5.* dicit enim quod Celebrans ſi voluerit remouere calicem, vt melius colligat fragmenta id peragat quando eum diſcooperit, ne bis cogatur genufleātere, quod illi faciendum eſſet; ſic

ille:

ille: ergo à pari volens mouere pixidem genuflectit prius cum ſit patratio.

Sacerdos Communionem facturus in Miſſa non debet expectare, vt aliquibus placet finem confeſſionis conuerſus ad Sacramentum, ſed poſitis particulis ſuper patenam, vel aperta pixide poſito priùs retro Calice, vel ſi Communio fiat finita Miſſa, calice collocato extra medium Altaris à latere Euangelij; genuflectit, & conuertitur ad eos, quibus hoſtiam eſt diſtributurus, & tunc non priùs dicitur confeſſio, vt habet *Cerem. Epiſc. lib. 2. cap. 29. Acta med. Eccleſiæ in inſtruct: adminiſt. Euch. Bauld. par. 3. cap.* 11. *art.* 10. *num.* 4.

Ego tamen hunc modum tantum pro Miſſa ſolemni ſub qua circumſtantia præſcribitur in *Cerem. loc. cit.* accipio; pro Miſſis autem priuatis conſuetudinem amplector conformem *Rub. Miſ. & Rit. in Ord. commun.* ideſt quòd Sacerdos ſe conuertat ad Populum finita confeſſione, ſicuti Sacerdos faciens confeſſionem cum Miniſtris paratis ſe ad eos conuertit dicturus *vobis Fratres* &c. quod non facit celebrando cum Miniſtro non parato, vt docet Gauantus, & nota quod Cerem. docet Epiſcopum conuertere ſe ad Diaconum facientem confeſſionem non ad Populum.

Si pixis extrahenda ſit è ciborio, vel tabernaculo id peragat Diaconus in Miſſa ſolemni genuflexis interim omnibus circa Altare, Sacerdote quidem à latere Euangelij ſupra omnes gradus, & Subdiacono in vltimo gradu in latere Epiſtolæ; Miniſtri dum fit communio Populi medium habent Celebrantem; dum fit Communio Cleri Diaconus ablutionem miniſtrat, & Subdiaconus ſtat à ſiniſtris Celebrantis, in Miſſa tamen, præcipuè ſi non multi ſint com-

municandi magis laudabile eſſet particulas conſecrari ab eodem Celebrante,quam deſumere eas præcedenter conſecratas ex pixide in ciborio exiſtente;ea enim eſſet verior participatio eiuſdem ſacrificij, quia etiamſi quorumcumque Sacerdotum idem ſit ſacrificium reſpectu eiuſdem Chriſti, non eſt tamen idem reſpectu ſpecierum ſacramentalium.

In communione facienda Sacerdos indice, & pollice capit particulam, tribus alijs digitis clauſis, & inflexis, vt notat *Bauld. par.* 3. *cap.* 8. *num.* 7. *Piſcara* vult *lib.* 2. *ſect.* 14. *cap.* 7. *num.* 4. Subdiaconum patenam tenere ſub mento communicantium, *Gauant.* è contra negat *par.* 2. *tit.* 10. *num.* 9. *lit. C.* qui dicit hunc vſum eſſe tantum pro Epiſcopis ſolemniter Communionem diſtribuentibus; Nec diſplicet opinio Gauanti, quia in tantum datur patena ſub mento communionem percipientium ab Epiſcopo, in quantum pixis non tenetur ab Epiſcopo, nec ponitur ſub mento communicantium, ſed eam eleuatam tenet Diaconus ante pectus ſuum ambabus manibus, & proindè facilè diſpergerentur multa fragmenta, niſi patena per Subdiaconum ſub mento, & ſub hoſtia teneretur; Sacerdos autem qui particulæ ſemper tenet ſuppoſitam pixidem non indiget patena, nec vt alij malé faciunt parua palla ſuppoſita. Tamèn quia contingere poteſt, vt iam euenit, particulas ſuſpirijs pulſas euolare e pixide, hinc eſt quòd non incongruum putem vel patenam ſupponi, vel non ſupponi pixidem, ſed ſolum linteum ad colligenda fragmenta.

Dubitauit quidam Parochus, vtrùm Sacerdotes obtinentes quædam beneficia, & Oratoria ruralia in ſua Parochia licitè poſſent adminiſtrare in Miſſa Euchariſtiam ad eas Eccleſias confluentibus, tùm inſcio, tùm etiam inuito

Paro-

Digitized by Google

Parocho, cum conſuetudo longiſſimi temporis Sacerdotibus faueret, qui contradicentibus Parochis Prædeceſſoribus ſuis,ac demum quieſcentibus,ab immemorabili hoc Sacramentum adminiſtrabant.

Triplex eſt caſus:prior eſt an inſcio Parocho, ſecundus an inuito eo; tertius an ob longam conſuetudinem id liceat Sacerdotibus. Ad primum reſpondi affirmatiuè, dummodò bona fide id faciant, & ſpe ratihabitionis per Parochum faciendæ, vt habet *Bonac. de Sacram. Euchariſtiæ diſp.4. quæſt.5. punc.1. num.8. & 9. & poſt eum Barboſ. de poteſt. Paroch. cap.20. num.7. & Tambur. de Commun. lib.1. cap.454. num.43. & 46.* Ratio dicti eſt, quia per ſpem ratihabitionis ſatis conſulitur reuerentiæ, & exiſtimationi, quæ debetur Parocho, & ob id nulla ei infertur iniuria, cum actus nihil operentur ſupra mentem, & voluntatem operantis, intellige tamen dummodo Sacerdos non celebret in Oratorijs priuatis, quod expreſsè eſt vetitum per conſtitutionem Innoc.XI. æditam die 12. Februarij 1679. incipit *Cum ad aures*, contra id quod priùs docuerat *Tambur. de Sacrif. Miſ. vbi de Orat. priu.*

Pro ſecundo caſu negatiuè reſpondi tum propter Doctorum auctoritatem, tum propter rationes inferius afferendas Doctores ſunt *Barboſ. cit. num.1. cum multis. Bonac. hic propoſ.2. num.6. & 7. Quart. par.2. tit.10. ſect.3. diffic.1. Dico 2. Polac. in aphor. par.2. tit.15. num.14. Clement. I. de priuil.* & ibi *gloſ. Suarez. de Euchar. diſp.72. ſect.2. §. hinc ſequitur, & colligitur ex Tambur. de comun. lib.1. cap.4. §.4. num.50. Gobat. tract.4. ſect.1. num.376.* Rationes ſunt,quia in adminiſtratione cunctorum Sacramentorum, quæ ab Eccleſiaſticis adminiſtrantur,requiritur iuriſdictio vt communiter notant Auctores, vel auctoritas delegata,

vel priuilegium; in huiuſmodi autem Sacerdotibus iuriſdictio non eſt, quia Parochi non ſunt, aut ordinariam facultatem habentes, nec habent priuilegium, non quidem ſpeciale, vt ſupponitur reſpectu perſonæ, non generale, quomodo Regularibus conſtat eſſe conceſſum; Nec quidem habent delegatam facultatem, quia neque adhoc deputati ſunt, neque illud eis eſt conceſſum ſiuè à Papa, ſiue ab Epiſcopo, ſiue à Parocho, ergo nullum habent requiſitum, per quod valeant inuito Parocho Euchariſtiam miniſtrare. Nec valet dicere primò, quòd ideò v.g. in Sacramento Pœnitentiæ requiritur iuriſdictio, quia eſt Sacramentum inſtitutum ad formam Iudicij, in quo Sacerdos Iudicem ſe gerit, Sacramentum autem Euchariſtiæ ad formam conuiuij, ad quod à primo conuiuante, qui eſt Sacerdos, poteſt quiuis admitti etiam alienus, cum paſcendo alienam ouem nullum inferat proprio Paſtori præiuditium; Nec valet ſecundò, quòd etiam abſquè iniuria Parochorum poſſit adhùc inuito Parocho, & Epiſcopo quiuis Sacerdos miniſtrare penitentiam reſpectu peccatorum venialium etiam alieno ſubdito, quamuis ſit Sacramentum ex principijs ſuis inuoluens iuriſdictionem, ergo etiam exhibere poſſe Euchariſtiam. Nec obſtat tertiò *Concilium Trid. ſeſſ. 22. cap. 6.* cupere omnes Chriſti Fideles communicare ſingulis diebus in Miſſa, & Rubricam tradere regulam pro Communione in ipſa Miſſa facienda, ex quo inferunt aliqui Tridentinum cupere quemcumque Sacerdotem diſtribuere Sacram Communionem, & rubricam dare eandem facultatem Sacerdotibus.

Reſpondeo enim primò ad primum non requiri iuriſdictionē in abſoluente præciſè, ideo quia hoc Sacramentum ſit inſtitutum ad formam iudicij, quod eſt de Iure diuino, vt

pro-

probant Concilium Florentinum, & Tridentinum *ſeſſ.14. cap.7.* ſed etiam quia Eccleſia ſtatuit, vt quæcumque Sacramenta non exhiberentur licitè niſi à proprio Parocho, vt doctores ſupracitati docent, & expreſſiùs *Tridentinum ſeſſ.24. cap.13. de reform.* & proinde ab habente iuriſdictionem. Reſpondeo ſecundò, quòd in adminiſtratione Pœnitentiæ requiritur de iure Eccleſiaſtico iuriſdictio tantummodo vt licitè miniſtretur, quod etiam in cæteris Sacramentis valet, circa quæ Eccleſia habet facultatem mutandi, augendi &c. *vt ex Conc. Trid. ſeſſ.21.cap.2.* Quòd autem Euchariſtia ſit inſtituta ad modum Conuiuij non officit quominùs Eccleſia poſſit Sacerdotibus prohibere, ne abſque licentia Paſtoris poſſint paſcere licitè oues alienas, vt de facto Eccleſiam feciſſe ſupradictum eſt.

Ad ſecundum reſpondeo primò, quòd falſum eſt, poſſe quẽlibet Sacerdotem abſoluere à venialibus abque Epiſcopi facultate, vt modo declarauit *Innoc.XI. in conſtit.* 12. Februarij ſupracitata, & ſic corruit argumentum. Reſpondeo ſecundò quód dato etiam quòd Sacerdos quicumque poſſet abſoluere à venialibus inſcio, vel inuito Parocho (quod neque fuit abſque controuerſia inter Doctores) non ſequitur inde, quòd etiam communionem poſſit adminiſtrare, ratio, eſt, quia vel huiuſmodi iuriſdictionem haberent Sacerdotes ab Eccleſia, vt aliqui voluere, & vt colligitur *ex cap. Omnis vtriuſque ſexus* in quo præcipitur vnicuique confiteri mortalia proprio Sacerdoti nullam mentionem faciendo de venialibus; vel haberent à pœnitentibus, vt placuere alijs, ſemper verificatur, quòd quiuis Sacerdos habuerit iuriſdictionem adminiſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ quoad venialia, pro Sacramento autem Euchariſtiæ nullam habet iuriſdictionem, cum ſolius

Digitized by Google

ſit Parochi eam adminiſtrare, vt dictum eſt ſupra ex Decreto Eccleſiæ.

Ad tertium reſpondeo primò, cupere omnes Miſſæ adſtantes participare de menſa Domini pròut antiquitùs fiebat, non tamen illud præcipere, ergo conſequenter nihil innouare; ſecundò, dato etiam, quòd vellet quoſcumque communicare, non ſequi inde hoc independenter à Parochis eſſe præſtandum; ſicuti in quibuſcumque Parochialibus cupit fieri prædicationem verbi Dei, vel per Parochos, vel per idoneas perſonas ſi Parochi apti non ſint, & tamen non vult hoc fieri independenter à Parochis; tertiò quia qualis fuerit mens Patrum Concilij pro quotidiana communione ſatis colligitur ex *cap. 13. de reform. ſeſs. 24.* vbi ſtat à nemine Sacramenta adminiſtrari licitè, quam à proprio Parocho, ergo noluit hoc Euchariſticum abſque Parochi licentia poſſe à quolibet Sacerdote licitè adminiſtrari; Nec officit, quòd rubrica tradat regulam pro Communione, quia ita rubrica ſpectat ad omnes Sacerdotes, vt Pontificale, & Ceremoniale ad Abbates, & Prælatos Epiſcopis inferiores, pro quibus etiam impreſſa ſunt, ſed nihilominus in aliquibus regulis Ceremonialis &c. non comprehenduntur Abbates, & Prælati inferiores, ergo neque in rubrica Miſſalis omnes comprehenduntur Sacerdotes ſimplices; præterquamquod rubrica nullum ius nouum tribuit Sacerdotibus, ſi illud non habeant, quod non habere ex Tridentino vidimus.

Tertius eſt; num reluctante & inuito Parocho Sacerdotes prædicti diſtribuere poſſint Euchariſtiam ex vi præſcriptæ conſuetudinis. Reſpondeo, quod dummodó conſuetudo ſit præſcripta ſpatio ſaltem 40. annorum, vt communiter docent Doctores, tunc probabile eſt, quòd liceat ex

vi conſuetudinis Sacerdotibus etiam abſque licentia,& inuito Parocho communionem diſtribuere.

Ratio dicti eſt, quia non minorem facultatem tribuit conſuetudo legitimè præſcripta, quam priuilegium, vel lex ſufficienter promulgata, ſed (primò) per priuilegium Regulares, inuito etiam Parocho, poſſunt communicare, & confeſſiones audire, ergo & Sacerdos Sæcularis ex vi conſuetudinis: ſed (ſecundò) ſtante lege Eccleſiaſtica in contrarium Sacerdotes Sæculares non poſſunt licitè Sacramenta administrare, ergo per conſuetudinem abrogantem ipſam legem eandem facultatem habebunt.

At dices conſuetudo, vt legem abroget debet eſſe honeſta, debet innoteſcere Principi, neque debet eſſe reprobata ab ipſa lege.

Reſpondeo ad primum, quòd conſuetudo debet quidem eſſe honeſta; cenſetur autem honeſta; tum vt notat *Dian. de conſuetud. tract. 2. reſol. 1. num. 3.* quando non eſt contra legem naturalem, vt eſt conſuetudo exigendi vſuras, aut contra diuinam v. g. qualis erat olim ea, per quam Sacerdotes miniſtrabant Confirmationem, contra quos agit Pontifex *cap. Quanto de conſuetudine*, nam ſimiles nunquam præſcribuntur, quia contra leges Diuinam, & naturalem nulla conſuetudo inſurgere poteſt; tùm vt idem notat *num. 4. & 5. & deinceps*; Tunc eſt honeſta quando irrationabilis non eſt, prout non eſt conſuetudo, quòd Sacerdotes diſtribuant Communionem inuito Parocho, quia ſi eſſet irrationabilis non competeret eis hoc munus de iure Diuino, prout competere liquet, & pròut non eſt irrationabilis conſuetudo contraria canoni: *Omnis vtriuſque ſexus*, per quam abrogato canone antiquo Sacerdos poteſt etiam alieni ſubditi peccata mortalia in confeſſione

ne audire. Reſpondeo ad ſecundum, quòd non eſt neceſſarium, quòd conſuetudo innoteſcat Principi, prout probat *Barb. de poteſtate Epiſcopi par.3. alleg.114. num.7. Sanchius de matrim. lib.7. diſp.82. num.20.* ſufficit autem, quòd à Principe ſit approbata non expreſsè, ſed tacitè, quando ſcilicèt communi lege approbat omnem conſuetudinem ſecuturam, quod certè fecit Pontifex *in cap fin. de conſuetudine.* Reſpondeo ad tertium quod conſuetudo futura, quæ prohibita eſt tanquam irrationabilis nūquam poteſt vim habere abrogandi legem, vt eſt comunis ſententia, ſecus autem ſi ſit prohibita ſimpliciter, eo quòd aduerſetur ipſi legi, cum ergo hæc conſuetudo non ſit dicenda irrationabilis, vtpotè fundamentūm habens in iure diuino, ſequitur, poſſe abrogare legem Eccleſiaſticam prohibentem Sacerdotibus Communionem diſtribuere illis, in quos non habent iuriſdictionem, ſicuti conſuetudine firmatum, eſt poſſe quemcumque Pœnitentem confiteri mortalia alieno Sacerdoti, etiam ſæculari cui ex lege Eccleſiaſtica ſupracitata antiquitus non poterat.

Inſtabis: in actibus facultatiuis non poteſt fieri fundamentum ad inducendam conſuetudinem *Nicol. Rodrig. tract. 1. de leg. Eccleſ. ad rub. & tit. de conſuet. vbi Beltram n. 16. cum Rota, Surdo, & alijs* ait, quòd ex actibus facultatiuis non inducitur conſuetudo reſtrictiua liberæ facultatis, imò addit, quòd ex ipſis actibus non detur poſſeſſio manutenibilis, non obſtante quocumque lapſu temporis, etiam immemorabili, ergo &c.

Reſpondeo, quòd etiam in huiuſmodi actibus, ad quos prærequiritur iuriſdictio poteſt fundari conſuetudo dummodò fuerit contradictio cum ſubſecuta quieſcentia, vt notant *Paul. Seraph. & Gonz. l. in regul.8. Cancel.* Hæc autem

tem

rem contradictio fuit facta per Parochos prædeceſſores non modò extraiudicialiter, verum etiam iudicialiter obtinendo à Vic. Foraneo præceptum abſtinendi ſub certa pœna, & ab Ordinario pœnam ſuſpenſionis à diuinis infligendam Beneficiatis, & eiſdem iuridicè intimatam, cuius tamen executionem non procurarunt, ſed acquieuerunt, quamuis illi Beneficiati abſque Parochi licentia publicè, & frequentiùs Sacramentū adminiſtrarent, ergo ex his actibus facultatiuis potuit reſultare conſuetudo manutenibilis ad fauorem eorundem Beneficiatorum, cum præceſſerit oppoſitio iuridica cum quieſcentia. Stet ergo quòd data hac conſuetudine legitima, & immemorabili licuerit illis Beneficiatis diſtribuere Euchariſtiam.

Dubitauit Cappellanus cuiuſdam Epiſcopi, cui ſæpe ægrotanti ſacrum in proximo Sacello faciebat, ad quod patebat proſpectus à cubiculo Epiſcopi, cuique miniſtrabat communionem, an per Miniſtrum nomine Epiſcopi facienda eſſet confeſſio, & deinde, vtrum Sacerdos abſoluere deberet. Ejus ratio dubitādi erat primò, quia in Pontificali de conſecratione Epiſcopi habemus, quòd Epiſcopus conſecratus ſumit hoſtiæ partem de manu Conſecrantis, qui abſolutionem non facit, nec Conſecratus confeſſionem præmittit. Secundò, quia formare ſignum Crucis ſuper Epiſcopum ad *Indulgentiam* videtur repugnare, ſicuti repugnat benedictio ſuper Epiſcopum in fine Miſſæ.

Tamen hæ rationes non valent; Non prima, quia aliud agitur in actu conſecrationis, aliud extra illum actum, nam in propria conſecratione Epiſcopus conſecratus concelebrat cum celebrante, & ideò non præmittit confeſſionem, nec abſoluitur à conſecrante; ſufficit enim ea, quæ facta eſt initio Miſſæ, quod ſeruatur etiam in benedictione Ab-

batis,

Digitized by Google

batis, quamuis Abbas non concelebret; quodſi quidquam probaret hæc ratio, probaret etiam Epiſcopo dandam eſſe partem ſacrati ſanguinis ex vna, ex alia nullum presbyterum in communione teneri præmittere confeſſionem; vtrumque ex Pontificali; primum in conſecratione Epiſcopi, ſecundum in ordinatione Presbiteri, quia ſicuti eò quòd in conſecratione Epiſcopi non præmittitur Confeſſio, & abſolutio, neque debet præmitti in alijs communionibus Epiſcoporum Miſſæ præſentium, ergo, quia in conſecratione habent partem ſanguinis ſemper etiam debent participare de ſanguine. Pro Presbytero facit, quòd, ſicuti quia Epiſcopus in conſecratione non confitetur, neque id præſtare debet quando communicat in alijs Miſſis, ergo Sacerdos, qui in ſua ordinatione non facit confeſſionem, neque abſoluitur ab Epiſcopo, abſoluendus neque erit à Sacerdote, nec ei cõfiteri publice in cõmunione Miſſæ; quod vt patet falſum eſt ex *lib. 2. cap. 29. Cerem.* vbi habemus Sacerdotes communionem percipientes ab Epiſcopo abſolui, & confeſſionem ſolemniter facere per Diaconum, *& cap.* 30. vbi etiam Euchariſtiam ſuſcipientes de manu Sacerdotis idem peragunt.

Nec valet ſecunda ratio, primò quia Sacerdos in abſolutiotione gerit vices Iudicis abſoluentis, & Epiſcopus Rei veniam petentis. Secundò quia Sacerdos in eo ſtatu repræſentat ſummum Sacerdotem Chriſtum Dominum, quem proculdubio non repræſentat Epiſcopus, prout eſt in eo ſtatu. Tertiò quia Sacerdos audiens confeſſionem Epiſcopi ſignum Crucis ſuper eum producit ad formam confeſſionis, & ad verſum *Indulgentiam*, ergo etiam in hoc caſu, in quo fit confeſſio ad formam Iudicij, quamuis non ſacramentalis, poteſt Sacerdos benedicere Epiſcopum.

Acce-

Digitized by Google

Accedit ad hæc, quòd Cardinalis conſecrans Papam in Epiſcopum, vel Sacerdotem, ſi priùs Sacerdos, aut Epiſcopus non erat, quando dicitur in litania verſus: *vt hunc electum*: benedicit ipſum Papam proſtatum ante illum, ergo a pari Sacerdos Epiſcopum benedicere poterit.

CAPVT III.

De Pixide purificanda.

Contingit ſæpe Pixidem purificandam eſſe in Miſsa quando peracta Fidelium communione reportanda eſt in Sacriſtiam. Alium modum tradit Gauantus, alium Quarti; *Gauantus vult par. 2. tit. 20. num. 7. V. Accidit. Arnaud. par. 2. tit. 10. num. 23. & Bauldr. par. 3. rit. ſeruand. in Cel. Miſ. tit. 10. rub. num. 8. nota prima*, quod purificetur ante calicis ablutionem collectis nimirum in eius fundo fragmentis omnibus cum indice dexteræ manus, cum quo etiam ſumi poterunt admoto eodem linguæ, vel deductis fragmentis ad labium pixidis, & ore eidem admoto, deinde infundi paululum vini, quo circumacto tergente indice totam partem interiorem ſumatur vinum, & deinde pixis exſiccetur, nec amplius tegatur velo albo. Quarti è contra *par. 2. tit. 10. ſect. 2. dub. 8.* non probat hunc modum, ſed docet, quòd poſt ſumptionem ſanguinis colligantur fragmenta, & ex pixide in calicem mittantur, deinde infuſo vino in calicem ſumantur cum eodem vino, & ſi opus ſit purificare pixidem immittatur vinum, & aqua deinde in calicem ponatur, & ſic ex calice ſumatur, citatque pro ſe *Doctores*. Inſuper ait modum traditum à Gauanto eſſe indecentem, quia

quia nempe non poſſunt ſumi fragmenta digito niſi ſaliua madefacto, tùm etiam quia ſi adducantur fragmenta ad labium pixidis facilè deperdi poterunt, & ſi ſumantur digito opus eſt, lambere digitum, quod eſt contra decentiam, & purificatio haud facilè ſumi poterit ex pixide, quæ nimis patula eſt.

Sed Gauantus viſus eſt bonam poſuiſſe regulam ob purificandam pixidem, tum in ſumendis fragmentis, tum etiam in ſumenda purificatione; Et quidem ſi fiat iuxta primum modũ decentius ſumentur fragmenta abſque vino, quàm cum vino, vt vult Quarti; tum quia Sacramentum Euchariſtiæ, quatenus fieri poſſit, à ieiuno accipiendum eſt, & fragmenta ſi cum vino ſumantur, non ſumentur quidem à ieiuno, cum vini prius defluat aliqua pars quam fragmenta, tum etiam quia quamuis adhuc ſuſcipere fragmenta cum vino non poſſit non conced', ſicuti fit de parte hoſtiæ, quæ poſt ſumptionem ſanguinis fortaſſe remanet in calice, tamen ſemper maior eſt reuerentia Sacerdotem ieiunum ſumere Euchariſtiam, quam non ieiunum; Nec officit, quòd lambere digitum videatur indecens, quia ſicuti in caſu, quo hauſto Sanguine remaneat particula hoſtiæ in calice, quando ſcilicet adducenda eſt particula ad labium calicis indice dextero, non eſt indecens lambere digitum, ſic neque in noſtro caſu. Nec verum eſt, quòd index debeat madefieri ad colligenda fragmenta, vt patet experientia, quòd ſi etiam eſſet indecens, quod non eſt, poſſent tamen adduci fragmenta ad labium pixidis, & quidem abſque periculo ea deperdendi, vt ſcribit Quarti.

Non improbarem tamen ſententiam Coninch, nempe fragmenta ex pixide in ſanguinem eſſe ponenda, deinde ſumenda

menda cum ſanguine, quia ſic ſumerentur facilius, & hæc actio haberet maiorem conformitatem cum ritibus Eccleſiæ, quæ fragmenta, quæ ſuperſunt ſuper corporale, vult collecta imponi in ſanguinem; ſed minùs placet hæc ſententia niſi in caſu inferius poſito, quia vel pixis eſt in ciborio, vel ſuper Altare; ſi primum ergo extrahenda eſſet de ciborio Calice aptato in Altari, quod non fit abſq; aliquo effuſionis periculo, quod & ſi minimum eſſet, maximè tamen cauendum eſt, ſi ſecundum dummodo habeat particulas ad Communionem, vtique poſt ſanguinis ſumptionem eſt purganda pixis, quia poſt Sacerdotis Communionem, & quidem ſub vtraque ſpecie, fit communio aſtantium, ergo fragmenta cum ſanguine ſumi non poſſunt.

Caſus in quo fortaſſe locutus fuerit Coninch erit, quando ante Miſſam facta fuerit comunio aſtantium, pro qua vna pixis vacua remanſerit particulis in Altari cum ſolis fragmentis, alia appoſita cum recentioribus nouiſſimè conſecratis; In tali caſu tutiſſima eſt hæc ſententia, ratio eſt quia ſic agendo magis approximatur vſui Eccleſiæ, ſumendi fragmenta panis, quæ vtique ſumit cum ſanguine, tum etiam quia ſic remotiſſimus erit Sacerdos, tum à periculo deperdendi aliquod, et iam minutulum fragmentum, cum à quauis indecentia in eis ſumendis.

Vtraque ſententia, Quarti ſcilicet, & Gauanti tuta eſt, & in praxi amplectibilis, nec minorem habet probabilitatem, vt vides, quam docet Coninch; ego tamen ſequor eos, qui docent fragmenta ſeparatim ſumi ab ablutione, maior enim videtur reuerentia erga Sacramentum; nec refert vtrum poſt ſumptionem Sacratiſſimi Sanguinis ſumantur, cum etiam hoſtia ex lunula oſtenſorij extracta poſt eandem

dem

dem ſanguinis ſumptionem abſumatur, vt docent *Gau ant. par.2. tit.10. num.6. lit.I. Ger. Fr. Min. par.1. cap.3. n.4. & cap.9. num.13. Polac. par.1. tit.11. in add. num.1.*

CAPVT IV.

De ijs quæ omittuntur in Miſsis Defunctorum.

OCcurrit primò quærendum nùm pſalmi cum Antiphona, quæ dicuntur pro præparatione ad Miſſam celebrandam omitti debeant ante Miſſas Defunctorum *Gau. par.2. tit.13. in num.1. & Iord. vol.1. lib.4. tit.1. n.71.* dicunt poſsè omitti, quia in Cerem. Papæ, & Epiſcoporum prohibentur dici. Franciſcus Nigro, & poſt eum Diana *de Cel. Miſ. tract.1. reſol.157.* negat omnino poſſe dici, tum quia habent *Gloria Patri*, quod nonnihil ſonat ſuauitatis, & lætitiæ, tum quia in dictis Ceremonialibus prohibentur. Quarti è contrà vult eſſe dicendos, quia dicti Pſalmi non ſunt incompetentes dictis Miſſis; nam (ait ille) ſi eſſent incompetentes, non modò poſſent licitè aliquando omitti, vt vult Gau. & Iord. verum deberent prætermitti omninò.

In hoc ſententiarum conflictu ſententia Quarti non eſt relinquenda; Ratio eſt quia, vt ipſe ait, huiuſmodi preces non ſunt incompetentes dictis Miſſis; At dices cum Nigro, & alijs; Primò dicti pſalmi præſeferunt lætitiam, ergo non ſunt conuenientes Miſſis Defunctorum: Secundò prohibentur in Ceremoniali, quod eſt regula Miſſalium Rituum, vt dictum eſt ſuo loco, ergo omninò ſilendi ſunt.

Sed

Sed reſpondeo ad primum, pſalmos, totamque præparationem Sacerdotis celebraturi, quoad orationes, & preces nullam habere connexionem cũ officio Miſſę, ſiquidem nec pars eſt Miſſæ cum ea inchoetur ad Altare, nec eſt aliquid neceſſariò præcedẽs ipſum officium Miſsæ, non eò quia poſſit dici, & non dici, vt ex titulo habetur horũ pſalmorum, quæ tamen non eſſet leuis coniectura, ſed quia nõ habet aliquam proportionem cum officio miſſę, vel cum miſſa, quà hoc vel illud officium habet, vt patet, quia ſiue miſſæ ſint mœroris ſiue lætitiæ, ſiue feriales, ſiue feſtiuæ ſemper ijdem ſunt pſalmi, nec alia differentia ponitur, niſi quod aliquando duplicatur Antiphona; Cùm ergò nullam habeant cum officio miſſæ connexionem, ſemper erunt dicendi, quodcumq; officium habeat miſsa.

Inſtabis: ergò poſſunt ſemper omitti, cùm nullam habeant connexionem cum miſſa; Reſpondeo negando conſequentiam, quia etiamſi non connectantur cum officio miſſæ, connectuntur tamen cum ipſa miſſa, quatenus eſt tàm grande myſterium, ad quod ritè peragendum ipſi diſponunt, ſiquidem inſpirant lętitiam ſpiritualem, doloremque, & fidem excitant, per quæ anima præparari poſſit ad Sacramentum; tùm quia ideò dicuntur, vt peccata venialia per ea tollantur, vt ait *Innoc. lib. 1. cap. 47.* per quod præparamur ad dignè conficiendum, & ſuſcipiendum Sacramentum:

Reſpondeo ad ſecundum, non benè ex regula poſita in Ceremoniali deduci, in miſſis priuatis Sacerdotum, & Epiſcoporum prohiberi has preces, immo etiam in ſolemnibus Sacerdotum; Ratio eſt, quia Ceremoniale prohibet ea dici, cùm adſint illæ circumſtantiæ dicendi ea alternatìm, & publicé cum Miniſtris, ſed in miſſis priuatis Epiſ-

coporum, & Sacerdotum, nec non in ſolemnibus Sacerdotum ſimplicium non dicuntur ſolemnitèr, & publicè, ergò quoad has Miſſas nõ debent illæ preces cenſeri prohibitæ; aliàs ſicutì per hoc, quod Ceremoniale prohibet, fieri has præparatorias orationes ab Epiſcopo, arguunt eaſdem prohiberi Sacerdotibus, ſic quia Ceremoniale iubet Epiſcopum inchoare ſolemniter ad Altare Tertiam, vel Nonam, provt tempus exigit pro præparatione feſtiuæ Miſſæ ſolemnis, eamque complere, dicendo orationem, idem dicendum erit de ſimplicibus Sacerdotibus in Miſſis ſolemnibus, quod quam incongruum ſit, ex ſe patet.

Ad nu. 2, Rub. Vbi dicit, quod Miniſtri porrigentes, vel recipientes aliquid à Celebrante non oſculantur eius manum, adde etiam extrà Miſſam, dum fit abſolutio, quæ immò reputatur pars Miſſæ, in qua oſcula non intercedere, expreſsè habet Ceremoniale *lib. 2. cap.* 11. à quo non recedere debemus, quamuis *Marcel. lib.* 1. *ſect.* 15. *cap.* 1. doceat in abſolutione contrarium practicari in Vrbe in funeralibus DD. Cardinalium.

Ad num. 4. Adde, quod deponente manipulum, & caſulam Celebrante, manipulum debent ponere etiam Miniſtri. Si detur Aſſiſtens cum pluuiali in hac Miſſa, etiam ipſe poterit accedere ad tumulum, vt docet *Rit. Rom.* at nequaquam cum pluuiali, ſed cum ſola cotta, quo caſu Diaconus erit à dextris, Aſſiſtens verò non paratus à ſiniſtris, vt in *cap. de Aſſiſtente* dictum eſt *par.* 1. *ſect.* 2.

Ordo procedendi eſt, vt duo Acolythi alter cum thuribulo igne pleno, ac fumigante, & acerra thure referta, alter cum vaſculo aquæ luſtralis, & aſpergillo primi omnium procedant, vt ipſa Rubrica, & nos ſupra docuimus,

hos

hos ſequuntur duo Ceroferarij cum cereis accenſis mediū habentes Subdiaconum cum Cruce; ſequitur Clerus, ac demum Celebrans cum Diacono à ſiniſtris manibus iunctis, vel inter vtrumque Miniſtrum, ſi adſit Aſſiſtens, qui fimbrias anteriores pluuialis eleuabunt. Celebrans capite cooperto, reliqui omnes aperto procedant, provt de illo ponit regulam, vti etiam de Conabſoluentibus *Cerem. ibidem*, & *Pantif. par. 3. de officio poſt Miſſam Defunctorum*, & *Gau. hic*. & *Bauld. par. 3. cap. 14. num. 2.* cętera provt in Rubrica.

Hic ordo procedendi, & vtendi Cruce ſeruatur tantùm; quando abſolutio facienda ſit ad caſtrum doloris poſitū longè ab Altari; Si verò nullum ſit mortale feretrum, aut proximum gradibus Altaris ſit, nec Crux adhibetur, nec fit proceſſio, vt docet *Cer. fr. Min. in Indice pro additione ad abſolutionem Defunctorum*, & *Marcel. lib. 2. ſect. 2. cap. 27.* & *Cerem. Epiſc. ibidem*, & inſuper expreſsè *cap. 37. lib. 2.* qui, provt etiam rubrica, docent adhiberi Crucem quando deſcendendum ſit ad caſtrum doloris, & quidem longè ab Altari, vt colligitur ex eo quòd procedendum eſt proceſsionaliter. Vbi ergo non ſit procedendū ab Altare finita Miſſa Celebrans retrahit ſe ad cornu Epiſtolæ, deponit caſulam, & manipulum, dùm à Choro cantatur reſponſorium, accipitque pluuiale, & ſtat in eodem cornu couerſus ad Altare vſquequò repetitus ſit verſus *Libera*: tùm dicit *Pater noſter*, & vadens ad medium Altaris conuertens ſe ad Occidentē aſpergit ter ante ſe, & ter thurificat, tùm conuerſus ad Altare in cornu Epiſtolæ legit orationem, & cętera peragit, provt prius etiam in repetitione verſus thus impoſuerat, quod omne docet *Cerem. Epiſcoporum lib. 2. cap. 37.*

Google

Quænã pars tumuli ſumatur pro capite, quæq; pro pedibuſ caſtri doloris ſublata eſt dubitandi cauſa, quã aliqui habebant in Ceremoniale,& Pontificale in hac *Rub.* per ly *contra Altare*, quia ſi Subdiaconus vadit ad pedes tumuli, ſiſtitque ſe contra Altare, ergo pars remotior ab Altare ſumitur pro pedibus loci, & pars propinquior pro capite, quod expreſsè docet *Marcel.* hìc, vbi ait, quod pars Altari proximior caſtri doloris habetur pro capite. Nec eſt dubitandum vtrum eadem pars ſit caput loci tùm in exequijs Sacerdotum, tùm Laicorum, quia in *Cerem.* habemus, quod ſi Miſſa celebrata fuerit pro Papa, Cardinalibus, Prælatis, Imperatore, Regibus, aut Principibus magnis fit abſolutio, iuxtà formam ſupra traditam, ergo tàm pro Sacerdotibus, quàm pro Laicis eadem forma ſeruanda eſt abſente corpore; quòd ſi corpus adſit, vide *Rit. Rom. tit. de exequijs in Rubrica generali*.

Oratio, quæ dicitur in huiuſmodi abſolutione alia eſt præſente corpore, vt habetur in *Rit. Rom. de exequijs*, alia eſt abſente corpore; quæ habetur in *tit. de officio faciendo abſente corpore*, & eſt regularitèr *Abſolue*, quamuis ex Rubrica poſſit etiam dici oratio, quæ dicta eſt in Miſſa, vel alia, dummodo ſit conueniens. Alicubi ſolent omnes de Choro genuflectere dum dicitur oratio abſolutionis, proyt fit ad eas Miſſæ, ſed ſtandum eſt, provt expreſsè docet *Cerem. lib. 2. cap. 11.*

Vtrùm, dum fit abſolutio, ſi eleuatur in aliquo proximo Altari Sanctiſſimum Sacramentum, Celebrans, & Miniſtri debeant genuflectere? negat *Gau.* hìc, affirmat *Quart.* prior, ne interrumpatur ſacra actio; poſterior quia adoratio Sacramenti eſt longè ſuperioris ordinis, quam ſit continuatio huius officij. Cùm *Gauanto* id ſcribit *Bauld.*

par.3.

par.3. cap.14. num.11. Polac.par.2. cap.12. in addit. nu.6. limitat tamen *Quarti* non eſſe genufleᴇctendum Ceroſerarijs, & Subdiacono Crucem geſtanti, neque Sacerdoti cum Diacono,dum orationem cantat, & ego libens adderem,dum aſperſionem, & thurificationem facit. Sententia *Gauanti* eſt ob vitandam confuſionem; Cęterùm placet magis ſententia *Quarti*, quòd nempè omnes genufleᴇctant exceptis Ceroferarijs, & Subdiacono, etiam Diaconus, & Sacerdos dummodò orationem non cantet, aut aſperſionem, aut thurificationem agat, ſufficiet tamen circulo peracto in aſperſionibus, & thurificationibus genufleᴇctere. Multas affert rationes, quibus, maxima qua poteſt vi,Gauantum impetit; Ego inſuper addo, quod dum celebratur Miſſa ſi eleuetur Sacramentum in alio Altari Miniſtri inferiores exceptis paratis non excuſantur à genuflexione, *Gau.par.2. tit.3. num.4. lit.P.* & à latere Altaris vbi celebratur Miſſa ſolemnis,ſi fiat communio, itaut ab Aſtantibus Miſſæ ſolemni aſpiciatur Sacramentum, ex *Cerem. lib.2. cap.30.* debent genufleᴇctere, ergo etiam in noſtro caſu. Nec impedire poteſt genuflexionem cantus reſponſorij,ſicut in Choro Cantores, dum cantant Pſalmum *Venite exultemus* &c. ad ly *venite adoremus* &c. & ipſi genufleᴇctunt, vt habemus in *Cerem. lib.2. cap.6.*ſicq; etiam cantantes *Et Incarnttus eſt*,debent genufleᴇctere, provt etiam *Tantùm ergo Sacramentum* in Veſperis, vbi ſit expoſitum Sacramentum. Notat *Bauldrius, & Cerem. fr. Min. par.3. cap.14. num.12. 13. 14. Cer. Fr. Min. in indice in addit. ad Abſol.* quòd dicto *Placeat* retrahit ſe Celebrans cum Miniſtris ad cornu Epiſtolæ, vbi ſe ſpoliat, & accipit pluuiale, tùm facit Abſolutionem de more, qua peracta vadit ad cornu Euangelij,

Digitized by Google

quod ſignat, & legit Euangelium S. Ioannis. Hoc etiam ſeruatur in Cappella Papæ, vt ſcribit *Marcel.lib.2.ſect.2. cap.27.* Non placet tamen hæc ſententia, cui item ſubſcribitur *Tobias Loñer. par.4.tit.3. §.3. num.6.* ratio eſt, quia, vt dictum eſt in *par.1. cap.2.* quando ſunt duæ regulæ, quarum alia ſit proxima, provt eſt regula Ceremonialis, alia remota, provt eſt conſuetudo Cappellæ Papalis tenemur ſequi proximam relicta remota (. Hoc tamen intelligendum eſt, niſi talis adſit conſuetudo in aliqua Eccleſia, quæ provt rationabilis ſequi adhuc poterit, cùm hæc conſuetudo non ſit irrationabilis, & conſequentèr non ſit ſublata per regulas Ceremonialis, vt aliàs docuimus.) ſed regula Ceremonialis pro Canonicis dicit priùs legendum eſſe Euangelium, mox faciẽdam abſolutionem, vt item docet rubrica communis Miſſalis, ergò hoc ſeruandvm eſt. Vlterior ratio eſt, quia Pontifices Miſſam in pontificalibus celebrantes dicto *Placeat*, & data benedictione, ſi danda ſit, ſignant Altare, & ſic complent Miſsam, & abeunt, vt expreſsè habetur in *Cerem. lib.2. cap.8. & cap.11.* & Euangelium dicunt recedentes, Sacerdotes autem dicunt Euangelium ad Altare complendo Miſſam per illud; hinc eſt ergò, quod Pontifices illicó completa Miſſa per *Placeat*, faciunt abſolutionem, quam facere non poſſunt ſimplices Sacerdotes, niſi poſt Euangelium, per quod Miſſa ſolemnis ſacerdotalis completur.

Digitized by Google

SECTIO V.

CAPVT I.

De his, quæ clara voce &c. ſiuè de Paſſionibus Miſsæ.

DE his Miſſæ proprietatibus agit Rubrica generalis *par.* 1. *tit.* 16. & ſunt proportio, & regula vocis ſeruanda, quoad elationem, & depreſſionem primò; ſecundò quoad diſtinctionem, vt nimia tarditas, & feſtinatio fugiatur, in his enim habentur quatuor illæ proprietates, quæ requiruntur in Miſſa, videlicèt quòd ſit alta, breuis, clara, & deuota.

Alta voce celebrari debet Miſſa, ſed non tali, vt auditoribus tędio ſit, & Celebrans longo clamore deficiat, ſed quam commodè adſtantes circum Altare audiant habita ratione vocis Sacerdotis; non ſunt tamen dicenda alta voce *Memento Domine famulorum*; *Memento etiam Domine &c. ſimili modo poſtquam*, vt à pluribus fit, qui non modo hæc verba, verùm etiam verba conſecrationis, initiũ Canonis, & principia omniũ partium illius altè proferunt, & identidem vocem eleuando intelligibiliter multa dicunt, & tamen quomodo excuſari poſſunt à mortali, qui in re graui, quam ſine incommodo obſeruare poſſunt, contrafaciunt Eccleſiæ præcepto, ſi aduertentèr id faciant? quæ ideò voluit ſecreto dici, ne vt antiquis temporibus factum eſt, ab omnibus laicis memoriæ demandetur Canon, eiuſque ſacratiſſima verba à quouis viliſſimo ho-

Digitized by Google

mine in vicis, & plateis cum Religionis dedecore decantentur, *Innoc. III. lib. 3. cap. 1.* Et à pueris omnia, quæ ab Eccleſiaſticis viris patrantur, & verbo, & actione fiant, quod à Paſtoribus factum eſſe quondàm, & panem, ac vinum ab eis oblatum cum ſaxo, in quo illud ſimulatum ſacrificium patratum fuerat igne repente de Cœlo elapſo conſumptum fuiſſe, & Paſtores ſemimortuos, & terrore confectos, teſtatur idem *Innocentius ibidem*. Ea, quæ ſecretò dicenda ſunt labijs debent proferri non tantùm exprimi in mente, quia forma Sacramenti nihil operaretur circa materiam, & ſic nullum eſſet ſacrificium, ſi ſic proferretur, & contrafieret ordinationi Eccleſiæ, quæ præcipit, vt legamus non, vt mente meditemur; vox non ità depreſſa ſit, vt Aſſiſtens, & Diaconus non poſſint audire, vt aduertit *Cerem. Seruor. B. Mariæ cap. de Miſſ. ſol.* quod conformatur Rubricæ generali *par. 1. tit. 16. nu. 3.*

Non ita feſtinanter, vt verba dimidient, peruertant, omittant, vel ſenſus verborum non modò adſtantes, verùm, nec ipſe Celebrans percipiat; At quia vitium hoc nimiæ feſtinationis ità communis eſt præcipuè inter ſæculares Sacerdotes, vt hoc tempore maxima animaduerſione dignus apud laicos videatur, qui Miſſam non celebrat intra quadrantis ſpatium, placet hìc aliquid addere de eo temporis ſpatio, quod ad Miſſam decorè, commodè, & aptè celebrandam requiritur.

Aliqui volunt ſufficere dimidiam horam, alij non minùs quàm integram, alij tres quadrantes, alij etiam vnicum quadrantem ſatis eſſe nunc temporis dictitant; Nec deeſt irreligioſæ, & temerariæ aſſertionis ſpecioſa excuſatio; ij namque modicum tempus volunt Miſſam durare, nè Aſtantes tedio afficiantur, & inde arripiant obmurmurandi

di contra Sacerdotes occaſionem, vnde laudis in Deum, & reuerentiæ in Miniſtros argumentum efficax haurire debent: Charitatem virtutum omnium principem eſſe, & ſine qua reliquæ nullius ponderis ſunt; Charitatem benignam eſſe, ideò Sacerdotem, vt charitate præditum malè agere, qui pietatis ſpecie Adſtantibus moleſtiam infert; Eiuſdem naturæ negotia ſęcularium cum Clericorum rebus non eſſe; Alios manuum labore quotidianum ſibi quærere panem; Alios negotiorum varietate commodiorem ſibi iungere ſortem; Alios iniqui caſus vix tolerare ruinam; Tempus curis, tempus laboribus non ſufficere, ac proinde abbreuiandam non protrahendam Miſſam, tractu namque temporis deuotionem deperdi, breuitate foueri. O' quam benè breuitatis, & celeritatis tutores! Verè nulla fatuitas ſine amatore, nulla ſordes ſine patrono! Hos arguere meum eſſe nolo, meliorem? habeant Cenſorem; eos ad Molinam remitto *tract.* 3. *cap.* 14. §. 1. *&* 2. mihi ſatis erit quærere quodnam temporis ſpatium requiratur ad Miſſam.

Pro quo priùs noto primò, quòd Sacerdos attendere debet ad ea, quæ legit, & agit, & quidem attentione duplici, ſcilicèt non tantùm interna, quæ omninò requiritur, & eſt: Mentis applicatio ad ea, quæ leguntur, tùm ad ſenſus percipiendos, tùm ad informandam pijs affectibus orationem vocalem, ſed etiam externa, quæ conſiſtit in negatione diſtractionis externæ, & eſt compoſitio ſenſuũ externorum ad fouendam attentionem internam; ſicutì enim Doctores docent communiter hanc requiri in perſolutione horarum canonicarum, quanto magis requiretur in Miſſa? Et tamen quàm multi eam negligunt: Videntur enim aliquando aliqui Sacerdotes lecto offertorio

illicò

Digitized by Google

illicò proſequi orationem *Suſcipe Sancte Pater*; quam pœnè peragunt dum calicem diſcooperiunt, & patenam dextera accipiunt; dicere medietatem præfationis paginas Miſſalis voluendo priuſquam eam inueniant; dicere *Vnde & memores* vſque ad *hoſtiam puram* dum calicem deponunt, & genuflectunt; communionem pro Defunctis complere dum calicem exſiccant, & aptant in Altari, concluſionem orationum dum claudunt Miſſale, & accedunt ad medium Altaris, & inclinantur, vt illud oſculentur; finem Euangelij Sancti Ioannis dum ad medium Altaris redeunt, & calicem accipiunt. Quomodò autem attendere dicuntur hi ad ea, quæ faciunt? non quidem attentione interna, quia aliud legunt, aliud exterius operantur, & vtrique animus applicari non poteſt; non externa, quia eſt compoſitio ſenſuum externorum non quomodocumque, ſed ad ſubordinationem, ſiuè concordantiam cum animo, qui, vt vidimus, ad plura eſt diſtractus.

Noto ſecundò, quòd Miſſa, provt quæuis alia actio, exigit tantùm ſpatij temporis, quo commodè verba, & actiones ſucceſſiuè perficiantur, non quomodocumque, ſed provt in Rubricis; tùm vt ea ſigna, eę volutiones &c. fiant vnà cum ijs verbis, quibus copulari debent, non verò priùs, aut poſteriùs, tùm etiam vt mens applicetur ad ea, quæ fiunt, quæque leguntur.

His poſitis: quamuis dari non poſſit certa regula pro omnibus Sacerdotibus, & Miſſis, quia naturaliter alij ſunt alijs agiliores, & expeditiores manu, corpore, & lingua; & Miſſæ aliæ alijs ſunt longiores, & breuiores, quia v. g. Sabbathis Quatuor Temporum tot ſunt lectiones, vt cum intermedijs orationibus, gradualibus, Hymnis, & verſibus, ac actionibus, ſpatium ſibi vnius quadrantis vendicent,

cent, his inquam poſitis dico; mediam horam plus, minuſue, ſpatium eſſe conueniens Miſſæ priuatæ; ratio eſt quia ſufficiens eſt ad actiones, & lectionem commodè, & decore patrandas; & quamuis *Molina* §.2. velit tres quadrantes requiri, communis tamen Doctorum ſententia contraria eſt.

Dices: Miſſa ergo non erit breuis; Reſpondeo primò,quò hæc denominatio non eſt abſoluta, ſed reſpectiua, ſiuè comparatiua; quapropter ſicutì nox tempore æſtiuo dicitur breuis, dies longa, vel quia alter reſpectu alterius talis eſt, vel quia nox æſtiua reſpectu hyemalis eſt breuis; & mons dicitur altus reſpectu alterius, & concio breuis, quia ſpatium debitum ſibi moraliter non excedit; concilium longum, quia attentis ijs, de quibus in eo agendum erat nimium tempus ſibi vendicauit; ſic etiam Miſsa,quæ dimidium horæ obtineat non eſt dicenda longa, ſi comparetur primò cum Miſſis Græcorum, aut cum Liturgijs Sanctorum Patrum, quæ durabant quatuor horas; aut comparetur ſecundò cum aliqua concione, quæ tot verba habeat, & tot moras provt habet Miſſa, quia eo caſu breuior erit concione, ſi Concionator voluerit ab Aſtantibus benè intelligi, & tamen tot verba erunt, & tot pauſæ quot ſunt in orationibus miſſalibus, ergò Miſſa comparatiuè accepta non eſt longa; Sed nec abſolutè poteſt dici longa, quis enim opus arduum, actionemque per quam placatur Deus peccatis noſtris operari piè, & conuenientèr minori tempore mediæ vnius horæ poſſe dixerit? Sanè opera grandis æſtimationis breui abſolui nequeunt; Quod autem reſpectiuè, conſideratis nempè compartibus eam componentibus, non poſſit dici longa dubium non eſt: quia in tantùm aliquod corpus dicitur

nimis

nimis longum, aut nimis breue, quando conſiderata mole, & latitudine, aut compartium exigentia comperitur, vel magis, vel minus habens altitudinis, vel latitudinis, quam par eſt. Sic nimis graue, aut leue quando attenta mole, quæ exigit centum libras, v. g. inuenitur tamen, aut octuaginta, aut habere centum viginti; ſed conſiderata in noſtro caſu multitudine orationum, varietate actionũ, grauitateque negotij, facilè cognoſcimus Miſſam ſpatiũ duorum quadrantium plus, minuſue ſibi vendicare, ergò Miſſa durans per mediam horam non poteſt dici longa. Dices quomodo probas minorem? Reſpondeo ſolã Doctorum communem ſententiam ad hoc ſufficere, quamuis mihi ita certa ſit, vt certior eſſe non poſſit, cum ſingulis fermè diebus id experiar; At finge te coram Domino Ieſu, & maieſtate, & iuſta indignatione peccatorum terribili, ſedente in throno eleuato circumſpecto Angelorum cateruis tecum de peccatis mundi, & tuis diſceptante, teque ſupplicem eius implorare clementiam, hoc tibi finge, & cogita num̃ ſpatium duorum quadrantium ad ſatisfaciendum Deo indignato nimis tibi longum videatur.

CAPVT II.

De hora celebrandi Miſſam.

Miſsa ab Aurora ad meridiem celebrari poteſt, vt hìc Rubrica; nomine autem auroræ venit matutinus ille nitor, qui poſt Luciferi ortum illuceſcit in parte Cęli orientali, & paulatìm excreſcens purpureus euadit, erumpenſque in claram lucem tenebras illuminat, & portat initium

tium diei; quapropter nomine Auroræ quamuis communiter accipiatur purpureus fulgor, qui Solis ortum per mediam horam præcedit; Vnde *Virgil. lib. 7. Aeneid.* Aurora in roſeis fulgebat lutea bigis; *& lib. 1. Georg.* Roſcida puniceo Palantias exit amictu: *& Ouid. lib. 3. Metam.* Nubibus eſſe ſolet aut purpureæ Auroræ; in noſtro tamen caſu venit matutinæ lucis, vel crepuſculi principium, ideſt modicus ille nitor vix in Oriente poſt luciferum, vt dictũ eſt, apparens; & docet *S. Thom. par. 3. qu. 83. art. 2. ad 4. Iord. tom. 1. lib. 4. tom. 1. num. 84. & Dian. tom. 2. tract. 1. reſol. 101.* hic verò nitor ſecundùm aliquos Solis ortum præcedit per horæ vnius, & vnius quadrantis ſpatium, iuxtà alios tamen per horam, & quintam tantummodò partem alterius; Verùm vtraque in praxi tuta eſt; nam non phyſicè ſed moralitèr metiendum eſt tempus huiuſmodi, & conſequenter non modo per horã, & quadrantem; verùm etiam per horam, & trientem antè Solis ortum poteſt celebrari Miſſa; ratio eſt, quia exceſſus quadrantis ſuper quintam partem horæ tàm modicus eſt, cum non ſit niſi minutorum trium, vt moraliter pro nihilo reputetur.

Ex dictis ergò poterit Miſſa celebrari vna hora cum quadrante antè Solis ortum; Alij tamen, quos citat Diana ibidem aſſerunt, poſse etiam celebrari Miſsam ità tempeſtiuè, vt ad principium crepuſculi terminetur, cuius ſententiæ eſt etiam Tamburinus *lib. 1. cap. 6. §. 4. num. 2.* ſed cõtra ſtat *Azor. lib. 10. inſtit. moral. ca. 25. q. 6.* & poſt eum *Gauant. par. 1. tit. 15. lib. 9.* poſt *Francol. de hor. Canon.* & *Dian.* ibidem, qui eam dicit minùs probabilem. *Suarez* tamẽ docet *in 3. par. S. Thom. q. 83. art. 2. diſp. 80. ſect. 4. 10. 3.* non peccare Sacerdotem, qui celebrat antè ortum Solis.

vna

vna hora cum dimidia, quod reſpectu Miſsarum breuiorum, quæ vnico quadranti celebrantur coincidit cum priori ſententia Tamburrini, qui poſt alios docet inchoari poſse Miſsam duabus horis antè ortum Solis. Excipiendus eſt etiam caſus neceſſitatis dandi Viaticum moribundo, in quo poterit Sacerdos ſtatim poſt mediam noctem celebrare, etiam abſque licentia Epiſcopi, *Tambur. poſt Layman.* item *Dian. cit. reſol.* 103. *num.* 3. *contra Iord. qui volum.* 1. *lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 101. putat per mediam horam tantùm poſſe anticipari tempus celebrationis. At non eſt recedendum à prioribus. Ratio eſt, quia in concurſu præcepti Diuini cum eccleſiaſtico, diuinum præualet eccleſiaſtico, vt colligitur ex *Rub. par.* 3. *art.* 3. *num.* 5. & docet *S. Thom. cit. quæſt.* 83. *art.* 3. *ad* 4. *Suar. par.* 3. *diſp.* 75. *ſect.* 6. & expreſsè poſt *Nugnum, Dian. de celebr. Miſs. reſol.* 134. & *tract.* 2. *vol.* 2. *in Recent. reſol.* 73. & 74. ſed præceptum de Communione in articulo mortis eſt diuinum *Dian. tract.* 2. *reſol.* 74. *num.* 3. poſt multos Doctores & *Gaſp. Hurtad. de Euch. diſp.* 10. *diff.* 2. & præceptum de hora celebrandi eſt eccleſiaſticum, ergò hoc non eſt ſeruandum in concurſu præcepti de dando viatico.

Polac. par. 1. *cap.* 1. & *Iord. ibid. num.* 87. quærunt, nùm in ijs regionibus vbi tota nocte lucet Aurora poſſit celebrari Miſſa illicò poſt mediam noctem, & reſpondet tutiùs eſſe non celebrare, attamen licitè poſſe; Verùm non placet eius ſententia, ratio eſt, quia ponitur tempus Auroræ pro congruo, & conuenienti ad celebrationem Miſſæ, quatenùs aurora eſt proxima diei, & eſt tempus aptum ad inchoandas actiones tùm publicas, tùm priuatas; in illis autem regionibus vbi tota nocte lucet, non eſt tempus aptum ad operationes hominum diurnas, ergò non licet

cele-

Digitized by Google

celebrare pro omni eo tempore; quòd autem ponatur in Rubricis tempus Auroræ, quia eſt tempus conueniens humanis actionibus, docent *Gauant. in recent.* hìc, *Suar. diſp.*80. *ſect.*4. *Tamb. cit. num.*4. & colligitur ex eo, quia communitèr Aurora extra dicta loca eſt tempus proximũ diei, tempori nempè conuenienti, & apto ad hominum negotia, & opera capeſsenda.

Ad num. 2. Diſtributio, quæ hìc fit à Rubrica ità obſeruanda eſt, vt primò ſi per terræ frigiditatem veniat Populus tardiùs ad Eccleſiam, magis præſtet differre Tertiam, quàm cantare Miſsam poſt Nonam, vt notat *Gauant. poſt Alcocer. ex decreto Sac. Congreg. Rituum*; Secundò, ſi cantandæ ſint plures Miſsæ ob occurſum Feriæ Maioris, v.g. cum Feſto duplici, cantetur Miſsa de Feria poſt Nonam; de Sancto poſt Tertiam, contra vſum aliquarum Eccleſiarum, quæ cantant Miſsam de Sancto poſt Nonam, & ferialem poſt Primam diei. Ratio dicti eſt, quia *par.* 1. *tit.* 3. *num.* 1. *rubr. general.* expreſsè docemur Miſsam de Feſto cantari poſt Tertiam, de Feria poſt Nonam; Ex hac item regula ſi occurrat cum Vigilia Aſcenſionis Feſtũ aliquod, quo caſu cantandæ ſint tres Miſsæ, de Sancto ſcilicèt, de Vigilia, & de Rogationibus; Miſsa tamen Vigiliæ cantatur poſt Sextam, ac ſi eſset Feria per annum, quia quamuis ſit Vigilia, non tamen ieiunatur, & Miſsæ ſolius Vigiliæ habentis ieiunium aſsignatum eſt ex Rubrica hìc tempus poſt Nonam, vt contra *Alcocer.* docet *Gauant. par.* 4. *tit.* 15. *num.* 9. Miſsa verò de Rogationibus poſt Nonam, vt *Rub. gen. par.* 1. *tit.* 3. *num.* 1.

Ad num. 3. Miſsa Defunctorum dicitur poſt Primam diei, quando ſcilicèt; vel dicitur Officium Mortuorum veſperè præcedenti, provt in pluribus Eccleſijs fit, vel

quando

quando eſt aliquod Anniuerſarium Miſsę abſque Officio, quod ſi dicantur Vigiliæ Defunctorum, poſt eas immediatè celebratur Miſſa, vt hìc, & inſuper Rit. Rom. In die autem Commemorationis Defunctorum, provt in tertio, ſeptimo &c. dicitur poſt Nonam, intellige tamen, etſi dicantur manè vigilię, quæ iuxtà præſcriptum *Rubr. Breuiar. die 2. Nouembris* dicuntur immediatè poſt Laudes, & tamen Miſſa adhuc dicitur poſt Nonam, vt habet etiam *Rubr. Miſſ. die 2. Nouembris*, & nos infrà *par. 3. ſect. 3. cap. 3.*

Ad num. 5. Adde etiam Miſſam de Sancto transferendo, & quidem etſi cadat in Vigilijs, & temporibus etiam Pentecoſtes, quo caſu ambæ cantantur poſt Nonam; Nec officit, quod nulla mediet hora inter vtramque Miſſam, quaſi præparatio ad ſecundam, ratio eſt quia Miſſa de Feſto transferendo, ſiuè votiua ſolemnis (ſi huiuſmodi diebus cantanda ſit) nullam habet connexionem cum officio, ergo nullam horam prærequirit quaſi præparatiuam ad ſe, nec enim aſſignatur tempus votiuis ante Nonam, vt ea hora ſit diſpoſitiò ad Miſſam, ſed vt prius perſoluatur officium debitum in Choro, deindè id quod eſt votiuum, vt patet de Miſſa Defunctorum, quæ ſiuè dicatur poſt Primam, ſiue poſt Nonam ſemper celebratur poſt totum perſolutum officium, ideſt eam partem, quæ perſolui debet eo tempore priuſquam diſcedatur à Choro.

CAPVT III.

Quædam de ordine ſedendi, genuflectēdi &c.

ADde ad nu. 1. Rub. Quicumq; tranſiens ante Altare vbi Sacramentum eſt expoſitum pro publica oratione, vel etiam

etiam ſi ſit tantum ſuper Altare in Miſſa à conſecratione vſque ad communionem incluſiuè genuflectit, & quidem ambobus genibus, vt notat *Cerem. lib.1. cap.21.* Excipe tamen Acolythos ferentes Crucem, & candelas accenſas pro inchoandis proceſſionibus; qui neque genuflectunt, neque inclinantur, vt docet *Gau. par.4. tit.9. in num.13. lit.T. Bauld. par.2. cap.14. num.15. Piſc. lib.3. ſect.10. cap.2. num.4. Cerem. Frat. Min. par.1. cap. 14. num. 15.* excipe item Subdiaconum ferentem textum Euangelicum ad Sacerdotem quamuis tranſiret ante Sacramentum expoſitum, vt docet *Bauld. par.3. cap.11. art.6. num.4.* & nos alibi.

Ad num.2. In Miſſis tantum priuatis iubemur genuflectere ad totam Miſſam, quapropter in ſolemnibus eaſdem regulas chori obſeruare poterunt etiam laici, vt docet *Gauant. par.1. tit.17.* in fine, & ante illum, *Craſ. lib.1. cap.23.*

Ad num.3. Genuflectit Diaconus, & omnes poſt illum ad *flectamus genua*, in quatuor temporibus, Sabbatho Sancto &c. & quidem ambobus genibus, vt *par.1. ſect.3. cap.5.* diximus; Modo quærendum eſt, vtrum ad verſum *leuate*, omnes ſurgant poſt Subdiaconum, de quo aliqui dubitauere. Ratio affirmandi eſt, quià per ly *leuate* omnes inuitantur ad ſurgendum, & in hoc ſenſu communiter accipitur hoc verbum; tùm etiam quià *Cerem. lib.2. cap.27.* dicit omnes genuflectere, & omnes ſurgere, & *cap.28.* docet etiam Epiſcopum cum cæteris excepto Celebrante genuflectere, & itidem ſurgere. Ratio negandi eſt, quià in *Rub. hic num.5.* habemus genuflectendum eſſe ad orationes Miſſarum ferialium Quatuor temporum, Aduentus &c. ergo per ly *leuate* non inuitari niſi Diaconum, alioſque Altaris Miniſtros ad ſurgendum ad orationem immediatè

V ſequen-

ſequentē dicendū eſt; Tenendū tamen eſt pro affirmatiua. Ratio eſt quia per ly *leuate* non quæritur eleuatio mentis ad Deum, quod fit per *Oremus* à Sacerdote, vt notat *Gau. par.2.tit.5. in num.1. lit.X.* ſed omninò eleuatio corporis, proùt docet *Cerem. cit. lib.2. cap.27. & 28. & inſuper cap.16.* vbi expreſsè docet, quòd omnes ſurgunt, & quidem per omnes non ſignificantur tantum cuncti Miniſtri Altaris, vt aliqui credidere, ſed inſuper cuncti de choro, tùm quia Miniſtri Altaris ad orationes non genuflectunt, vt docet *Cerem. lib.2. cap.18.* in hac Miſſa, nec in alijs ferialibus, cum cunctæ Miſſæ feriales Quadrageſimæ, & Vigiliarum æquiparentur, & genuflexiones, quæ fiunt in vna etiam in cæteris fieri debeant, ſed tantùm exiſtentes in Choro, vt *Rubrica hic num.5.* & ſtantes in Eccleſia, vt docet Cerem. citatum; tùm quià Epiſcopus nō celebrans, ſed aſsiſtens diuinis ſurgit, vt docet *Cerem. lib.2. cap.28.* quamuis in Miſſis ferialibus Quadrageſimæ; vt habemus in *cap.18.* & Vigiliarum genuflectat vſque ad finem orationum, proùt Clerici de Choro, etiamſi Diaconus, & Subdiaconus non genuflectant, vt *Cerem. ibidem*, ergo (cum Epiſcopus ſeruet eaſdem leges, quas ſeruat Chorus) ſicuti ſurgit Epiſcopus, etiam ſurget Chorus ad orationes de quibus ſupra.

Ad allatam rationem pro parte negatiua reſpondetur, quòd in Miſſis ferialibus genuflectitur, vt monet Rubrica generalis ad eas orationes, quibus non præmittitur *leuate*, per quod omnes ſurgere debent, vt expreſsè docet Cereminiale citatum, & *Rubrica Miſſalis par.2. cap.5. num.5.* Neque dicas in Pontificali *par. 1. de ordinibus conferendis* poſt dictum *Flectamus genua, & leuate*, haberi hanc Rubricam: *deindè conuerſus ad ordinatos genuflexos ſine Mitra*

dicit:

dicit: ergo per ly *leuate* non ſignificari, quòd ſurgant niſi Miniſtri, vt docet Rubrica *par. 2. tit. 5. num. 5.* cum ordinati remaneant genuflexi. Ad id enim reſpondeo, quòd ordinati in collationibus ordinum ſemper genuflectunt ante Epiſcopum non modò in orationibus, verùm etiam in monitionibus, & allocutionibus Epiſcopi ad Clerum, ſiuè ad ordinatos, vt legenti patet, & proindè cum ſemper genuflectant, vt notat Rubrica Pontif. non inuitantur per *leuate* ad ſurgendum, ſed tantum Miniſtri Altaris, & Clerus Eccleſiæ, qui genuflectunt etiam ad *flectamus*; Hoc confirmatur exemplo; in Miſſa priuata quamuis dicatur *leuate* aſtantes non ſurgunt, ſed manent genuflexi, cum ſic remaneant ad totam Miſſam *Rub. hic num. 2.* & cum ſolus Sacerdos genuflexionem fecerit ad *flectamus genua*, ergo à pari cum ſoli Miniſtri Altaris, & Choriſtæ, non autem ordinati, genuflexionem fecerint, ſoli Miniſtri Altaris, & Choriſtæ debent ſurgere à genuflexione.

Inſuper ad verſum, *& Incarnatus eſt* neque Miniſtri genuflectunt ſi ſedeant, ſed vt Celebrans capite aperto inclinantur *Rit prop. Seruor. B. Mariæ de Miſ. ſolem.* & docet, *Gau. par. 1. tit. 17. in num. 3. lit. O. & Bauld. par. 3. cap. 11. art. 7. num. 9. & 11.* & nos alibi, quodſi Acolythi quoque ſedeant in gradu infimo Altaris, vt docet *Gau. hic in num. 7.* ſicuti etiam cenſuit *Sacra Rituum Congreg. in vna Alex. 15. Martij* 1608. ipſi quoque inclinantur vt *Bauld. hic num. 11.* non genuflectunt, vt alibi diximus eſſe etiam in vſu in Cappella Papali.

Ad num. 4. Genuflectunt omnes ad confeſſionem, quæ terminatur ad *Indulgentiam* incluſiuè, niſi ſint Prælati; modo quæritur vtrum etiam Canonici, & Prothonotarij Apoſtolici, ac Abbates titulares comprehendantur in hac Ru-

Digitized by Google

brica *Gau. poſt Cerem. lib.2. cap.8.* reſpondet non comprehendi Canonicos in hac rubrica, & docet, quòd ſi ſint parati ſtant, ſecus ſi non ſint parati, idque ſimiliter docet, *Craſ. lib.2. cap.3.* de Prothonotarijs affirmatiuè reſpondet, & proindè ſtare; intellige tamen, dum gerunt habitum prælatitium, vt docet *Leo in Theſau. for. Eccleſ. cap.2. num.35.* nam in habitu clericali non prælatitio exiſtentes reputantur ſimplices Clerici. Pro Abbatibus titularibus reſpondet, *Tamb. de iure Abbat. tom. 3. poſt diſput.13. praxis Criminal. deciſ.4. & 5.* non habere dignitatem, nec vti poſſe habitu prælatitio, ſed dici Abbates ideò quià eorum ſimplicia beneficia nuncupantur abbatiæ. Cum ergo habitu prælatitio vti nequeant, nec ſint propriè Prælati non comprehenduntur in hac Rubrica, & ideò debent genufleƈtere.

Quæres nùm ſit genufleƈtendum ad orationes Miſſarum Rogationum, cum ſint Miſſæ mæroris, & pœnitentiæ.

Reſpondeo negatiuè, tùm quia non comprehenduntur hæ Miſſæ in hac Rubrica *num.9.* quia, quamuis ſint Miſſæ pœnitentiæ, & mæroris, vt docet *Gau. par.4. tit.11. num.12.* tamen mixtam habent exultationem, vt colligitur ex eodem officio Miſſæ, quod habet ſæpe *Allelluia*, quod non ponitur in officijs Miſſarum de Vigilia, quæ ieiunatur, vt docet *Durand. lib.6. cap.102. num.13.* At dato etiam quòd eſſet Miſſa mæroris, & pœnitentiæ, & quòd pro peccatis fieret, non ſequitur tamen indè, quòd ad orationes ſit genufleƈtendum, aliàs in quibuſcumque Miſſis ſolemnibus, quæ pro peccatis, & pro quacumque neceſſitate celebrarentur in veſtibus violaceis, ſemper eſſet genufleƈtendum, cum tamen Rubrica id non exprimat, nec *Cerem. lib.2. cap.18.* Sed dices: ſunt Miſſæ ieiunio-

rum

Digitized by Google

rum, nam his diebus ſeruare ieiunium iuſſit *Conc. Aurel.* vt etiam nunc in vſu eſt in Ambroſiana Ecclesia; ergo ad orationes eſt genuflectendum. Reſpondeo primò, dies rogationum non eſſe dies ieiuniorum, vt poſt *Amalar.* *docet Gauant. cit.* ſed ſi adhuc eſſent dies ieiuniorum, non tamen eſſet genuflectendum, nam Vigilia Pentecoſtes, & Quatuor temporum poſt Pentecoſtes ſunt dies ieiuniorum & tamen non genuflectimus ad orationes, etiamſi color in veſtibus Miſſalibus ſit violaceus ſaltem in Vigilia Pentecoſtes ante Litanias, ad cuius orationes non fit genuflexio, cum ex propria Rubrica non dicatur *flectamus genua*, prout nec in Miſſis temporum ſequentium, ergò neque in hoc ieiunio, cum non minus includatur hoc in tempore Paſchali, quàm Vigilia Pentecoſtes.

Ad num. 5. Poteſt Celebrans cum Miniſtris ſedere, etiam dùm cantatur à Choro Epiſtola, & Graduale, ſi tempus ſuperſit, vt notat Gauantus poſt Alcocer, & quidem ſemper capite cooperto. At dices: Miniſtri quo ordine ſedent apud Celebrantem, *Caſalius par. 1. cap. 2. lit. B. & par. 3. cap. 40. lit. C.* docet quod pars nobilior in ſedendo eſt læua, quamuis incedendo ſit dexterà, quapropter videretur, quòd Diaconus ad ſiniſtram, Subdiaconus ad dexteram Celebrantis eſſet collocandus. Verùm contrarium tenendum eſt, nempè dexteram non minus in ſedendo eſſe nobiliorem, quam in incedendo, vt colligitur ex *Ceremo. lib. 2. cap. 8.* vti docemur, quòd Epiſcopo ſedente ob concionem Presbyter Aſſiſtens, & Diaconus Euangelij, & ſenior Diaconus aſſiſtens ſedent ad dexteram, ad læuam verò Subdiaconus, & iunior Diaconus aſſiſtens, quapropter Diaconus ſedebit ad dexteram, & Subdiaconus ad ſiniſtram, quòd docent comunitèr omnes.

Vltrà Diaconum, & Subdiaconum, ac Presbyterum Aſſiſtentem, ſi adſint etiam Acolythi omnes miniſtrantes ad Altare, & Ceremoniarius poſſunt ſedere, vbi talis ſit conſuetudo, tum quia ſedent Laici, vt ſupra vidimus, ergo à fortiori quicumque Clericus, tùm quia Epiſcopo, & Cardinali celebrante omnes Acolythi miniſtri poſſunt ſedere, vt docet *Craſ. lib.* 1. *cap.* 4. ergo à fortiori ſedere poterunt Acolythi miniſtrantes in Miſſa ſolemni ſimplicibus Sacerdotibus; tùm etiam, quia *Sac. Congreg. in vna Alexan. vt ſupra ad num.* 3. diximus, ità cenſuit, dummodò ſuper Altare non ſit expoſitum venerabile, & adſit conſuetudo; horũ autem locus eſt infimus gradus lateralis in cornu Epiſtolæ, ſuper quo ſedentes inſpiciant Celebrantem.

SECTIO VI.

CAPVT I.

De Miſſa quæ celebratur coram Sanctiſſimo Sacramento.

PRO Miſſa quæ celebranda eſt in Altari, vbi eſt expoſitum Sanctiſſimum Sacramentum per pauca in Rubricis hinc indè habentur, quæ hìc cum alijs regulis ex Ceremonialibus Epiſcopali, & Papali, nec non inſtructione quadraginta horarum, & ex Doctoribus excerpta ponam.

Pro exponendo ergò Sacramento pro oratione quadraginta hora-

horarum, vel aliâ publica cauſa, Miſſa celebranda eſt de Sacramento, quæ eſt inter votiuas in fine miſſalis, cum *Gloria* tamen, & *Credo*, ac vnica oratione, vt ex Inſtructione dicta ædita ſub Clemente X. Quod ſi hęc expoſitio fieret diebus ſoléníoribus primæ claſſis, ijs nempè, quibus prohibentur votiuæ, vt dictum eſt *par.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 3. ſufficiet commemoratio de Sacramento; ſi verò fiat alijs diebus, quibus votiuæ ſolemnes conceduntur, in Eccleſijs collegiatis duæ Miſſæ cantandæ ſunt, altera videlicèt de Feſto, vel de tempore, proût ſuo loco dicitur, alia de Sacramento poſt Nonam; In Eccleſijs autem non collegiatis vna Miſſa ſolemnis ſufficit de Sacramento abſque commemoratione aliqua Feſti.

Docet Rubrica generalis *par.* 1. *tit.* 17. *num.* 1 genuflectendũ eſſe, quotieſcumque ante medium Altaris tranſire contigerit; vt etiam quando veniendo ad medium Altaris conſiſtendum eſt, vt habet Rubrica in Feria ſexta in paraſceue, & *Cerem. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 26. & quando ad Altare, vel ante illud etiam in aliquod latus venitur ab alio loco, quamuis ad medium peruenire non debeant, vt poſt *Cerem. Cleric. Regul. Min. docet Bauld.* faciendum, & etiam Sacramento in tabernaculo poſito *par.* 1. *cap.* 17. *num.* 29. & Sacramento patente *par.* 3. *cap.* 11. *art.* 8. *num.* 11. & *Piſc. lib.* 1. *ſect.* 4. *cap.* 1. *num.* 15. 16. 23. & ob paritatem rationis recedentes à medio vt docet *Cerem. lib.* 2. *cap.* 23. Quando autem venitur ad medium Altaris, vbi parùm immorandum eſt, genuflectendum eſt in acceſſu, & receſſu, quòd fieri debet, v. g. *ad Placeat* &c. *Munda* &c. *Oremus* &c. vt colligitur ex *Cerem. lib.* 1. *cap.* 21. vbi habemus Canonicos venientes ad circulum pro dicendo *Agnus Dei* genuflectere bis, ideſt ante, & poſt dictos verſus; & *lib.* 2.

Digitized by Google

*cap.*8. vbi docemur, Presbyterum Aſſiſtentem accipientem pacem genuflectere Sacramento ante, & poſt oſculum.

Item ex Rubrica in Feria quinta, & ſexta maioris hebdomadæ, & ex *Cerem. lib.*2. *cap.*26. 25. 23. circulum non perficiendum, quando Sacerdos ſe ad Populum conuertit, ſed per eandem viam reuertendum eſſe ad medium, ſeù ad eam partem, quò eundum eſt; Non ſignari item Altare ad initium poſtremi Euangelij (contra id, quòd docet *Marcel. lib.*2. *ſect.*1. *cap.*44.) cui addit *Gauant. poſt Miſſal. Ambroſ. par.*4. *tit.*19. *num.*13. neque aſpergendum eſſe aqua luſtrali diebus Dominicis, cum ſit ſolemnis aſperſio ante horam Tertiam.

In Miſſis ſolemnibus non eſt ſedendum, vt alicubi quàm laudabiliter obſeruatur, quod docet etiam *Cerem. lib.*2. *cap.*33. imò contrarium iubet *lib.*1. *c.*12. omninò; concedi tamen poſſe ob Miſſæ longitudinem videtur, *Gauanto par.*2. *tit.*4. *num.*7. *lit.* N. ſed contrarium tenendum eſt, tùm propter vſum vrbis, vt ipſe dicit, tùm propter regulam Ceremonialis, tùm ob reuerentiam, quæ debetur Deo præſenti; nec obſtat (vt aliqui dicunt commodis ſuis nimium indulgentes), *Cerem. lib.*2. *cap.*33. concedere, vt exiſtentes in choro ſedeant, aperto tamen capite, dùm dicunt Matutinum, & Laudes; non obſtat inquam, quia quòd hìc conceditur officium facientibus prohibetur *lib.*1. *cap.*12. Miſſam Celebranti. Aperto item capite procedendum eſt ab eo loco vbi apparet Sacramentum, & recedendo ab Altare vſque ad eundem locum, vt colligitur ex *Cerem. lib.*2. *cap.*33.

Regulæ thurificationis hæ ſunt. Ponitur thus in ignem ſtando, vt habet Rubrica Feriarum quintæ in cœna Domini

mini

mini, & Paraſceue, & *Cerem. lib.* 1. *cap.* 23. *lib.* 2. *cap.* 25. 33. & quidem Celebrans id facit conuerſus ad cornu Epiſtolæ, ad quòd aliqui appropinquandum contendunt, ne à ſtante in medio incenſum ponatur in thuribulum, quòd tamen irreuerentiam non habet, vt ipſi putant, ſicuti non præſefert irreuerentiam vinum accipere in calice pro ablutione, & ponere incenſum in medio ſtando in plano, vt docet *Cerem. lib.* 2. *cap.* 25. Sacramentum autem incenſatur genibus flexis, demum Altare, & quidem præmiſſa thuris benedictione *Cerem. lib.* 1. *cap.* 23. An verò fiat generalis omnium incenſatio in choro, & Eccleſia, quamuis dictum ſit *par.* 1. *ſect.* 3. *cap.* 3. & ideò videatur ſuperfluum id repetere; reſpondeo tamen affirmatiuè, vt docet *Marcel. lib.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 15. vbi etiamſi expreſſe dicat, tantùm de Papa, & Celebrante, ob paritatem tamen rationis idem dicendum eſt etiam de cœteris, vt Doctores tradunt abſq; controuerſia, & in Baſilica S. Petri ſeruari, vidi hoc anno 1681. in Veſperis in Feſto Corporis Chriſti.

Vtrum Crux relinquenda ſit ſuper Altare, alibi dictum eſt vbi de Altari egimus *par.* 1. *ſect.* 4. *cap.* 1. an verò pro thurificatione, quæ in Miſſa fit, omitti debeant oſcula, ſatis diximus ibidem, cui conſonat etiam *Cerem. Cleric. Regul. Congreg. S. Saluatoris Ord. S. Auguſt. cap.* 42. *&* 47. vbi tutius eſſe ea omitti diximus, id tamen dictum ſit tantummodò reſpectu thurificationis, non pro tota Miſſa, in qua conſtat identidem oſculandas eſſe manus Celebrantis, & alia oſcula figi etiam Sacramento præſente rebus Sacerdoti tradendis.

Ex his regulis facilè vnuſquiſque colligeret, quæ agenda, quæue omittenda ſint, verùm vt clarius id innoteſcat, ſingula per ordinem placuit exarare.

Illud autem in primis noto contra vſum huius Ciuitatis no-

ſtræ non facilè eſſe celebrandas Miſſas, non modo priuatas ad dictum Altare, vt monet *Cerem.lib.1.cap.12.* ſed etiam ſolemnes præter eam, quæ immediatè præcedit finem publicæ orationis,vt habent inſtructiones quadraginta horarum in Actis Med.Eccleſiæ, & Romanæ ſub Clemente X. quòd ſi contingat ex aliqua iuſta cauſa aliquando in dicto Altari priuatas celebrari,hæc erunt obſeruanda. Primò Miſſa erit de die niſi talis ſit, qui votiuas admittat, quo caſu ſi officium Miſſæ erit de Sacramento, non erit tamen dicendus hymnus Angelicus, vt aliqui volunt. Veniens Celebrans ad Altare,caput aperit traditque birretum Miniſtro, vt primùm peruenerit in conſpectum Altiſsimi; genuflectit deindè ante infimum gradum in plano ambobus genibus, & caput ac humeros profundè inclinat, tùm ſurgit, aſcenditque ad Altare, & deponit calicem; tùm genuflectit, ac extractum corporale de burſa explicat in medio, & locata burſa ad cornu dexterum ponit calicem ſuper corporale, & genuflectit, mox vadit ad miſſale, quod aperit adaptans eius ſignacula, deindè rediens ad medium iterum genuflectit, & ſurgens deſcendit, quaſi per latus Euangelij, ne terga Sacramento vertat, genuflectitque iterum in plano vnico genu, & ſurgens inchoat miſſam. Confeſſione peracta, & dicto *Oremus*: aſcendit ad Altare vbi genuflectit poſtquam fuerit illud oſculatus in medio, & iterum peracta ſecunda oratione priuſquam ad librum lecturus Introitum accedat. Repetito Introitu rediens ad medium genuflectit tùm dicit *Kyrie*, & hymnum ſi dicendus ſit, ac oſculatur Altare mox genuflectit, & ſurgens conuertitur ad Populum,ſed quaſi in cornu Euangelij, vt exprimit *Cerem.lib.2.cap.23.* & reuerſus ad medium, iterũ facit reuerentiam, & pergit ad dicendam Epiſtolam;

Lecto

Digitized by Google

Lecto tractu, vel graduali vadit ad medium vbi genuflectit ante, & poſt *munda cor meum*, ac oſculato textu Euangelico idem præſtat, ſiuè dicturus ſit *Credo*, ſiuè *Dominus vobiſcum*, pro quo regula iam tradita reſeruanda eſt.

Facta panis oblatione genuflectit prius, quàm ad cornu ſiniſtrum accedat ad infundendum vinum; vino, & aqua infuſis reuerſus ad medium prius genuflectit, deindè accipit calicem, illumque offert, & dicto, *Veni ſanctificator* &c. genuflectit, & vadit extra Altare, vt ſupra dictum eſt, ad lauandas manus, iterumque reuerentiam facit ad medium reuerſus; Dicturus, *Orate fratres*, genuflectit, & conuertitur ad Populum eo prorſus modo, quem diximus ſeruari ad *Dominus vobiſcum*, non perficit tamen circulum, ſed redit ad medium, vbi iterum genuflectit, cætera de more vſque ad communionem incluſiuè.

Sumpta Calicis ablutione priuſquàm vadat in cornu Epiſtolæ ad abluendos digitos genuflectit, quod iterum præſtat reverſus ad medium, poſito prius Calice in altari, tergendo digitos; aptato paritèr Calice priuſquàm diſcedat ad legendum communionem, & ea lecta, reuerſus ad dicendum, *Dominus vobiſcum*, genuflectit, ſeruans, quod de primo diximus, quod item ſeruabit ad *Ite miſſa eſt*; Si autem dicendum ſit, *benedicamus* Domino, conuerſus ad Altare, illicò genuflectit, mox ſurgens ſtans manibus iunctis dicit *benedicamus* &c. genuflectit paritèr ante benedictionem, quam dat ſtans quaſi non in cornu Epiſtolæ, vt fieri poſſe docet *Cerem. Canon. Regul. Cong. S. Saluat. Ord. S. Auguſt. cap.* 26. & inſuper *c.* 42. ſed vt dicit Rubrica in cornu Euãgelij, cui poſtea conuertens ſe, non tamen perficiendo circulum, abſque alia genuflexione dicit, *Dominus vobiſcum*, & ſignans librum digito, vel ſi eo non vtatur, ſignans tã-

túm ſe ipſum dicit Euangelium, genuflectit autem verſùs Sacramentum ad *Verbum caro* &c. prout etiam in Euangelio priori, ſi caſus ferat, & in Epiſtola, puta, *In nomine Ieſu* &c. vt in miſſa de paſſione Domini; vel, *procidentes adorauerunt eum*, vt in Epiphania; Reuertitur deindè ad medium, vbi, priuſquàm velum reflectat Calicis, genuflectit, quod iterum præſtat in plano ambobus genibus, ad quod deſcendit quaſi per latus Euagelij, ac demum aperto capite diſcedit vſque extra cancellos, vbi caput operit cum primùm fuerit extra proſpectum Sacramenti, ſumpto de manibus Miniſtri bireto. Hæc de priuata, modò de ſolemni.

Sacerdos, & Miniſtri facta confeſſione (nam in acceſſu ſeruanda ſunt, quæ in priuata) aſcendunt ad altare, vbi omnes genuflectunt ſimul, dicto *quorum* Reliquiæ *hic ſunt*; & dicta ſecunda oratione; tum ſtans Sacerdos in eodem loco, conuertit ſe ad latus Epiſtolæ, & accipiens cochleare de nauicula à Diacono ſibi porrecta, imponit incenſum in thuribulum ſuſtentatum à Thuriferario, qui aſcendit ad latus dexterum Sacerdotis, Diacono ſe parum ab altari retrahente, vbi genuflectit Sacramento antequàm det Diacono nauiculam, & iterum ea recepta priuſquàm diſcedat; incenſatur deindè Sacramentum à Celebrante, qui abſque alia genuflexione deſcendit cum Miniſtris ad ſecundum gradum altaris, & genuflexus in ora ſuppedanei, accepto de manibus Diaconi Thuribulo, incenſat Sacramentum cum profunda humerorum inclinatione ante, & poſt, eleuantibus partem poſteriorẽ interim planetæ Diacono, & Subiacono, tum reddit Thuribulum Diacono, aſcenduntque ad altare, vbi iterum genuflectunt, & fit incenſatio more ſolito, excepto quòd Celebrans incenſatur

extra altare, vt dixi in *par.3.ſect.2.cap.3.*

Thurificato Celebrante, redeunt omnes ad cornu Epiſtolæ, vbi ex libro legit introitum, facta prius genuflexione; Volunt aliqui accedere ad medium Sacerdotem cum Miniſtris, vt faciat genuflexionem, alij volunt ſiſti omnes in cornu Epiſtolæ abſque genuflexione, quia non accedunt ad medium, ſed neutrum faciendum eſt, primum enim eſt ſuperfluum, ſecundum deficit, ſed in dicto cornu genuflectendum eſt; Lecto introitu, dictoque *Kirie*, vadunt ad medium Altaris, ibique omnes genuflectunt, cætera de more fiunt vſque ad hymnum peractum à Choro; tunc enim genuflectunt, & deſcendunt poſt Celebrantem, à quo dicto, *Dominus vobiſcum*, iterum cum Sacerdote genuflectunt omnes, & ad orationes procedunt in cornu Epiſtolæ.

Dictis orationibus, Diaconus, & Subdiaconus omnia omninò peragunt, vt communitèr fit, lecto autem Euangelio à Sacerdote dum ſe conuertit ad Diaconum, tum pro incenſo imponendo, tùm pro benedictione danda eidem Diacono, nullam reuerentiam facit Sacramento, quia hæc peragit in cornu Euangelij, non minus ac fiat conuerſio in eodem cornu data benedictione in fine, poſt quam vtique nullam facit genuflexionem; cantato Euangelio, Subdiaconus aſcendit per gradus ad altare, nulla facta Sacramento reuerentia, & dat oſculandum Sacerdoti Euangelium, tùm deſcendit in planum, vbi cum alijs tunc genuflectit, Diaconus Sacramentum veneratus retrahit ſe parum contra cornu Euangelij, itaut ſit inter illud, & medium Altaris, vbi Sacerdotem incenſat ſtantem ſupra gradus, non deſcendentem in planum, quia humeros Sacramento non conuertit, vt antecedentèr feciſſet,

tùm

Digitized by Google

tùm dicitur *Credo*, in quo ſeruantur, quæ dicta ſunt de *Gloria*, excepto quòd ad verſum, *Et incarnatus eſt*, genuflectunt in ſupremo gradu dum cantatur à Choro, nulla præmiſſa reuerentia cum diſcedunt ab Altare, neque cum à genuflexione ad Altare reuertuntur; Diaconus tamen vadens ad accipiendum Corporale genuflectit, quod item reuerſus præſtat, priuſquàm Burſam deponat, Sacerdos, & Subdiaconus ei aduenienti locum cedunt, facta priùs reuerentia, & redeunt ad medium iterùm genuflectendo.

Dicto, *Dominus vobiſcum*, Subdiaconus cum genuflexione procedit ad credentiam, reuerſuſque cum Calice, reuerentiam facit, quod præſtat etiam Acolythus ampullarum priuſquàm gradus aſcendat, & priuſquàm deſcendat, cùm ab Altarè diſcedit, Subdiaconus accepta patena priùs genuflectit, tùm deſcendit in planum, & iterùm genuflectit, vt in ſimili docet Rubrica *par. 2. tit. 9. num. 4.* quod fit præſente Sacramento: Pro incenſatione oblatorum impoſito thure modo ſupradicto Sacerdos ad altare conuerſus non genuflectit, quia imponens incenſum in Thuribulum id fecit ſtans in medio, & locum non mutauit, vt *Piſc. lib. 3. ſect. 10. cap. 3. num. 3.* & docet *Guant. & Bauld.* ſed accepto thuribulo incenſat oblata, tùm abſque genuflexione præuia deſcendit ad primum gradum, vt dictum eſt, incenſat Sacramentum, tùm Altare &c. & incenſatur ipſe à Diacono, qui poſteà genuflectens vadit ad incenſandum Chorum, Sacerdos autem lauat manus miniſterio Acolythorum, qui non genuflectunt Sacramento accedentes ad Sacerdotem, cum ſint veluti extra conſpectum Sacramenti, & proximi Celebranti; Diaconus thurificato Choro redit ad Altare, ante quod in plano ſtans contra cornu Epiſtolæ facta priùs genuflexione, incenſat Subdiaconum,

qui

Digitized by Google

qui propterea cum reuerentia vadit extra cornu Euangelij, de quo redit incenſatus ad medium, & genuflectit; tùm Diaconus facit reuerentiam, & retrahit ſe extra cornu Epiſtolæ, vbi à Thuriferario incenſatur, quo ad Acolythos procedente vadit ipſe Diaconus ad ſecundum gradum cũ genuflexione; ſi dicatur præfatio.

Miniſtri accedentes ad latera Sacerdotis v. g. ad dicendum *Sanctus* faciunt genuflexionem in loco ſuo priuſquam accedant, nec aliam faciunt cùm peruenerint ad Altare, vt colligitur ex *rub. gen. par.* 2. *tit.* 10. *num.* 8. quæ agit de reuerentijs Sacramento in Altare exiſtente.

Diaconus dicturus *Ite Miſſa eſt* genuflectit antequam ſe ad Populum conuertat, pro conuerſione tamen ſeruat, quæ diximus de Celebrante, & reuerſus ad medium iterùm genuflectit. Accepta benedictione ſurgunt, & vadunt abſque reuerentia ad cornu Euangelij vbi Celebranti aſſiſtunt legenti, ad *Verbum caro* genuflectunt omnes Sacramento: Reuerſi ad medium faciunt genuflexionem, & cúm in planum peruenerint ambobus genibus reuerentiam faciunt cum inferioribus Miniſtris, & acceptis biretis diſcedunt capite aperto, quod tegunt cùm extra Presbyterium, vel extra conſpectum Sanctiſſimi Sacramenti peruenerint.

Si Sacramentum reponi debeat finita miſſa, ſeruentur ea, quæ infra traduntur *par.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 2. Hoc vnum tamen moneo, quod multis in locis ignorari perſpicuum mihi eſt, nempè, quando fit aliqua ſolemnis expoſitio Euchariſtiæ pro defunctis, neque Altare, neque Celebrantem, aut miniſtros, nigris amictibus velandos, ſed albis, & Altare feſtiuo apparatu, vt benè monet *Cerem. Cleric. Regul. S. Pauli*, quod omninò ſeruandum eſt, etiamſi parietes nigris aulæis ſint cooperti, ſicuti feria ſexta hebdomadæ maio-

ris

Digitized by Google

ris tota Eccleſia denudata, & Altare maiore nigrum palliũ habente, Altare tamen, in quo Sacramentum ſeruatur, ornati albis debet, vt habet *rub. in fer. 6. Cerem. lib. 23.* & velum humerale, ac baldachinum pro proceſſione feriæ ſextæ albi coloris ſunt, quamuis veſtes Sacerdotis pro miſſa ſint nigri, vt de velo docet *Cerem. lib. 2. cap. 24.* & de vtroque *Gauant. par. 4. tit. 9. in num. 13. lit. X. Z.*

CAPVT II.

De Miſſa, quæ cantatur coram Epiſcopo in Diœceſi.

Contingit ſæpè Antiſtites, ſiue in viſitatione, ſiue alijs in ſolemnitatibus accedere ad Eccleſias Parochiales extra Ciuitatem, vbi Miſſis ſolemnibus abſque Canonicis aſſiſtunt Pontificalitèr, pro his ergo, cum nulla ſit in Cerem-oniali regula, viſum eſt hìc ponere ea, quæ hincinde collecta ſunt, vt faciliùs hæc actio dirigatur.

Parandum itaque primò à latere dextero Altaris, ſi ſitus loci id patiatur, Tribunal, ſiue ſedes Epiſcopalis alta à ſolo tribus gradibus, tapetibus vndique cooperta; Ipſa ſedes cúm poſtergali velatur panno ſerico, eique ſuperappenditur vmbella quadrata concolor veſtibus Celebrantis, & Altaris, dummodò alia vmbella ſit ſuper Altare, non alitèr, vt habet *Cerem. lib. 1. cap. 13.* Si aliquis Canonicus eſſet cum Epiſcopo, collocandum eſſet à latere dextero Epiſcopi extra gradus anteriores ſedis ſcamnum nudum, ſi duo eſſent; duo ſcamna propè parietem, ſi tres, tria itidem ſcamna, duo propè parietem à lateribus ſedis, aliud ante infimum gradum anteriorem in parte dextera. Si nullus ſit Canonicus nulla

nulla ponatur ſedes, niſi Prælatus velit aliquem cum Parocho loci honorare, & habere hinc inde ſibi aſſiſtentes. Ante gradus Altaris collocetur ſaldiſtorium cum puluinis, & operimento eius coloris, quem exigit Miſſa, vel aliud genuflexorium, quod facilè amoueri poſſit; In latere Epiſtolæ ſcamnum oblongum, & credentia, vt mos eſt. Si autem Epiſcopus velit ſacris indutus Miſſæ intereſſe, parentur ſuper Altare pluuiale explicatum, ſubtus verò formalium, ſiue gemma, aut ornamentum pectorale, ſtola, cingulum, crux pectoralis, alba explicata, amictus, mitra proſtrata, anulus pretioſæ capſulæ incluſus, quæ omnia velo pretioſo cooperiantur, baculus verò paſtoralis, vel ponatur apud credentiam, vel in loco proximiori ſedi Epiſcopali; Liber miſſalis, & argenteum inſtrumentum, quod bugiam dicunt, in credentia collocata erunt.

Cùm Epiſcopus venturus eſt ad Eccleſiam debent Presbyteri loci in habitu chorali accedere ad eum locum à quo Prælatus eſt deducendus, niſi maximè diſtaret, quo caſu, vel extra portam Eccleſiæ, vel in alio loco deſignato eum exciperent; In acceſſu, & receſſu ab Eccleſia cuncti Clerici Epiſcopum præcedunt, vt docet *Gauant. in Syn. par. 2.* Canonici ſequuntur. Superior Cleri cum debita reuerentia, ideſt genuflectens, aſperſorium aqua luſtrali madidum in porta deoſculatum tradit Epiſcopo, cuius item manum oſculatur, à quo omnes aſperguntur interim genuflexi, tùm aſperſorium recipit cum oſculis, & genuflexione (vbi enim Canonicus inclinat Clerici non Canonici genuflectunt, vt habet *Cerem. lib. 1. cap. 16.* etiamſi ſint Parochi *Gauant. de Synodo par. 1. cap. 5. num. 6.* immò etiamſi ſint Canonici Collegiatarum, niſi immemorabilis conſuetudo obſtet, vt ſtatuit Sacra Rit. Congregatio apud *Bauld. par. 5.*

Digitized by Google

cap. 9. art. 2. nu. 20. ex libro 2. Cerem. & vt habent *Acta Mediol. Eccleſ. in inſtruct. proceſſionum*) deducunt deinde Prælatum ad Altare, coram quo genuflectunt priuſquam Epiſcopus, vt orent, & poſt eum ſurguut, eique abeunti ad ſedem, ſi induatur; faciunt reuerentiam, aut redeunt in chorum ad loca ſua.

Interim aufertur faldiſtorium per aliquem Acolythum, & portatur ad latus Epiſtolæ ad locum conuenientem, alij duo tollunt velum ab Altare, & portantur ſacræ veſtes ad Epiſcopum, qui depoſita cappa induitur ſtans à dignioribus tùm ſedens accipit mitram, & cùm tempus fuerit accepto baculo paſtorali deſcendit in planum ante Altare medius inter duos ſeniores fimbrias anteriores pluuialis eleuantes; Celebrans à ſede ſua cum Miniſtris deſcendit capite aperto ante Altare, vbi facta reuerentia vadit ad latus eius ſiniſtrũ, paululùmq; retrò eum ſtat, Miniſtri verò Sacri ad latus dexterum, ſed poſt Epiſcopum; Prȩlatus depoſito baculo paſtorali, ac mitra, & ſubbireto recedentibus ſenioribus poſt Miniſtros vbi genuflectunt inchoat Pſalmum, & facit confeſſionem reſpondentibus Celebrante, necnon cæteris, hi tamen humiliori voce, prout ſupra diximus *par. 2. ſect. 3. cap. 3.* Dicto *Indulgentiam* ſurgunt omnes, Celebrans ſe retrahit, vt cedat locum Epiſcopo abeunti, Senior autem miniſtrans Prælato accedens ante illum imponit ei ſubbiretum, & mitram cum debitis genuflexionibus; Miniſtrans baculum à ſiniſtra illud offert Epiſcopo, qui facta Altari inclinatione vadit ad ſedem eo modo, quo venerat vbi cæteris ſtantibus ſedet, & baculum deponit; Celebrans autem medius inter Miniſtros accedit ante infimum gradum Altaris, & dicit *Deus tu conuerſus &c.* & aſcendit more ſolito ad Altare cum Subdiacono à ſiniſtris vbi ſtat finita ſecunda

ora-

oratione quoaduſque allatum fuerit ei thuribulum.

Intereà Acolythus thuriferarius cum nauicula, & igne vadit cum Diacono ad Epiſcopum, qui imponit in thuribulum incenſum deſumptum ex acerra, quam Diaconus tenet eleuatam ante pectus ſtans à dexteris Prælati; benedicto thure ſurgit Acolythus (nam genuflexus ſuſtentat thuribulum) accipit acerram à Diacono, & abeunt facta Epiſcopo genuflexione, ſenioribus autem inclinatione, reportantque thuribulum ad Altare, quod deinde offert Celebranti, ſed omninò ſine oſculis, vt habet *Cerem. lib. 1. cap.* 18. Incenſato Altare thurificatur duplici ductu cum debitis inclinationibus, dummodò Epiſcopus habeat mitram, quia ſi mitram non habuerit ſicuti Epiſcopus non thurificatur, vt docet *Cerem. lib. 1. cap.* 23. quidquid contra dicat *Incarnati par. 2. tit. de Miſs. quæ coram Epiſcopo*, neque thurificandus eſt Celebrans, vt tradit *Gauant par. 2. tit. 6. num. 5. lit. E. & Craſ. lib. 2. cap. 24. & Bauld. par. 5. ex lib. 2. Cerem. cap. 9. art. 2. num. 4. & 9.* Incenſato igitur Sacerdote Diaconus vadit cum Acolytho, qui geſtat thuribulum, ad Epiſcopum, cumque facta genuflexione thurificat ſtantem cum mitra, vel ſi adſit Canonicus dat ei thuribulum ſine oſculis, & cum eo reuerentiam facit Epiſcopo ante, & poſt, & reuertitur ad Altare vbi aſſiſtit ad Introitum Celebranti; ſi autem Epiſcopus velit incenſari à Parocho ſibi aſſiſtente veniet nihilominus Diaconus, & tradit illi thuribulum, ſed pro imponendo incenſo miniſtrabit ſolus Parochus, nec Diaconus diſcedet ab Altare.

Incenſatione Epiſcopi facta iunior aſſiſtens detrahit ei mitram cum debitis genuflexionibus, & ſenior ſubbiretum, quod complanatis capillis apud ſe tenet; Miniſtri libri, & candelæ veniunt ad Epiſcopum, qui ſurgens legit Introitum,

& dicit *Kyrie* cum Miniſtris dum Celebrans ad Altare idē præſtat, recedant deinde Miniſtri, Celebrans autem cantat *Gloria in excelſis*, quem proſequitur, cum Diacono & Subdiacono dum Epiſcopus idem facit cum Canonico, vel Senioribus ſibi aſſiſtentibus, & Miniſtri bini, & bini eundem ſubmiſſori voce proſequuntur; notandum tamen eſt, quòd etiamſi multi Clerici digniores ſederent cum Epiſcopo ante Altare non faciunt tamen circulum ad *Kyrie, Gloria &c.* vt eadem cum Prælato proſequantur, quia circulum ſoli Canonici faciunt, neque ad illum accedere poteſt Vicarius Gen. vt docet *Gau. in Man.* V. *Canon. erga Epiſc.* ratio eſt quia circulus denotat mēbrorū vnionem vt *Sac. Congr. Rit.* 31. *Ianuarij* 1561. quam Epiſcopus non habet, etiam cum Canonicis Collegiatarum ſiquidem eorum propriè non eſt caput. Hymno peracto vadit Celebrans per breuiorem viam ad ſedendum dum Epiſcopo ſedenti imponitur mitra, Clerici omnes miniſtrantes, quamuis decentius ſtarent poterunt tamen ſedere in infimo gradu Sedis Pontificiæ, ſed capite aperto vt habet *Craſ. lib. 7. cap. 4. Bauld. par. 5. ex lib. 2. Cerem. cap. 8. num.* 19. & vt colligitur *ex Cerem. lib.* 1. *cap.* 18. quoadúſque finiatur hymnus à choro.

Circa finem hymni ſurgunt omnes Miniſtri, & Celebrans cum Miniſtris reuertitur ad Altare per viam longiorem ſe inclinans Epiſcopo, & ſalutans chorum circumſtantem; cum dicitur *Dominus vobiſcū* aufertur Epiſcopo mitra, qui ſurgens ſtat vſque ad concluſionem poſtremæ orationis, tum ſedet, & imponitur ei mitra, Subdiaconus autèm comite Ceremoniario genuflectens Altari, & Epiſcopo cantat Epiſtolam, eaque finita accedit ad ſolium Epiſcopale vbi genuflexus librum clauſum tenens per angulos inferiores

riores ſuperiorem eius partem deflectit, & ponit ſuper genua Epiſcopi, ac oſculatur in parte exteriori eius manũ ſuper librum poſitam, tùm deſcendens inplanum cum debita reuerentia Prælato, & Altari vadit ad ſuum miniſterium circa Celebrantem:Interìm Miniſtri de libro, & candela accedunt ad Antiſtitem, qui ſedens cœteris ſtantibus legit Epiſtolam, & Euangelium cum intermedijs,Graduale videlicet, cum tractu, & verſu ac *munda cor meum*, dum à Choro cantatur Graduale &c.

Diaconus, vel dum Celebrans vadit ad legendum Euangelium, vel propè finem cantus chori, vbi ſedetur, accipit librum Euangeliorum, & per planum incedens portat illud ad Altare, ſuper quod illud deponit, & vadit ad oſculandam manum Epiſcopi à quo imponitur, vt ſupra, incenſum accedente Acolytho eiuſdem Diaconi miniſterio,tùm reuertitur ad Altare vbi more ſolito dicit M*unda cor meũ*, tùm vadit ad latusCelebrantis legentis Euangelium vſque ad eius finem, vel ſi iam lectum ſit,aſcendit gradus accipit librum, & cum Subdiacono, & Ceroferarijs reuertitur ad Epiſcopum, coram quò cuncti genuflectunt vſquequò Diaconus benedictionem acceperit: Si adſit Canonicus, vel miniſtret thura ſenior aſſiſtens Thuriferarius accedit cum Thuribulo poſt oſculum manus, & miniſtrat:Diaconus accepta benedictione vadit ad locum conuenientem vbi incipit cantare Euangelium, attendat tamen ne terga vertat Subdiaconus, & Ceroferarij Prælato, vt benè notat *Cerem. Cler. Regul. S. Pauli lib.*1. *cap.*4. quia in tali caſu vel potius exeundum eſſet ex Presbyterio, vt notat *Craſ. & Lonner*, *& nos lib.*2. *ſect.*3. *cap.*2. vel à latere dextro Epiſcopi cantandum eſſet, vt colligitur ex *Craſ. lib.*1.*cap.*49.Epiſcopus cum dicitur *Dominus vobiſcũ* depo-

ſita mitra ſurgit, & accepto baculo manu ſiniſtra ſignat ſe in fronte &c. dum dicitur *ſequentia &c.* tùm iungit manus habens baculum inter vtramque vſque ad finem; Finito Euangelio Subdiaconus librum apertum portat Epiſcopo & abit, neque tangit manu idem miniſter textum Euangelicum, aut eum oſculatur, vt tradit Incarnati loco citato. Interim Acolythi genuflectunt Epiſcopo, & Altari, & abeunt, Diaconus autem cum Thuriferario vadit ante Epiſcopum, quem ſtantem adhuc incenſat ſine mitra cum baculo, quem illicò deponit, & Diaconus reuertitur ad Altare; Notandum tamen eſt quòd ſi Epiſcopus geſtet cappam amplam non pluuiale, neque ille, neque Celebrans debet thurificari qui neque dicit *per Euangelica &c.* quia dicitur ab Epiſcopo oſculato textu.

Dum fit incenſatio, vel priùs accedit Celebrans à cornu Epiſtolæ ad medium, quò cum Diaconus acceſſerit intonat *Credo* ſi dicendum ſit, quod ipſe cum ſuis, & Epiſcopus cum aſſiſtentibus proſequitur, vt dictum eſt de hymno, genuflectunt omnes cum dicunt, *Et incarnatus eſt &c.* in fine ſignant ſe, ſedet deindè Epiſcopus, & cœteri, prout ſupra; Ad verſum *& incarnatus* omnes profunde caput inclinant, & humeros ad Altare, ſi ſedeant etiàm Miniſtri inferiores, prout habet *Bauld. par. 3. cap. 11. art. 6. num. 11.* Miniſtri tamèn prius genuflectant Epiſcopo priuſquã ſedeant, vt Miniſtri Celebrantis ei priùs inclinantur.

Peracto per chorum Symbolo accedit Celebrans ad Altare, & Epiſc. ſtante cum mitra, vt obſeruatur in cappella Papę, dicit *Dominus vobiſcum, & Oremus*, tum legit ex libro per Miniſtros ante ſe allato ſedens offertoriũ, deindè benedicit ampullã aquæ à Subdiacono ad Altare genuflexo in dextera eleuatam dicente *Benedicite Reuerendiſſime Pater,*

ter, ex qūa deinde idem ſurgens aliquas guttulas vergit in Calicem.

Facta calicis oblatione Diaconus vadit cum Thuriferario ad Epiſcopum, per quem impoſito incenſo redit ad Celebrantem, & fit Altaris, tùm Sacerdotis, deindè Epiſcopi iuxta modò dicta thurificatio,& hoc loco nunquam omittitur quia poſt eos cuncti incenſantur vnico ductu thuribuli, niſi adeſſet Canonicus, qui duplici gaudere debet.

Dum incipit Sacerdos præfationem Epiſcopus ſurgit mitra prius depoſita & ſtat manibus iunctis vſque ad finem, dicens cum duobus Senioribus, vel Miniſtris *Sanctus &c.* dum idem cantatur à choro non tamèn percutiens pectus dextera,ſed ſignās ſe in fine, eleuāte Seniore à dextris fimbriam anteriorem pluuialis. Tum ſedet, & accipit mitrā, ac tenens ſiniſtra baculum deſcendit in planum ante gradus Altaris,ad faldiſtorium ibidem à Miniſtro paulò ante locatum vbi depoſito baculo, & mitra genuflectit aptantibus duobus ſenioribus fimbrias anteriores pluuialis ſuper faldiſtorium, Subdiaconus autèm ſtabit retrò poſt Epiſcopum genuflexus Acolythi cum intortitijs deſcendunt, vel in planum, & genuflectunt poſt Epiſcopum, vel ſtant ad latera Altaris faciebus inuicem ſibi verſis. Facta eleuatione ſurgit, & accepto baculo genuflectit non habens mitram, vt docet *Marcel. lib.2. ſect.1. cap.14.*& colligitur ex *Cerem. lib.1. cap.12. contra Bauld. par.5. ex lib. 2. Cerem. cap.9. art.2. num.14.* & reuertitur ad ſedem vbi ſtans deponit baculum, Subdiaconus autem redit ad infimum gradum, cum genuflexione, & Acolythi cum intortitijs recedunt.

Ad *Agnus Dei* Epiſcopus cum ſenioribus ter eundem verſum dicit percutiens ſibi dextera pectus, ſiniſtra interim pe-

Digitized by Google

ctori admota, & eleuante ſeniore à dexteris fimbriam anteriorem pluuialis; tùm ſi adeſt Canonicus aſcendit cum debitis genuflexionibus ad Altare, quod deoſculatur, & accipit pacem à Sacerdote, eamque defert ad Epiſcopum, Subdiaconus autèm Canonicum cum pace recedentem ab Altare ſequitur, & pacem accipit ab eo poſt Epiſcopum, quam deindè dat Clericis aſſiſtentibus deindè Cantoribus in choro, tùm Diacono, demum Ceremoniario, vel Acolytho, quòd ſi Canonicus non adſit accipit Subdiaconus pacem à Diacono, eamque portat Epiſcopo, & cęteris.

Ad *Domine non ſum dignus* inclinatus Epiſcopus pectus ter percutit, ac ſumpto ſanguine ſedet, capitque mitram, legitque ex libro ſibi allato communionem dùm cantatur à choro; Ad *Dominus vobiſcum* ſurgit capite nudo, iterumque ſedet dicto *Ite Miſſa eſt*, vel *Benedicamus &c.* Dum Celebrans dicit ſecretò *Placeat*, accepta mitra Epiſcopus ſurgit, & genuflexis omnibus; excepto Celebrante, qui ſtat in ſecundo gradu laterali Altaris conuerſus ad Prælatum; benedicit ſolemniter accipiens baculum dum dicit *Patris &c.* Sacerdos poſtmodum inclinans profunde caput, & humeros Epiſcopo legit indulgentias, tùm Epiſcopo mitram deponente vadit cum Miniſtris ad cornu dexterum, vbi legit Euangelium, ad quod Epiſcopus ſtat cum baculo nudo capite genuflectens, vt moris eſt; Miſſa peracta deſcendit Celebrans ad ſedem ſuam, Epiſcopus autem ſi cappa vſus eſt deſcendit in planum, vbi orat, & abit abeunte etiam Sacerdote cum ſuis Miniſtris; Si verò vſus eſt pluuiali, Celebrans cum debitis reuerentijs recedit in Sacriſtiam, & Epiſcopus apud ſedem ſuam expoliatur ſacris veſtibus, & veſtitur cappa, ac vadit ad faldiſtorium, vbi orat, & recedit aſſociatus à cunctis Clericis, vt ſupradictum

eſt

Digitized by Google

eſt niſi aliqua hora canonica perſoluenda eſſet, quo caſu aliqui remanent in choro, & Officium perſoluunt.

Hæc ſi miſſa ſolemnis fuit; Si autèm ab vno Sacerdote abſq; Miniſtris ſacris cantetur eadem erunt obſeruanda, & præcipuè quoad confeſſionem, ad quam ſiniſter erit Epiſcopo, verſus verò *Deus tu conuerſus &c.* dicit in medio cum Miniſtro genuflexo abeunte Prælato; Epiſtolam cantabit Lector cum traditis ante genuflexionibus, & cum oſculo manus Epiſcopi, prout facit Subdiaconus, vt habemus in ſimili in *Cerem. lib. 2. cap. 27. 28.* Pro Euangelio cantando Sacerdos dicto *Munda cor meum &c.* conuertit ſe ſtans ibidem ad Epiſcopum, ac petit benedictionem dicens *Iube Domne &c.* cui Epiſcopus de more benedicit *Craſ. lib. 2. cap. 28. &* *Incarnati cap. della Meſ. ſolem. inanzi al Veſcouo*, & cantatur Euangelium quod in fine Epiſcopus deoſculatur dicens ipſe tantum *per Euangelica &c.* vt habet *Rub. Gen. par. 2. tit. 6. num. 2.* Pro thurificatione ſolus Thuriferarius accedit ad Epiſcopum, & dignior cappellanus, vel Parochus miniſtrabit nauiculam, Sacerdos à Miniſtro miſſæ duplici, Epiſcopus ab eo, qui nauiculam miniſtrauit triplici ductu thurificandi ſunt, cęteri vnico, niſi, aut eſſet aliquis Canonicus, aut aliquis Prælatus dũmodo prælatitio habitu indutus ſit, puta Parochus, qui ſit Prothonotarius in habitu dignitatis, quia duplici ductu gaudent, vt colligitur ex *Cerem. lib. 1. cap. 23.* quod ſi ille miniſtraret Epiſcopo, ſemper profundè inclinando non genuflectendo reuerentiam faceret; Pax fertur vultu à digniori, qui Prælato aſsiſtit; qui deindè dat eam Ceremoniario, qui reliquis diſtribuit, cœtera de more.

Si miſſa priuata ſit, & abſque cantu in die ſolemni Celebrans præuenit Epiſcopum, & ſuper Altare diſponit calicem, ac

librum,

librum, & expectat aduentum eius; Inchoat miſſam faciens confeſſionem, vt in rubricis ante cornu dexterum Altaris, non oſculatur textum Euangelij, nec dicit *per Euangelica &c.* vtrumque enim facit Prælatus. Pax datur vt diximus *par.* 1. *ſect.* 3. *cap.* 1. benedictionem daturus inclinetur Epiſcopo cum dixerit *Omnipotens Deus* quidquid dicat *Incarnati par.* 2. *cap. della meſſa baſſa in preſenza del Prelato*, quod eſt contra rubricam expreſsè *par.* 2. *tit.* 12. *num.* 3. finito Euangelio Sancti Ioannis conuertitur per latus ſuũ dexterum, vt moris eſt in cunctis volutionibus, quæ fiunt ad Altare, & Epiſcopo reuerentiam facit; quo abeunte etiam ipſe recedit, pulſantibus interim organis, & campanis, prout etiam, & veniente ad Eccleſiam fieri debet *Cerem. lib.* 1. *cap.* 15. *&* 28. & in ſolemni.

CAPVT III.

De Miſsa noui Sacerdotis.

ABuſus, qui in Miſsis nouorum Sacerdotum irrepſere, quos egomet alicubi vidi ſunt, quòd Sacerdos in ædibus domeſticis longiſsimè ab Eccleſia etiam diſtantibus induantur ſacerdotalibus veſtibus, & cum Clero, ac Populo cantantibus hymnos, & pſalmos ambitioſo circuitu ad Eccleſiam proceſſionaliter conueniant vbi ſunt celebraturi; Alij Clero, & Populo comite manu benedicentes, quos obuiam, habent vadunt ad Eccleſiam vbi cum campanarum, & organorum ſono excipiuntur, & veſtiunt ſe ad Altare, ac celebrant, nec recedunt ab Altari niſi prius ſacris indumentis expoliati. Alij cantantes Miſsam vltra Diaconum, & Subdiaconum vtuntur Presbytero aſſiſtente

ſtente

ſtente cum pluuiali, & erigunt credentiam cum vaſibus argenteis, quibus etiam vtuntur ad manuum lotionem. Alii oblationes recipiunt dum cantatur offertorium in Choro, elongantes ſe ab Altare, & circumeuntes Eccleſiam capite tecto præcedentibus Ceroferariis cum cereis accenſis porrigentes oblationem facientibus manum dexteram oſculandam.

Impediendi ergò ſunt ne in ædibus profanis induantur ſacris veſtibus, tum quia Rubrica generalis præcipit parari in Sacriſtia, aut alio loco conuenienti, tùm etiam quia Epiſcopi ſolemniter celebrantes non in proprio Palatio parantur ſacris veſtibus ſed omnino in Eccleſia, ſiuè in Secretario, ſiue ad Altare *Cerem. lib.1. cap.15.* & hæc conſuetudo Romanæ Eccleſiæ ità ſeruatur, vt etiam Summus Pontifex Miſſam celebraturus, qui ſemper quocumque vadat ſacris indutus eſt, quippe qui ſtolam circa collum gerit, ibi induatur veſtibus Miſſalibus vbi celebraturus eſt miſſam *Marcel. lib.2. ſect.1. cap.4.* quamuis aliquando aliter in Ambroſiana Eccleſia ſeruetur Archiepiſcopo celebrante, vt habet *Cer. Ambroſ. lib.1. cap. de rat. interuen. diuin. off. & proceſ.*

Statuendum item eſt ne Clerus in habitu chorali eat ad excipiendum nouum Sacerdotem, quia hic honor proprius, eſt Epiſcoporum, & Prælatorum Superiorum, itaut Abbatibus, & Prælatis inferioribus non modo ſæcularibus, ſed etiam regularibus, qui habent iuriſdictionem etiam in foro externo non competat, vt docet *Gauantus in Enchir V. Abbas num.2.*

Idem iudicium ferendum eſt de benedictionibus, quas incedendo dat Populo, intra, & extra Eccleſiam, nec non de exceptione Sacerdotis cum ſonitu campanarum, & organorum;

norum; Ratio prioris eſt, quia huiuſmodi actio non conuenit Sacerdoti, ſiue ſupponat iuriſdictionem, cum conueniat Epiſcopo in ſua tantum Diœceſi, & Archiepiſcopo in ſua Prouincia ex *Cerem. lib.*1. *cap.*2. *& colligitur ex Marcel. lib.*1. *ſect.*8. *cap.*18. vbi dicit Legatos à latere benedictionem non impartiri niſi poſtquam fuerint egreſsi territorium Vrbis, vbi Papa reſidet, & ex *Concil. Prouinc. Med.*6. vbi datur facultas Epiſcopis prouincialibus confluentibus ad Concilium benedicendi Populo per Vrbem Metropolitanam, & *Eluc. Pacis Iordani vol.*1. *lib.*5. *tit.*15. *num.*47. ſiue ſit quid ſpectans ad Ordinem, vt vult *Iord. tit. num.*41. vbi docet, quòd Prælati Epiſcopo inferiores non habent ius benedicendi Populum extra actum celebrationis, quod etiam procedit quamuis haberent iuriſdictionem etiam in foro externo, vt notat *Gauan. in Enchir. V. Benedictio num.*22. quod valet ſaltem extra Eccleſiam vt idem in *V. Abbas num.*15. quibus non conceditur benedictio niſi per Priuilegium Apoſtolicum, vt hìc Iord. quapropter cum denegetur Prælatis, à fortiori neganda eſt ſimplici Sacerdoti. Ratio poſterioris eſt quia hæc prerogatiua videtur propria Epiſcoporum in diœceſi *Cerem. lib.*1. *cap.* 15. quamuis per *Cecoperium in Elucubrationibus ſuis canonicis* extendatur etiam ad Abbates, & Prælatos inferiores inſignijs Pontificiis gaudentes, *& Piſc. lib.*1. *ſect.*9. *cap.*8. *num.*1. Idem de organorum ſono ſentit: *Concil. autem Prouinc. Med ol.* vtrumque concedit Epiſcopis comprouincialibus aduenientibus ad Concilium; ſed ſiuè hæc prærogatiua ſit propria Epiſcoporum in ſua Diœceſi, & conueniat eis extra Diœceſim propter eorum dignitatem, ſiuè extendatur etiam ad Prælatos inferiores non pertinet tamen ad ſimplices Sacerdotes.

Hec

Nec eſt permittendum eis, vt induantur ſacris veſtibus ad Altare quia hoc priuilegium ſpectat ad Epiſcopos tantum, vti habet *Gau. in Enchir.* V. *Miſſæ ritus*, & ad Prælatos inferiores in pontificalibus celebrantes; Duo tamen Miniſtri cum ſuperpelliceis poſſunt ei concedi, videlicèt Acolythus, qui miniſtret, & Ceremoniarius, qui ei aſſiſtat, eumque inſtruat de ijs, quæ identidem agere debeat, quamuis nec dedeceat etiã duos habere Miniſtros præter Ceremoniarium, & ardere quatuor, aut ſex candelas in Altari; ſuper quo etiam ante miſſam poterit parari calix cum miſſali, vt docet *Bauld. par.3. cap.*10. aut in credentia, quia hæc Miſſa quamuis non ſit ſolemnis ſimpliciter, poteſt tamen dici ſolemnis ratione huius circumſtantiæ, concurſus nempe, & primitiæ: At dices cur nam ſi propter aliqualem ſolemnitatem huius Miſſæ in priuatis, conceduntur hæc, quæ ſolis Prælatis competunt, non poteſt etiam permitti, quòd vtantur abaco cum vaſis argenteis, quòd Clerus comitetur eum à domo ſua, quòd excipiatur cum ſono organorum &c. ac benedicat Populo in incedendo per Eccleſiam, & per vicos. Reſpondeo, quòd illa competunt Miſſæ etiam non ſimpliciter ſolemni, nam vt vidimus ſuo loco, & vt tradit *Bauld. par.*3. *cap.*13. *&* 14. *Piſc. lib.2. ſect.9. cap.2. Corſet. tract.1. par.1. cap.*13. poſſunt adhiberi duo Accolythi, ſiuè Clerici in miſſis, quæ habent ſolemnitatem cantus, & quidem non ob aliam rationem; niſi quia participant de ſolemni, cętera verò non conceduntur in Miſſis ſolemnibus, niſi eę ſint Miſſæ Epiſcoporum, & proindè huic Miſſæ quæ eſt aliqualiter ſolemnis in communi hominum æſtimatione permittuntur ea, quæ pertinent ad miſſam ſolemnem quà ſolemnis

eſt.

eſt: non conceduntur hæc, quæ ſpectant ad Miſsam Prælati, quà Pontificalis eſt.

In Miſsa autem ſolemni vltra Diaconum, & Subdiaconum non eſt eis concedendus Presbyter aſſiſtens cum pluuiali, ſed vel Ceremoniarius ſuppleat vices aſſiſtentis, tunc cum Diaconus elongatur à Sacerdote, vel adſit Aſſiſtens cum ſuperpelliceo tantùm, qui non modò Prælatis verùm etiã alijs Sacerdotibus ſimplicibus conceditur. Credentia tamen non pontificaliter ornetur, ſed erigatur, prout diximus ſuo loco, quia neque Abbatibus Pontificaliter celebrantibus conceditur niſi ſimplex, & plana cum inſtrumentis neceſsarijs in celebratione *Gauan. in Enchir.* V. *Abbas num.* 11. omninó autem cauendum eſt ne in lotione manuum vtantur bacili, & lance, quod tanti æſtimatur vt neque Prælatis regularium, excepto Generali, concedatur *Cerem. Frat. Min. par.* 2. *cap.* 11. *num.* 15.

Vſus, qui alicubi viget oblationes recipiendi in prima Miſsa noui Sacerdotis poteſt permitti dummodò non circumeat Eccleſiam, ſed ſe ſiſtat in aditu Presbyterij, & ſtet capite aperto, nec in fine Populo benedicat, vt cautum eſt à Sac. Cong. Concil. apud *Gauant. par.* 2. *tit.* 7. *num.* 5 *lit.* Q. Quòd autem porrigentes oblationem oſculentur manum Celebrantis nullo modo placet, quamuis Gauantus hìc poſse ſtare conſuetudini dicat cum *Cerem. Ambroſ. lib.* 1. *cap. de Veglon* doceat ſenes oblationem facientes oſculari manipulum Celebrantis, ſed potius piam aliquam imaginem, nullo tamen pacto patenam, quod vetuit Pius V. Hoc tamen dictum volo pro ijs locis vbi talis eſt conſuetudo, nam pro illis vbi vſus non eſt colligendi oblationes, vt Romæ, in qua poſitiuè in licentijs celebrandi id prohibetur

Digitized by Google

betur, nullo pacto ſunt colligendæ; ſi communicauerit aliquos in miſsa, nullo modo permittat ſibi oſculari manum priuſquam accipiant particulam, vt Epiſcopi faciunt, ex *Cerem. lib. 2. cap. 29.*

Addit Bauld citatus, quòd alicubi eſt in vſu cantandi ſolemniter à Choro hymnum *Veni Creator Spiritus*, & in fine verſum *Emitte Spiritum tuum &c.* deinde per celebrantem orationem *Deus qui corda fidelium. Per Chriſtum &c.* Hæc conſuetudo tamen vbi non eſt neque introducatur cum ſit additio ritus; quæ per conſtitutionem B. Pij V. prohibetur.

Cęterùm vos, qui Dei operante gratia ad cœnam Agni vocati eſtis; Quando primò ſeſſuri eſtis cum Principe (Salomonis verbis vos alloquar *prouerb. 23.*) diligenter attendite, quæ quantaque ſint Sacramenta, quæ appoſita ſunt ante faciem veſtram. Probate, purgate, parate vos ad cœnam eius Principis, in qua vt ait *Iob. 9.* ſi loti fueritis quaſi aquis niuis, & fulſerint velut mundiſſimæ manus veſtræ, tamen abominabuntur vos veſtimenta veſtra, non quidem externa, quæ corpori circumaptantur, ſed interiora, quæ animum afficiunt, conſuetudines nempe, & habitus praui, de quibus Apoſtolus ait *Epiſtola ad Coloſ. cap. 3.* Expoliantes vos veterem hominem cum actibus, & operibus ſuis, & induentes nouum eum qui renouatur in agnitionem ſecundum imaginem eius, qui creauit illum; Si vis (inquit Chriſtus apud *Thom. à Kempis de imit. Chriſt. lib. 4. cap. 12.*) vt veniam ad te, & apud te maneam: expurga vetus fermentum, & munda cordis tui habitaculum. Exclude totum ſæculum, & omnem vitiorum tumultum, ſede tamquam paſſer ſolitarius in tecto;

to, & cogita exceſſus tuos in amaritudine animæ tuæ; Non ergo in comeſſationibus, non in ebrietatibus, non in ſtultiloquijs, vt plurimùm fit, cor veſtrum effundatis nouella ſanctitatis germina, ſed in orationibus, in ieiunijs multis, in vigilijs, & pœnitentijs præparate vos ad cœnam Agni, ne indignè comedentes, vt ait *Iob*. 2. panis Sanctus in vtero veſtro vertatur in fel aſpidum intrinſecùs, & diuitias, quibus paſti eratis de ventre extrahat vobis Deus.

Digitized by Google

PARS III.

SECTIO I.

CAPVT I.

De benedictione, & diſtributione candelarum in die Purificationis.

SI incidat dies Purificationis Beatæ Mariæ in Dominica Septuageſimæ; Sexageſimæ, vel Quinquageſimæ transfertur Officium, & Miſſa Beatæ Virginis in diem ſequentem, & Miſſa poſt proceſſionem celebratur de Dominica, vt habet Rubrica peculiaris, quod ſi Purificatio ſit Titulus huius Eccleſiæ dubium non eſt, nihilominus Miſſam dicendam eſſe de Beata Maria cum commemoratione Dominicæ, quia Miſſa ſemper celebratur, quæ cum Officio concordat, & certum eſt dies Septuageſimæ &c. occurentes cum Titulari cedere ei Officium, vt habet *Rubr. generalis Breuiarij cap.* 41 *num.* 1. & conſequenter etiam Miſſam.

Controuerſum modo eſt, vtrum ob dicendam Miſſam de Purificatione ſufficiat quicumque Titulus; Conceptionis videlicet; Viſitationis, aut quicumque alius Beatæ Mariæ, vel neceſſe ſit eſſe titulum proprium Purificationis *Gau. par.*4. *tit.*14. *num.*3. *lit.B.* tenet opus eſſe Titulo peculiaris huius Miſterij Purificationis, vt de Beata Maria cantetur Miſſa, aut duas cantandas eſſe, alteram videlicet Do-

Digitized by Google

minicæ poſt Tertiam, alteram de Beata Maria poſt Nonam. Arnaud verò abſolutè vult Miſſam cantari de Beata Maria quicumque ſit eius titulus, dummodò de illa ſit *par.4. tit.14.num.2.* Probat, quia (inquit ille) *in Cerem. lib.2. cap.16.* habemus hanc particulam ideſt *cantata Miſſa de Dominica*: Ergo non agitur de titulo Purificationis, quia ſi Purificatio eſſet Titulus Eccleſiæ haberet vtique Officium (vt etiam nos modò diximus), & conſequenter haberet vnam Miſſam correſpondentem Officio Beatæ Mariæ, & non inſuper Miſſam de Dominica, cum de Dominica non fieret Officium; Verùm in Ceremoniali loco citato nō habetur hæc particula *cantata altera Miſſa*, & proinde hæc ratio nulla eſt; Gauantus loco citato eam quidem clauſulam apponit, poſt citationem Ceremonialis, ſic, *niſi Eccleſia ſit dicata in honorem Beatæ Mariæ Virginis, de qua eo caſu erit Miſſa Cerem. Epiſc. lib.1. cap.16. cantata altera Miſſa de Dominica, quæ reſpondet Officio*, ex quo ſcribendi modo fortaſſe Arnaud duxit non modo ſenſum præcedentem citationi Ceremonialis, ſed etiam ſubſequentem elicitum eſſe ex Ceremoniali, quod verè non eſt; Aliam fert rationem, & eſt, quia ex Decreto Clementis VIII. etiam dilato Officio dicitur Miſſa de Beata Maria, ergo (infert ille) non agitur de peculiari Titulo Purificationis, quia vbi hic eſt Titulus, non transfertur Officium, cum ſit duplex primæ claſſis, cui cedunt ipſæ Dominicæ Sexageſimæ, & Quinquageſimæ &c. ſed verè Gauantus dixit, Decretum Clementis iubere fieri diſtributionem, & benedictionem, neque Miſſam commemorat, quam procul dubio dixiſſet: *Piſc. lib.3.ſect.3.cap.3. num.5.* docet, Miſſas priuatas eſſe de Dominica, ſolemnē de Beata Maria, Officium verò concordans cum priuatis,

Num.

Num. autem 6. docet in proprijs Eccleſijs Miſſam eſſe de Feſto. *Corſet. tract.1. par.2. cap.12. num.3.* tenet Miſſam non eſſe celebrandam de Feſto, niſi Titulus ſit proprius Purificationis, hocque probat ex Ceremoniali reformato Innocenlij X. vbi monemur Epiſcopum celebrare, ſi Eccleſia habeat Titulum Purificationis. *Bauld. par.5. ex 2. lib. Cerem. Epiſcoporum cap.26. num.12.* vult, Miſſam celebrari de Beata Maria, ſed ſupponit, Titulum eſſe de Purificatione, quamuis id benè non exprimat.

In conflictu harum opinionum tenendum eſt primò, vbi Titulus eſt Purificatio Beatæ Mariæ, Officium, omneſque Miſſas celebrandas eſſe de Feſto, vt per ſe patet; Secundò, vbi Titulus ſit, vel Conceptio, vel Natiuitas, aut alius, celebrari poſſe poſt Nonam Miſſam Beatæ Mariæ cum benedictione, & diſtributione candelarum, ac proceſſione, dicta tamen prius poſt Tertiam, Miſsa de Dominica, vt habet Gauantus; Ratio eſt quia de Feſto transferendo, quod cum Populi concurſu, aut ex loci deuotione celebratur, poteſt cantari Miſſa, vt diximus ſuo loco. Tertiò non obligari ad cantandam Miſſam de Feſto niſi Titulus ſit proprius Purificationis; Ratio eſt quia neque per Rubricas generales, neque peculiares Miſſalis, neque per Ceremoniale, aut aliud Decretum obligamur ad id, non quidē per Rubricas generales, quia *Rubrica tit.7. num.2.* obligat tantum diebus Vigiliarum, Feriarum maiorum, quatuor Temporum, & Rogationum &c. tantummodò Collegiatas; nec quidem per peculiarem Rubricam, vt per ſe patet; Ceremoniale verò citatum loquitur de Titulo tantum Purificationis, ergo non de quocumque Titulo, ſed nec Decretum Clementis, quòd vult tantùm, benedictionem, & diſtributionem candelarum cum proceſſione fie-

ri, etſi incidat in Sexageſima &c. nullam mentionem faciens de *Miſſa*, vt habet Gauantus; Ergo ex nullo capite obligamur duas *Miſſas* celebrare, de Feſto ſcilicet, & de Dominica, ergo ſufficit dicere Miſsam correſpondentem Officio.

Non placuit aliquibus proceſſionem, & benedictionem in ſimili caſu fieri poſt Nonam, quia in Rubrica hac habemus, eſſe faciendã poſt Tertiam; ſed contra eſt, quia ſecuti Miſſa eſt de Beata Maria, ita eſt proceſſio, & benedictio, ergo non debet disiungi cum alterum ſit perfectiuum alterius, ſiquidèm proceſſio completur per Miſſam *Rit. Rom. de proceſſ. Rubr. prima*; Debet ergo proceſſionis Officium compleri per Miſſam propriam, quæ eſt Feſti, non Dominicæ, in qua etſi color veſtium Sacerdotalium ſit idem cum colore, qui adhibetur in benedictione, non eſt tamen idem myſterium, quod celebratur, & à quo tanquam à principali deducenda eſt paritas Officiorum.

Nec valet, quòd Rubrica dicat, faciendam eſſe proceſſionem, & benedictionem poſt Tertiam; Rubrica enim non ſupponit, concurrere cum Dominica, vel ſi concurrerit, eſſe Titulum principalem Eccleſiæ, & primæ claſſis, quo caſu non cantatur Miſſa Dominicæ, quòd ſi fiat ſimilis concurſus recurrendum eſt ad Rubricas generales *de concurſu, & translatione*.

Parantur (vt aliquid de actione præparandi dicatur) tempore conuenienti prope Altare pallium violaceum, & ſuper eo in cornu Epiſtolæ, Miſſale pro benedictione, abacus paruus coopertus linteo cum candelis benedicendis apud cornu ſiniſtrum Altaris, quæ cooperiantur velo mundo remouendo ante benedictionem, ibidem ponatur thuribulum, & acerra, vas aquæ benedictæ cum aſpergillo;

Digitized by Google

gillo; In credentia buccale cum aqua, & manutergio, ac bacile. In loco congruo Crux proceſſionalis, & ritualia, vel libri proceſſionales.

Ordo autem benedicendi hic erit. Sub finem Tertiæ accenduntur ſex candelæ, & apponitur frontale violaceum Altari; Interim Celebrans cum Miniſtris procedit à Sacriſtia præcedentibus Ceroferarijs cum candelis accenſis, ante quos vadit Thuriferarius abſquè Thuribulo; Ceremoniarius poſt Ceroferarios incedit, Miniſtri medium habent Celebrantem, eiuſq; anteriores fimbrias pluuialis eleuant, & hi tres capite tecto procedunt; Miniſtri in Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus planetis ante pectus plicatis abſque manipulo induuntur; quamuis Diaconus habeat, vt in miniſterio Miſſæ etiam ſtolam, in Eccleſijs minoribus ſtant in albis, & Diaconus tantum cum ſtola, quòd ſi etiam Celebrans ob defectum pluuialis ſolam albam, & ſtolam haberet, vide quæ dicemus *cap. ſequenti*.

Celebrans cum Miniſtris ſic procedentes accedunt ad Altare, ad quod aſcendunt, quodque oſculatur in medio Sacerdos Miniſtris interim genuflectentibus, & accedunt ad cornu Epiſtolæ, vbi dicto per Chorum *Beneditamus Domino* benedictionem incipit Sacerdos non quidem legendo ſine cantu, vt contra *Ceremoniale lib. 2. cap. 16. & 21.* & contra Rubricam Miſſalis *die 2. Februarij, & in Dominica palmarum* docent *Craſſus*, *Ceremoniale Frat. Min. & Marcellus*, quod obſeruandum erit inſuper etiam in benedictione cinerum, & palmarum ob ſimilitudinem actionis: Quòd autem Ceremoniale, & Rubrica præcipiant cantare patet, quia *cap. 16.* habet *incipiens competenti voce in tono feriali benedictionem, & cap. 21. deinde cantans orationes, et in tono feriali incipiens etc.* Rubrica verò ait *dicit in*

Digitized by Google

tono orationis Miſſæ ferialis, ergo ſi in tono feriali, vtiquè dicendæ ſunt orationes in cantu, non ſine cantu, vt dicunt citati Auctores; Interim Acolythi deponunt cereos, & diſcooperiuntur candelæ. Circa finem benedictionis Thuriferarius imponit prunas in Thuribulum; & accedit ad Altare; At ſi facienda ſit aquæ aſperſio, poſt eam immediatè fit benedictio, & diſtributio candelarum.

Hic ordo procedendi ſeruatur etiam in benedictione palmarum, & cinerum; Diaconus Sacerdoti benedicturo, & thurificaturo palmas; fimbriam pluuialis eleuabit, tradito prius cum debitis oſculis Thuribulo, aut aſperſorio; in diſtributione verò, Diaconus à ſiniſtris ſtans Celebrantis, qui vna cum Subdiacono ſtantes in medio Altaris faciem Populo conuertunt, miniſtrat Sacerdoti candelas, cum oſculo earum, diſtribuendas, ſed prius Sacerdos accipit, renibus Altari verſis, ſuam candelam *ex Cerem. lib. 2. cap.* 17. à Seniore chori, & tradit alicui Acolytho tenendam; Quo ordine Miniſtri parati accipiant candelas, habetur ex *cap. de Thurificatione*, cuius ordo idem omnino eſt, hoc vnum tamen eſt notandum, quod Diaconus accepta candela, vt facilius miniſtret, eam deponit ſuper Altare, vel ſi accenſa eſt, tradit in manum alicuius Acolythi, qui tamen accedens acceptum ſuam candelam, deponere debet eam, quæ eſt Diaconi, vel Sacerdotis in manus alterius, ſicuti Acolythi in Miſſa ſolemni funalia ſuſtinentes, cum communicare debent, alijs ea tradunt ſuſtinenda. Cœterum omnes genuflexi accipiunt cereos, quos oſculantur, non minùs, ac manum diſtribuentis, mox reuertuntur facta prius Celebranti, & Altari reuerentia, vt in acceſſu, Canonici tamen, nec manum Celebrantis oſculantur, nec genuflectunt ex *Cerem. lib. 2. cap.* 17. quod idem præſtant

Præ-

Prælati; locus prò diſtributione eſt ante Altare pro Clericis, pro laicis autem oſtium presbyterij, ad quod Celebrans accedit cum Miniſtris, niſi malit ceram diſtribui per aliquos Sacerdotes cotta,& ſtola indutos, vt habet *Cerem, lib.2. cap.16.* Qui eo caſu per Eccleſiam poterunt ſe conferre. Quo habitu candela danda ſit Celebranti, quo ordine ſint accipiendæ, & thurificandæ, & aſpergendæ, habes *in cap. de feria 4. Cinerum*, & ſequenti, quò etiam recurrendum eſt, vt ſcias regulam ſecundam pro minoribus Eccleſijs.

Diſtributione peracta conuertitur ad Altare in cornu Epiſtolæ, vbi ex libro dicit in cantu Orationem, *Exaudi*, cantatur per chorum,& repetito etiam verſu *Exurge Domine &c.* & præmiſſo *Flectamus genua*, ſi requiritur, prout in rubrica genuflectentibus omnibus,etiam Prælatis pręter Celebrantem; Deinde accenduntur omnes candelæ, vt habet hic *Cerem. lib. 2. cap.16.* quamuis ex Ordine Romano diſtribuendæ eſſent accenſæ, vt docet etiam *Cerem. Cleric. Regul. S. Pauli & alij*, quod fortaſſe ob tenuitatem candelarum, & confuſionem mutatum eſt,accipit etiam Subdiaconus cum duobus Acolythis Crucem, & candelabra cum cereis accenſis depoſitis priùs benedictis ſuper credentiam, & Celebrans imponit thus in ignem.

Diaconus omnibus paratis,ſtantibus iam Clericis in Presbyterio, conuerſus ad Populum dicit *Procedamus &c.* pro vt in Rituali; tum procedunt primò Cantores, deinde Thuriferarius; ſequitur Subdiaconus cum Cruce medius inter Acolythos, mox Clerus per ordinem capite aperto, demùm Celebrans,cum Diacono,paulò poſt eum à ſiniſtris, ambo capite cooperto, vt habet *Gau. par.4. tit.7. num.15.* ſi ſit Aſſiſtens cum cotta vide quæ diximus

*par.*1.*ſect.*2.*cap.*3.*lit.O. et* Cerem. *Cleric. S. Pau. lib.*2. *cap.*3. cętera in rubrica, illud tamen noto, quòd ſi Miſſa ſit Dominicæ, non accenduntur candelæ ad Euangelium, & eleuationem, ex *Cerem. lib.*2. *cap.*16.

CAPVT II.

De benedictione cinerum Feria quarta initio Quadrageſimalis ieiunij.

VBi non poterit haberi pluuiale, Sacerdos vtitur ſtola tantum non caſula, quod ſeruatur non modò in alijs benedictionibus candelarum, & palmarum; verùm etiam in abſolutione Defunctorum poſt Miſſam, & in aſperſione aquæ benedictæ die Dominico, Stola autem non dependet ab vtroque humero ad genua, quia ille mos ſtolam ſic geſtandi eſt tantùm Epiſcoporum, ſed ſit ante pectus tranſuerſa in modum crucis, vt ſicuti habet *Bracharenſe tertium Concilium cap.*3. ſtolam gerant Sacerdotes celebraturi, ſicuti iam geſtauerunt, quando conſecrati fuere; & quamuis idem Concilium loquatur tantum de Sacrificio Miſſæ tamen *Gau. par.*1. *tit.*19. *num.*4. *lit.M.Cer.Fr.Min.par.*3. *cap.*1. *num.*1. *et Piſcara lib.*2.*ſect.*1. *cap.*10. *num.*3. *et* 8. & alij multi communiter, extendunt etiam ad quaſcumq; eccleſiaſticas functiones etiam extra Miſſam, in quibus Sacerdotes ſtola vtantur, dummodò habeant albam, & cingulum, quia ſine illis commodè ligari non poteſt in modum crucis, & quidem ſi communicent, extra Miſſam Sacerdotes ſtolam ſic geſtare debere, extat in *diſt.*23. *Eccleſiaſtica* & ibi *gloſ.*V. *Corporis*: Aliqui tamen au ‍ctoritati-

bus

Digitized by Google

bus Doctorum non aſſentiuntur, quapropter contra eos facit, quod dicit *Caſal. de veter. Chriſt. ritibus par.3. cap. 35.* nempe ſignum Crucis, quod per duas ſtolæ partes formatur in pectore Sacerdotum, æquipollere cruci pectorali Pontificum, ſed Pontifices in queiſcumque functionibus pectoralem Crucem geſtant, ergo etiam Sacerdotes ſtolam in modum crucis habere debent. Accedit ad hæc quod Sacerdos electus in Epiſcopum, antequam conſecretur in Epiſcopum, ſtolam aptatam in modum Crucis habet, quamuis tunc non ſit ijs veſtibus celebraturus; peracto verò examine, cum induitur Pontificalibus paramentis, & datur ei crux pectoralis, aptatur ſtola, itaut deſluat directè ad genua, quod etiam fit in ordinatione Abbatis. Adde inſuper, quòd Epiſcopus, vbi vti debet ſtola, nec crucem pectoralem habet, non dependentem, ſed in modum crucis eam geſtat *Elucub. Pac. Iord. tom.1. lib.6. tit.1. num.462.* Quod intelligendum eſt non ſolum in Miſſa, verum etiam in quibuſcumque functionibus; Tandem ſicut Diaconus in quibuſcumque ſpectantibus ad ſuum ordinem, ſtolam ab humero dextro in ſiniſtrum tranſuerſam gerit, & Epiſcopus dependentem directè ad genua, cur non etiam Sacerdotes deferant tranſuerſam in modum Crucis?

Vbi celebrans pluuiale non habeat, etiam Miniſtri in albis debent procedere hinc inde ad eius latera, etiamſi pluuialis fimbrias ſuſtinere non debeant, vt docet *Bauld. par.4. cap.9. art.4. num.1.* ſed verius debent vnus poſt alium procedere vt ipſe *Bauld. notat par.4. cap.3. art.2. num.4.* ratio autem eſt, quia in tantum medium habent Celebrantem in quantum habet pluuiale, cuius fimbrias debent ſuſtinere vt docet *Cerem. lib.1. cap.15.* aliàs etiam ſi haberet

pla-

planetam medius inter Miniſtros procederet; quod eſt contra Cerem. ibidem.

Sacerdos, qui Celebranti cineres eſt impoſiturus non induit ſibi ſtolam, ſed in habitu ſuo conſueto, & chorali, vt vult *Gau. par.4. tit.6. num.4, lit. M. contra Piſc. lib.3. ſect.4. cap.3. num.8.* quia (ait Gauantus) in Cerem. habemus Canonicum imponere cineres, dare candelam, & palmam in habitu chorali; At Ceremoniale dicit, Canonicos venientes ad ſuſcipiendos cineres &c., eſſe in habitu chorali, non tamen exprimit eum, qui daturus eſt eos Celebranti, accedere in habitu chorali; Attamen *Marcel.lib.2. ſect.1. cap. 32.* idem docet, quod Gauantus, ſcribens, Priorem Epiſcoporum Cardinalium ire ad Altare in cappa lanea conſueta, ergo in habitu chorali; Non per hoc tamen negari poteſt primò, quòd Parochus aſſiſtens in choro huic officio per aliquem alium Sacerdotem facto accedens ad Altare, vt ſupra, ſtolam habere poſſit, quæ ſignum diſtinctiuum eſt Parochi, & quæ cum ſuperpelliceo eſt eius habitus choralis, ſecundò quòd ſit habitus proportionatus pro alio Sacerdote dante palmam &c. Celebranti, quia *Cerem. lib. 2. cap.6.* docet, adhiberi poſſe alios Sacerdotes, qui Eccleſiam diſcurrentes candelas diſtribuant Populo, ſtolam induti ſuper ſuperpelliceo, cum ergò Sacerdotes, qui Populo diſtribuunt candelas, & palmas ſtolam geſtare debeant, eandem vtique geſtare poterit, qui eadem dat Celebranti, & conſequenter cineres, cum par ſit ratio.

Cineres, vti etiam oliuæ, & candelæ non aſperguntur in modum crucis, ſed ter, ſcilicet primò in medio, ſecundo à latere dextero ipſorum, mox in ſiniſtro, ſic etiam ductus thuribuli, diſtribuuntur; eſt enim regula generalis, quòd aqua

Digitized by Google

aquà non aſpergitur in modum crucis, niſi in Perſonarum aſperſione, vt habes in R*ituali de benedictione mulieris poſt partum, & in rub. 1. in ordine miniſtrandi extremam vnctionem*, vt etiam docet *Gauant. par.4. tit.17. num.26*; in rerum autem aſperſione aſpergitur ter modo dicto, vt habes in *Miſ. in aſperſione Altaris die Dominico, & Cerem. lib.2. & Gauant. par.4. tit.7. num.13. lit.D.* niſi expreſſe aliud doceamur.

Parantur pro hac benedictione thuribulum cum nauicula, & vas aquæ luſtralis cum aſpergillo in parua menſa linteo cooperta ad latus Epiſtolæ poſita; Vas verò cum cineribus collocari poterit, vt docet *Cerem. lib. 2. cap.19.* in cornu Epiſtolæ; ideſt inter miſſale, & cornu Altaris; manuum autem lotio poſt diſtributionem, & cineres reſidui in ſacrarium proijciuntur, ſed priuſquam Celebrans lauet manus deponit omninò pluuiale.

Stans, & capite aperto Sacerdos diſtribuit cineres, ex Decret. Sac. Congreg. Rit. quod refert *Gau. par.4. tit.6. num.5.* & alij. Diſtribuit tamen eos in modum crucis *Marcel. lib.2. ſect.1. cap.31.* vas tenente Diacono. Miniſtri parati genuflectunt dum cineres accipiunt, vt in Rubrica, quòd tamen intellige niſi ſint Canonici, vt habes *ex Ceremoniali* Celebrans tamen facta thurificatione priuſquam accipiat cineres, vadit in medio Altaris, vbi verſa facie ad Populum habens hinc indè Miniſtros accipit cineres prout colligitur *ex Cerem. lib.2. cap.19.* à Seniore Chori.

In minoribus Eccleſijs vbi vnicus eſt Sacerdos priùs legit, quæ in Choro cantanda ſunt, deindè ſibimet capiti cineres imponit genuflexus in medio, & conuerſus ad Altare, quaſi cineres à Chriſto Domino accipiat, quód, & ſi aliquibus non placeat, eò quia Sacerdos officium faciens Regula.

gularitet non genufle&at, ſed tantum inclinatur quandocumque reuerentiam facit, ideoque velint tantum inclinari; Attamen non ſunt audiendi, cum rubrica expreſsè in contrarium doceat, genuflexio enim maiorem præſefert humilitatem, quæ memoriam mortis, per cineres ræpræſentatam, ſemper conſequitur.

Quæres hìc, quonam ordine diſtribuendi ſint cineres? Reſpondeo Celebrans primò dat cineres ei, à quo ipſe accepit, túm Diacono, & Subdiacono, at ſi hoc ſit in Collegiata, primò Canonico, à quo accepit, tùm Miniſtris, ſi ſint Canonici, *Cerem. lib. 2. cap. 17.* quòd ſi non ſint Canonici poſt omnes Canonicos; ſi autem neque eſſent Sacerdotes recipient cineres poſt omnes Sacerdotes, ſicuti in Cappella Papali poſt omnes Prælatos, & ipſos Ceremoniarios Diaconus, & Subdiaconus Cappellæ accipiunt candelas, *Marcel. lib. 2. ſect. 1. cap. 30.* & conſequenter cineres, & palmas, cum eodem ordine diſtribuantur.

CAPVT III.

De Dominica Palmarum.

SAcerdos nec tenetur legere Antiphonam, nec lectionem, & Euangelium, quia ex vi Rubricæ primum ad chorum ſpectat, alterum cantari debet à Subdiacono, alterum à Diacono, ſi tamen velit, ea legere poteſt, ſed Euangelium in cornu Epiſtolæ, at magis expedit, vt ea audiat, cum ab alijs decantantur, ſicuti de Euangelio, & Epiſtola in Miſſa dicunt multi Doctores apud *Dianam tom. 2. tract. 1. reſol. 190.* quod pro Miſſa mihi non probatur, cum ſit contra

tra Rubricam; Miniſtri habent manipulos in hac bene-
dictione, quià cantant Euangelium, & Epiſtolam, vt communiter omnes; quòd ſi planetis ante pectus plicatis vtantur eas deponunt, & illico lectis Epiſtola, & Euangelio reſpectiuè reſumant. Ad orationes manus non diſiunguntur; Gauantus addit, quòd neque ad præfationem, ſed de hac vide, quæ diximus *in benedictione fontium parte hac ſect. 2. cap. 3.* Miniſtri medium ſemper tenent Sacerdotem, etiam dùm dicitur præfatio, vt benè Gauantus, auctoritate Marcelli docet contra Piſearam volentem Miniſtros ſtare, vt ad Miſſam; conclusionem tamen præfationis dicunt, cum Celebrante, vt moris èſt in Miſſa.

Dignior ex Clero in ſuo habitu chorali, vt dictum eſt Feria quarta cinerum, accedit ad Altare, & accepto ramo pulcriori ex manibus Acolythi, ſtans conuerſus ad Celebrantem, qui renes Altari vertit ſtans in medio, vt in ſimili dictum eſt in die Purificationis, dat illi palmam cum oſculo palmæ, quam oſculatur etiam officium faciens, vt vult *Gauant. par. 3. cap. 1. num. 1.* ſed *Piſc. lib. 2. ſect. 1. cap. 10. num. 3. & 8.* cum oſculis tantum porrigentis, quòd tradit etiam, *Cerem. lib. 2. cap. 17.* quòd eſt tenendum, quamuis ſit contra id, quod tradit Marcellus de vſu Cappellæ Papalis, cum Ceremoniale ſit regula proxima, & aliena conſuetudo, vt dictum eſt, remota, quæ ſemper proximæ eſt poſtponenda.

Diſtribuit deindè ramos aperto capite, vt dictum eſt Feria quarta cinerum omnibus genuflectentibus, & manum, ac ramum deoſculantibus, exceptis tamen Prælatis, & Canonicis, qui nec genuflectunt, nec manum deoſculantur, Diaconus ramos miniſtrat, vt potè Miniſter proximus Sacerdotis; capiunt autem palmas ordine ſuperius tradito *in cap. 1. huius ſect.*

Euntes

Euntes proceſſionaliter extrà Eccleſiam aperto capite ſint omnes Celebrante excepto, & Diacono: Palmæ tenentur in manibus à Celebrante, & Miniſtris, dum cantatur Paſſio, *Marcel. lib.2. ſect.1. cap.41. et Gauant. par.4. tit.7. num.18. Piſcar. lib. 3. ſect.5.cap.5.num.6.* quomodo autem Paſſio debeat cantari, & à quibus habetur inferiùs, vbi *de feria 6. in Paraſceue par.3. ſect.2.cap.2.*

Si propter pluuiam, vel aliam cauſam fieri non poſſit Proceſſio extrà Eccleſiam, fiat per eam, & in veſtibulo Presbyterij ad cancellos, cantentur verſus, qui dici deberent ad portam, vt hìc ſcribit Gauantus, quod ante eum docuit *Craſ.lib.2.cap.44. & Cerem.Cleric.S.Pauli lib.2.cap.5.* quod ſi neque ſint clathra ante presbyterium omittatur Proceſſio, ſed legantur omnia, quæ dicenda erant in proceſſione.

In minoribus Eccleſijs vbi vnus ſit Sacerdos, procedit è Sacriſtia manibus iunctis, & capite tecto, Miniſtro cum miſſali procedente, facitque aſperſionem aquæ, eaque finita aſcendit ad Altare, & oſculatur illud in medio, tùm in cornu Epiſtolæ aperit librum à Miniſtro depoſitum, & legit verſum *Hoſanna*; tùm Epiſtolam, & Euangelium in cornu dextero, dicto priùs, *munda cor meum, ac iube Domne benedicere*, ſtans inclinatus ante Altare, deindè legit Orationes, & benedicit palmas, demùm accepta ſua, quam tradit alicui tenendam, eas cęteris de Populo diſtribuit, cantantibus, aut legentibus in Choro aliquibus verſus *Pueri Hebreorum*.

Diſtributione peracta, & cantata Oratione ponit incenſum in thuribulũ & accepta palma conuerſus ad Populum dicit *Procedamus in pace* &c. Si autem nullus ſit Acolythus, qui in Choro cantet verſum *Pueri Hebreorum*; ipſe omnia legit priuſ-

Digitized by Google

priuſquam palmas diſtribuat.

In proceſſione legit ea, quæ notantur in Rituali Romano, ſed in reuerſione proceſſionis ad Eccleſiam aliquis Acolythus, vel aliqui Sodales Confraternitatis, ſi ſint, ingrediuntur portam, & antis clauſis agunt, provt in Rituali. Si nullus huiuſmodi ſit claudatur ianua, & Celebrans omnia legat adhuc, quibus peractis percutiat portã ima parte haſtilis, cui infixa eſt Crux, & ingreditur Eccleſiam dicens. *Ingrediente &c.*

Bauldrius hic par.4. cap.6. artic.4. num.5. vult, Sacerdotem ſine Miniſtris hoc officium facientem habere cum ſtola, & pluuiale, etiam manipulum, quia lecturus eſt Epiſtolam, & Euangelium: Super hoc diſputatum eſt, primò, an ſint veſtes conuenientes manipulus, & pluuiale; Secundò, an Celebrans teneatur geſtare manipulum. Vt moris eſt multi multa. Circa primum negabant propè omnes, quia ex *Rubr. gen. par.1. tit.19. num.4.* habemus manipulum eſſe deponendum quotieſcumque ſumitur pluuiale; ſed non benè per hoc concluditur, pluuiale cum manipulo non poſſe conuenire; ex hac enim Rubrica colligimus manipulum deponendum eſſe, quando poſt Miſſam, vel abſolutio ad tumulum, vel Proceſſio ſit facienda, & ſic non ſumus in caſu.

Inſtabãt pluuiale ſignificare glorioſam immortalitatem corporum, & manipulum lacrimas, & fletum, vt ex ipſa oratione in impoſitione manipuli, quod vtrumque ſcribit *Gauant. par.1. tit.19. num.4.* & ſic ſecundùm ſignificationem ita opponi, vt conuenire eodem tempore in eodem Sacerdote non poſſent. At alij non minus opponi dalmaticam manipulo, ſiquidem illa lętitiam ſignificat, vt docet *Iuo Carnotenſis* apud *Gauantum*, & hoc lacrimas,

& mero.

& mœrorem, quàm opponatur manipulus cum pluuiali, & conſequentèr ſicutì cum dalmatica, ſic cum pluuiali poſſe manipulum ſtare; Præterquamquòd nonnè manipulus ſignificat etiam retributionem pro bonis operibus, *Rupertus lib. 1. cap. 33.* Vides ergò quàm benè concordet cum corporum immortalitate in pluuiali expreſſa, quæ proculdubio eſt retributio pro bonis operibus.

Adducebant alij pro affirmatiua ſententia, quòd ſcribit *Marcel. lib. 1. ſect. 2. cap. 1.* fieri in ordinibus Papæ conferendis, quando nundum eſt in ſacris conſtitutus, ideſt, quód datur illi manipulus cum tunicella, mox imponitur ei pluuiale, ſi verò poſtquàm fuerit ordinatus Subdiaconus in eadem Miſſa velit ad Diaconatum procedere, finita Epiſtola deponit tunicellam, & tenet manipulum, & pluuiale, & adhuc ſi velit Sacerdos fieri, cùm fuerit Diaconus, paratur cum ſtola Diaconali, manipulo, & pluuiali; Cum his ergò placet ſentire ob has rationes, quia ſicutì conueniunt hæc duo in hoc caſu, conuenire etiam dicenda ſunt in caſu noſtro, cùm diſparitas non appareat.

Pro ſecunda parte, videlicèt, an teneatur habere manipulum Celebrans, vtrinque ratio elucebat, & negandi, & affirmandi. Negandi, quia ſicuti Sacerdos cum Miniſtris paratis lectionem legit, & Euangelium, aut ſaltèm legere poteſt, vt omnes communitèr docent abſque manipulo, cur non etiam ſine illo poterit ea cantare? Alia ratio eſt, quia ſicutì legitur ab Epiſcopo in cappa prima lectio in officio Miſſæ, & Euangelium, *Cerem. lib. 1. cap. 20.* ſic poterit legi à Sacerdote Euangelium, & lectio cum pluuiali abſque manipulo; Prior ratio affirmandi erat, quia in *Rubr. de lotione pedum Feria 5. in cœna Domini*, & in benedictio-

dictione palmarum debent Miniſtri habere manipulos; Ergò cùm Sacerdos vicem gerat Diaconi, & Subdiaconi debet habere manipulum, quo vti debent hi Miniſtri. Alia ratio eſt, quia non cantatur Euangelium, quin cantans habeat ſtolam, & manipulum, ergò in hoc etiam caſu habere debet vtrumque.

His poſitis: dico, probabiliùs eſſe, Sacerdoti eſſe geſtandum manipulum, primò quia, vt viſum eſt non repugnat cum pluuiali; Secundò, quia ſolemnitèr cantatur etiam Euangelium (Nàm pro epiſtola ſicutì non opus eſt Subdiacono, cùm ſufficiat Lector, ſic non opus eſt manipulo, quo non vtitur Lector) Nec valet, quòd ſicutì Sacerdos poteſt legere Euangelium ſine manipulo, quod eſt cantandum à Diacono cum manipulo, ſic etiam poſſit cantare illud, quando Diaconus abeſt; Non valet inquam, quia legens Euangelium, non legit ex officio, ſed ad placitum, ſicutì ſi ex curioſitate illud legeret in Sacriſtia, quando autem illud cantat, ex officio id facit, etiam tanquam in ordine Diaconali conſtitutus, quibus ordinibus liquidò competit manipulum, etiam extrà Miſſam. Quòd verò etiam extrà Miſsam manipulum competat, patet ex officio Sabbathi Sancti, dum prophetiæ leguntur à Lectoribus, & Sacerdote, qui interim manipulum habet, quæ tamen prophetiæ verè non ſunt pars Miſſæ; ex officio in Feria quinta, quando lauantur pedes pauperibus, quod etſi ſit extrà Miſſam, tamen requirit in Miniſtris manipulum. Nec obeſt, Epiſcopum legere abſque veſtibus ſacris Epiſtolam, & Euangelium, quia Epiſcopus priuatìm legit, Sacerdos autem ſolemniter cantat, & ex officio. Probabile tamen eſt, non requiri neceſſariò manipulum, vt habet *Cerem. Cleric. S. Pauli lib. 2. cap. 5.*

CAPVT IV.

De aſperſione Aquæ benedictæ.

AD finem Tertiæ Sacerdos cum Miniſtris abſque manipulis eo ordine, quem deſcripſimus *cap.* 1. *huius ſect.* procedit ad Altare præcedentibus Thuriferario, vel alio Acolytho cum vaſe aquæ luſtralis recenter benedictæ, & poſt eum Acolythis ceroferarijs cum candelis accenſis, & tandem Ceremoniario, qui capite aperto incedunt, Sacerdote tantùm cum Miniſtris bireta in capite habẽtibus, Acolythi deponunt candelabra, facta Altari genuflexione, vel ſuper credentiam, vel in primo gradu ſuper Altare, aut in planum ipſius Altaris, vt in ſimili docet *Ceremoniale lib.* 2. *cap.* 3. & genuflectunt, vel ad credentiam, vel poſt Celebrantem in plano; Ceremoniarius, vel Acolythus bireta Sacerdotis, & Miniſtrorum deponit ſuper ſcamnum; Thuriferarius cum vaſe aquæ ſe locat ad dexteram Diaconi, Sacerdos autem cum Miniſtris ſtat in plano vſque ad *Benedicamus Domino*. Tunc Celebrans, & omnes alij genuflectunt etiam tempore Paſchali.

Incipit deindè Antiphonam iuxtà temporis differentiam priuſquam aſpergat Altare, *Cerem. lib.* 2. *cap.* 31. deindè accipiens à Diacono aſperſorium cum ſolitis oſculis aſpergit frontem Altaris ter, ſcilicèt primo in medio, tùm in cornu Euangelij, tùm Epiſtolæ, deindè ſe ipſum, & ſurgens Diaconum, & Subdiaconum adhuc genuflexos, tùm ſurgunt omnes, & ijſdem Miniſtris eodem ordine, ac in acceſſu, comitantibus accedit ad Chorum, vbi Diaconus dat iterùm aſperſorium Celebranti, qui eleuantibus interim Miniſtris anteriores partes pluuialis, aſpergit

git omnes ſine mora excepto Superiore, & Canonicis, quos ſingillatìm, & præmiſſa, inclinatione aſpergit, & iterùm inclinatur, vt ſtatuit *Sac. Rit. Congreg.* 20. *Decembris* 1601. ſtantibus interim omnibus; Tùm reddito aſperſorio recedit ante Altare, & aſpergit ſaltèm Populum cancellis circumſtantem, & tandèm alios Miniſtros, dicens interim ſubmiſſa voce Pſalmum cum Antiphona, & poſtremò in cantu verſus cum Oratione ante Altare ſtans, vt ante aſperſionem.

Expoliatur tandem piuuiali, & induitur ſtans ibidem ante Altare, quod non eſt inconueniens, vt in ſimili docet *Ceremon. lib.* 2. *cap.* 37. & Miniſtri accipiunt manipulos, Ceremoniarius interim, vel Aſſiſtens collocat miſſale apertum in cornu Epiſtolæ, & fit Miſſa.

Duo inſuper notanda ſunt, ſcilicèt quòd idem, qui celebrare debet, tenetur etiam aſperſionem facere, ex *Decr. Sac. Rit. Congreg.* 29. *Nouembris* 1632. quod etiam colligitur ex Ceremoniali, & Miſſali; Quòd ſi ibidem expoſitum ſit Venerabile non aſpergitur Altare, nec Diaconus oſculatur manum Celebrantis, aut aſpergillum.

Digitized by Google

SECTIO II.

CAPVT I.

De Feria quinta in Cœna Domini.

HAC die ſub finem Nonæ paratur Altare pallio albo, & ornatu feſtiuo. Nàm vſque ad hoc tempus velatum violaceis operimentis teneri debet, vt docet *Rub. Miſs. par.* 1. *tit.* 18. *num.* 5. In credentia vltrà ea, quæ regularitèr ponuntur erit calix cum parua palla, patena, ac velo albo pretioſo, nullo autem modo pro calice vtantur vaſculo, ſeù pixide, de qua etiamſi *Pontif. par.* 3. *tit.* 4. *Rub.* 3. loquatur, Ceremoniale tamen, & Rubrica miſſalis expreſsè dicunt de calice, vt etiam *Marcel. lib.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 44. atque cuncti Doctores, & communis Eccleſiæ conſuetudo docet. Ponuntur ſuper patenam calicis miſſalis duæ Hoſtiæ, quarum altera in craſtinum ſeruari debet; Duo item thuribula, Baldachinum album portatile, veſtes alterius Subdiaconi pro Cruce, niſi Presbyter aſſiſtens miniſtraret cum Diacono in Proceſſione; velum humerale eiuſdem coloris, Crux proceſſionalis, & faculæ in loco conuenienti. *Piſcara* docet, velum huius Crucis adhibendum eſſe albi coloris, *Bauldrius poſt Gauantum* violacei, & quidem color albus, cùm ſit proprius huius ſupplicationis, etiam Cruci applicandus videtur, ſed de hoc vide inferiùs. Pixis etiam cum particulis pro communione, & calix pro purificatione Sacerdotum, & Clericorum in ſacris; Item ſtolæ albæ pro Sacerdotibus, & pluuiale pro

Cele-

Digitized by Google

Celebrante; Nec non vnum, aut plura crotala, ſiuè tintinabula lignea propè credentiam.

Paratur item Altare, quàm longiùs fieri poteſt à corpore Eccleſiæ, quod nitidiſſimè ornatur, & in eo ponitur tabernaculum cum claui, ſub qua ſeruetur Sacramentum; In latere Epiſtolæ burſa cum corporali extendendo ſuper Altare pro Sacramento ibidem deponendo.

Dum cantatur Hymnus Angelicus pulſantur omnes campanæ, quæ poſtea ſilent vſque ad eumdem Hymnum in Miſſa maiori Sabbathi Sancti, provt etiam organa. An dicatur ante introitum Pſalmus, *Iudica*, dictum eſt ſupra *par. 2. ſect. 2. cap. 1.* Dicto *Agnus Dei* Diaconus venit ad dexteram, Subdiaconus ad ſiniſtram Celebrantis, vt Diaconus calicem diſcooperiat, & cooperiat &c. vt infrà.

Sacerdos ſumpta communione ſub vtraque ſpecie deponit calicem Miſſæ retrò propè tabellam ſecretarum verſus latus Epiſtolæ, ſed non extrà corporale, quem Diaconus palla tegit; Interim Subdiaconus portat de credentia ad Diaconum calicem pro proceſſione, in quem facta priùs, & poſt genuflexione Celebrans collocat Hoſtiam magnã, quam Diaconus cooperit, & velat ſicutì erat, collocatq; retrò propè Crucem, & adducit ad medium corporalis Pixidem pro communione cum debitis reuerentijs ſtante interim Celebrante ad cornu Euangelij cum Subdiacono, vt ait *Piſcara* contra ſententiam *Bauldrij*, qui docet ambos genuflectere.

Fit deindè generalis communio non tantùm Populi, ſed etiã Cleri, vt habet *Cerem. lib. 2. cap. 23.* & *Decretum Sacræ Rit. Congreg.* à pluribus, & ſignantèr à *Gauanto* relatum; fit autem, hoc ordine: Diaconus inclinatus poſt ſe habens Subdiaconum dicit confeſſionem in cornu Epiſtolæ

Digitized by Google

conuerſus ad Aquilonem, Sacerdos aperta pixide cum genuflexione ante, & poſt ſtat iunctis manibus ad Diaconum conuerſus, & facit tempore debito abſolutionem; Tùm accipit Sacramentum, & dicit, *Ecce Agnus Dei &c.* accedentibus interim duobus Acolythis cum mappula ſub mento communicantium tenenda, qui in ſuperiori gradu Altaris faciebus ſibi inuicem conuerſis genuflectūt; Communicat primò Miniſtros, tùm cęteros de Clero per ordinem, & tunc Diaconus, & Subdiaconus medium tenent Celebrantem, & aliquis Sacerdos dat purificationem Sacerdotibus in cornu Epiſtolæ, vel Diaconus vt vſus obtinet, Acolythus reliquis etiam de Populo, qui tamen non communicant niſi ad gradus presbyterij, ex *Conc. Tolet.* 4. In communione hac mos eſt alicubi communicaturos accedere binos, vel ternos ad gradus quidem anteriores, ſed contra cornu Euangelij, à quo nunquam recedit Celebrans nè terga vertat, incedendo ante medium, Sacramento; Communione peracta; vel Diaconus includat Pixidem in ciborium; vel ad ſacellum Sacramenti aliquis Sacerdos deferat cum ſtola, ac velo ſuperhumerali vltrà ſuperpelliceum.

Proſequitur Sacerdos Miſſam purificando calicem, & abluēdo digitos, tùm Diaconus retrahit calicem in medio corporalis, & Subdiaconus calicem Miſſæ aptat, & portat ad credentiam, Celebrans verò legit communionem &c. genuflectitque quotieſcumque tranſit ante medium Altaris, ob præſentiam Chriſti Domini, quamuis ſub velo latentis, reliqua habes in *par. 2. ſect. 6. cap. 1.*

Lecto Euangelio genuflectunt ante Sacramentum, & deſcendunt per gradus laterales in cornu Epiſtolæ in planum, vbi Miniſtri deponunt manipulos, Celebrans autem ma-

nipu-

nipulum, & planetam, & induitur pluuiale per Miniſtros, qui medium eum facientes, eleuanteſque fimbrias anteriores pluuialis ducunt eum ad Altare, & genufle𝔠tunt in ſupremo gradu, facta priùs in plano genuflexione ambobus genibus. Interim paratur alter Subdiaconus pro Cruce, & accenduntur candelæ ad ſacellum, quò deportanda eſt Euchariſtia, ſuper quod extenditur etiam per Sacriſtam corporale, & faculæ in proceſſione adhibendæ, quæ toti Clero circa gradus in presbyterio genuflexo diſtribuuntur, Baldachinum fertur ante Altare, & Subdiaconus cum Cruce inter Acolythos Ceroferarios poſt duos Thuriferarios deſcendit ante Altare, omneſque genuflectunt excepto Subdiacono cum Ceroferarijs.

Facta breui oratione Celebrans ſurgit, & imponit abſque benedictione incenſum in duo thuribula, quorum altero thurificat Sacramentum, prout dicitur infrà *par. 3. ſect. 3. cap. 2.* quo facto extenditur velum humerale ſuper humeros eius, & Diaconus aſcendet ad Altare, vbi facta genuflexione, non ambobus genibus, vt à pluribus fit, accipit calicem, & eum defert ad Sacerdotem, qui genuflexus eum accipit, ac deindè ſurgit, Diaconus autem calicem extremitatibus veli operit vnà cum manibus Sacerdotis, eoque ſurgente genuflectit ambobus genibus, & profundè inclinatur Sacramento, & erigitur; Tunc Celebrans aſcendit ſupra ſuppedaneum, & medius inter Miniſtros fimbrias pluuialis eleuantes faciem Populo vertit, & tunc Chorus inchoat *Pange lingua* &c. & inchoatur proceſſio genuflectentibus ſingulis priuſquam procedant exceptis Subdiacono Crucis cum Acolythis; Quomodò calix ferendus ſit, vide *cap. ſeq. de Feria ſexta in Paraſceue*, ſi contingat cantari verſum *Tantùm ergo*, monet Gauant.

vt omnis Chorus genufl ectant ad duos priores verſus, & docent *Acta Med. Eccleſiæ*, non genuflectit tamen Subdiaconus cum Ceroferarij, ſed nec Miniſtri Sacri cum Celebrante, vt docet *Bauld. hic*.

Deſcendit cùm tempus fuerit in planum ſub Baldachino medius inter Miniſtros eleuatum tenens calicem Hymnos; vel Pſalmos ſubmiſſa voce alternatìm cum eis recitans; nullo autem modo cantans cum Clero, & præcedentibus Thuriferarijs Sanctiſſimum Sacramentum continuè incenſantibus progreditur ad ſacellum; Deferens Crucem cum Ceroferarijs remanet extrà cappellam, nec genuflectunt, ſed neque intrant in cappellam deferentes Baldachinum, quod illicò aſportatur, Clerus ingreditur, cuius ſeniores propinquiores Altari iuniores longiùs genuflectant. Sacerdos autem aſcendit ad ſecundum gradum, & Diaconus quaſi renes vertens ad cornu Epiſtolæ genuflexus ſuper ſuppedaneum de manu Sacerdotis ſtantis accipit Sacramentum; deinde ſurgit, & conuerſus ad Sacerdotem expectat quoadusque cum genuflexione fuerit veneratus Sacramentum, tùm Diaconus collocat calicem vndique velatum ſuper corporale; & Sacerdos deſcendit ad infimum gradum cum Subdiacono, vbi iterùm genuflectit, & depoſito velo imponit miniſterio Diaconi incenſum, & Sacramentum incenſat, cantante Choro *Tantum ergo* &c.

Diaconus finita thurificatione, & hymno aſcendit ad Altare, vbi cum debitis reuerentijs ponit calicem in capſulam, & claui eam claudit, quam dabit Sacriſtæ, vel ei, ad quem ſpectat de conſuetudine Eccleſiæ, laicis tamen etiam eximijs, & nobilibus, & de Magiſtratu nullatenùs credenda eſt, vt ex *Decreto Sac. Congreg. Rit.* docet hic *Gauantus*, dein-

Digitized by Google

deinde extinguuntur cerei exceptis illis Acolythorum, qui Crucem comitantur.

Clauſo oſtiolo deſcendit Diaconus ad dexteram Celebrantis, vbi genuflexus orat cum alijs, ſurgit deinde totus Clerus, & facta genuflexione eodem ordine recedunt, quo venerant excepto quòd Thuriferarij, Crucem præcedunt. In Sacriſtia miſſalibus paramentis exuuntur, vel ſi Veſperis ſit aſſiſtendum itur rectà ad Chorum, vbi depoſitis albis paramentis Celebrans induitur ſtola violacea, quam ſibi ante pectus tranſuerſat Diacono, & Subdiacono in albis remanente per totas Veſperas; Celebrans dicto *Pater* & *Aue* ſecretò inchoat Antiphonam, facto priùs ſibi ſigno Crucis, vt in vſu communitèr eſt, & plures docent, Chorus autem proſequitur ſine cantu, intonat etiam Antiphonam ad canticum, & Pſalmum *Miſerere*, in cuius fine dicit orationem.

Dum dicuntur Veſperæ Acolythi miſſalia, & calicem, & cetera de credentia ad Sacriſtiam reportant, & Sacriſta cum cotta, ſtola, ac velo ſuperhumerali portat pixidem cum particulis conſecratis ad ſacellum, in quo repoſitus eſt calix, vel ad alium locum remotum, ciborium autem vnde aſportatur Sacramentum, apertum relinquatur, & extinguitur lampas ante illud ardens.

Veſperis peractis (non dùm dicuntur Veſperæ, vt habet *Ceremi. lib. 2. cap. 23.* & poſt illud *Gauantus* hic) Celebrans cum Diacono ſtolam violaceam gerente ſub brachio dextero ligatam, & cum Subdiacono in albis procedunt vnus poſt alium, vt diximus *par. 3. ſect. 1. cap. 2.* cum Ceroferarijs abſque candelabris, & cum Ceremoniario ad Altare maius, vbi facta reuerentia Cruci, intonat Sacerdos Antiphonam, quam Chorus proſequitur cum Pſalmo ita lentè,

Digitized by Google

vt omnia Altaria exuantur; Interim Sacerdos aſcendit ad Altare cum Miniſtris, quod expoliabit amouendo tobaleas, & pallium, quæ per Acolythos aſportantur cum cæteris omnibus ornamentis Altaris excepta Cruce, & candelabris, quorum tamen cerei extinguuntur; Alia ſimiliter Altaria diſcooperiunt, & interim Ciborium denudant, & Crucem maioris Altaris violaceo velant operimento, vbi ex antiqua conſuetudine albo operiatur pro officio Feriæ quintæ, vt infrà dicendum eſt, denudantur etiam pulpitum, & parietes, vt ex Ceremoniali colligitur ibidem.

Fit deinde Mandatum, pro quo in aliqua Cappella, vel aula, ſiuè in Sacriſtia, hæc debent fuiſſe parata. Scamnum aliquod oblongum panno aliquo modeſti coloris cooperto pro Sacerdotibus, ſiuè pauperibus, quibus lauantur pedes; Ante ſcamnum ſternantur tapetia, & duo cuſſini ſupponendi genibus Sacerdotis, abacus item, & ſuper eo duo miſſalia, mappa linea oblonga, quà cingatur Sacerdos; Alia mappa multò amplior, vel duæ pro abſtergendis pedibus, vel treſdecim ſingulæ ſingulis adhibendæ, Bacile amplum, cum buccale pro lotione pedum, aliud bacile cum mica panis, & buccale pro lotione manuum Celebrantis, peluis aliqua cum eleemoſynis, ſi pauperibus erogantur, legile etiam nudum cum miſſali pro Cantoribus, Altare item albis paramentis cum Cruce, velo violaceo tecta parandum eſt, quòd ſi Altare ibidem non ſit, poteſt aliqua menſa aptari in formam Altaris, & duæ candelæ collocari ſuper abaco, vt ibi docent Ceremoniale; habetur etiam legile coopertum panno decenti pro cantando Euangelio; Noto aliquos velle Crucem Altaris in Eccleſia, & in aula dicta cooperiri albo velo, alios viola-

ceo,

Digitized by Google

eeo, ſed nullibi iubemur albo vti, quamuis ratione indumentorum non deſit aliqua ratio, quapropter ſtandum erit conſuetudini.

Cùm tempus fuerit, dato ſigno, vt in Rubrica ex Sacriſtia procedit Clerus capite cooperto proceſſionaliter procedente Subdiacono cum Cruce, & Ceroferarijs, vt volunt *Gauantus*, *&* *Bauldrius*, & ante eos Thuriferarius cum thuribulo fumigante: demùm Celebrans cum Diacono à ſiniſtris albis parati, & quidem Miniſtri cum manipulis, cùm cantandum ſit Euangelium, ſicut fit in cantu præconij die Sabbathi ſequentis; Subdiaconus ingreſſus Cappellam deponit Crucem, Ceroferarij expectant in plano ſtantes, Clerus apud legile facta Cruci reuerentia ſe ſiſtit, Celebrans autem facta reuerentia Altari ad illud aſcendit, quod oſculatur in medio, & Diaconus acceptum librum à Ceremoniario aptat ſuper Altare, dicens, *Munda cor meum*, imponitur incenſum, & cantatur more ſolito Euangelium, fitque thurificatio, tùm deponunt Thuriferarius thuribulum, & cereos Ceroferarij, & Miniſtri manipulum, expoliantque Celebrantem, prout in Rubrica, & fit lotio pedum cantante Choro Antiphonas cum primis verſibus pſalmorum, prout in Miſſali. Finita ablutione Sacerdos lauat manus ad abacum, deinde rediens ad Altare deponit linteum, & accipit pluuiale, ſtanſque inter Miniſtros, qui tenent librum eleuatum, niſi ponatur ſuper legile, aſſiſtentibus etiam Ceroferarijs cum cereis, dicit *Pater noſter*, & orationem, ac demùm ordine, quo venerant, reuertuntur in Sacriſtiam.

Pro minoribus Eccleſijs, vbi vnus eſt Sacerdos, eadem reſpectiuè præparantur, & fiunt, Calix tamen pro ſeruanda ſacra Hoſtia in craſtinũ poteſt collocari in cornu ſiniſtro

Alta-

Altaris, niſi etiam vnicus ſit calix, quo caſu Hoſtia poſſet conſecrari cum particulis in pixide, & in ea portari ad ſacellum, vt colligitur ex *Pontif. par. 3. tit. cit.* aliqui in purificatum calicem, & ablutis digitis Hoſtiam ſacram ponunt, & iterùm purificant digitos ſuper aliquod vas, vt fit poſt peractam communionem poſt, aut extrà Miſſam, qua peracta, deponat manipulum, & caſulam extrà cornu Epiſtolæ, & induat ſibi ope alicuius Miniſtri pluuiale, vel manipulum tantùm, vbi pluuiale non habetur; cętera vt in Rubrica.

Si Veſperas dicere velit in Choro, ad quas tamen non tenetur, ex dictis *par. 1. ſect. 1. cap. 3. de Rubrica*, ijs finitis denudabit Altare maius, lecto priùs Pſalmo, cum Antiphona, niſi in Choro adſint Sodales, aut alij laici, qui ea legant, quo caſu Sacerdos Antiphonam tantùm inchoabit.

Pro mandato, vbi fieri ſolet Sacerdos paratus pluuiali, & manipulo, vel etiam abſque manipulo, vt ſupra diximus, *hac par. ſect. 1. cap. 3.* leget Euangelium in cornu dextero Altaris, tùm ſtolam ſolam, tenens, vt ſupra, præcingit ſe linteo, & lauat pedes pauperum; Si adſit Chorus, qui legere poſſit Antiphonas &c. alitèr ipſe eadem legit, deindè expoliatur vſque ad ſtolam excluſiuè, & cætera agit, provt in Miſſali, auxiliantibus Sodalibus, vel aliquibus pijs laicis.

Dubitatur adhùc, an hac die poſſint dici aliæ Miſſæ vltrà ſolemnem, etiam in priuatis Oratorijs Regularium, & Laicorum. Doctores aliqui apud *Dian. tom. 2. tract. 1. reſol. 73. num. 1. 2. & 3.* affirmant, negant alij: Prior ratio negandi eſt, quia Sacra Rituum Congregatio ſtatuit, hac die fieri totius Cleri communionem, ergò nullus

ex

ex Clero poterit celebrare. Hæc ratio multi quidem ponderis mihi non eſt, nec conſequentia videtur legitima, quia dato etiam, quòd de hoc decreto authenticè conſtet, quod non conceditur à pluribus, & conſequenter habeat vim obligandi, numquid huic obligationi non ſatisfiet, vbi maior Cleri pars co nmunicabit? Certè *Cerem. lib. 2. cap. 29.* idem docet, videlicèt, quòd die Paſchatis fiat generalis communio Populi, & Cleri, & tamen ex eodem capite colligitur non omnes communionem ſumere, vbi ſcilicèt dicit, eos ſtare, qui non communicant, alios verò genuflectere, ergò ex eo quòd fieri debeat communio Cleri, non benè arguitur communio ſingulorum, ſed maioris partis Cleri, ſic enim ſæpè potior, & maior pars per vniuerſitatem deſignatur; Vides ergò non ſequi, aliquem Sacerdotem ſecretò non poſſe celebrare? Poſterior ratio eſt, quia conſuetudo, quòd Clerus communicet videtur obtinuiſſe vim legis, & proinde ſeruandam eſſe, cui reſpondendum eſt primò, conſuetudinē antiquā n eſſe, quòd maior pars Cleri, non quód ſinguli ex Clero communicent; Secundò dato etiam, quòd antiquitùs extiterit conſuetudo, à ſingulis communionem percipiendi, non ſequi tamen, ſingulos ad communionem teneri, quia prior conſuetudo poſteriore abrogata eſt, nàm ſicutì conſuetudo derogat legi præcedenti, ità etiam derogat conſuetudini, vt eſt extrà controuerſiam.

Aliud erat dubium, quod ſcribit idem *Diana hic num. 4. 5. 6.* Vtrùm poſt ſolemnem Miſſam poſſit aliquis celebrare in ſacello priuato? Affirmatiuè ipſe contra aliquos reſpondet, cum quo ego quoque ſentio; Nec valet, quòd peractis Veſperis incipiat officium Paraſceues, quia, vt ipſe reſpondet, non eſt celebrandum in eadem Eccleſia, ſed

in

in loco diſtincto, & remoto: Hæc reſponſio *Dianæ* clariùs apparebit ſic explicata; Non minus eſt ſeparata à Cathedrali, v. g. quæcumque Eccleſia regularis, & Parochialis in eadem Ciuitate, quàm ſit quodcumque Oratorium priuatum, ſed peracto officio Veſperarum in Cathedrali hora, v. g. 16. poterit hora 17. inchoari Miſſa ſolemnis in Eccleſijs Regularibus, & Parochialibus. Et vt veritas magis eluceat, probatur: Quia peracto officio in eadem Cathedrali, Miſſæ poſt Veſperas ampliùs non ſunt celebrandæ in quantum intrauit tempus Paraſceues, in Cathedrali, ſed in Parochialibus, in quibus ſolemne ſacrum factum non eſt nondum intrauit Paraſceue, ergò in illis celebrari poterit etiam poſt Veſperas Cathedralis, ergò etiam in Oratorio priuato; minor probatur, quia per aduerſarios Paraſceue incipit ad Altarium denudationem, ergò in ijs Eccleſijs vbi Altaria non ſunt denudata nondum eſt Paraſceue, quod exemplo ſic demonſtratur: Incidit hoc anno 1680. Feſtum S. Antonij Martyris, cuius oſſa in Cathedrali noſtra adſeruantur *die 16. Decembris*, quæ habet Officium feriale pro Diœceſi; quæro nùm in hac Diœceſi abſolutè dici poſſit, quòd ſit Feſtum S. Antonij? Non vtique, ſed quod ſit Feſtum in Cathedrali, & Feria in alijs Eccleſijs; Sic ergò denudatis Altaribus in Cathedrali, ibidem eſt tempus Paraſceues, in alijs autem Eccleſijs vbi adhuc non eſt facta denudatio durat officium Feriæ quintæ, & conſequenter ibidem poterunt celebrari Miſſæ priuatæ, quod pariter de priuatis Oratorijs eſt dicendum, cùm par omninò ſit ratio.

Quæres, vtrum, cadente Feſto Annunciationis in diem Feriæ quintæ, aut Sabbathi, poſſint Sacerdotes plures Miſſas facere, vt Populus præcepto Miſſæ audiendæ ſatisfaciat.

Affir-

Affirmant alij, alij negant apud *Dian. cit. num.* 10. 11. 12. *& reſol.* 74. amplecti tamen vnuſquiſque deberet affirmatiuam, tùm quia magis fauet pietati fidelium, ac venerationi talis Feſti, tùm quia ſic ſcrupulis occurritur eorum, qui vni Miſſæ intereſſe non poſſunt, tùm quia, vt ſupra probatum eſt, nulla eſt prohibitio, quæ Sacerdotes à celebratione arceat, vt ipſa conſuetudo confirmat, ergò meliùs eſt celebrare tot Miſſas, quot Populo ſufficiant; Eo autem caſu Miſſa erit de Feria quinta, vel de Sabbatho Sancto reſpectiué, ea ratione, quæ traditur infrà *cap.* 3. Nec valet, quòd à quibuſdam obijcitur infra, Miſſam nempè Sabbathi non habere Introitum, & proindè, vel eſſe celebrandam Miſſam de ſequenti Dominica, vel de Feſto occurrente cum Sabbatho; Non valet inquam, quia ſicutì poteſt celebrari Miſſa ſolemnis abſq; Introitu, & Offertorio, ſic etiam priuatę poterunt dici; Neque dicas, Prophetias habere locum Introitus in ſolemni, quibus, cùm non dicantur in priuatis, ſubrogandum eſſe Introitum aliquem, vt fit in priuatis Sabbathi ante Dominicam Pentecoſtes, vel Miſſam de Feſto eſſe faciendam; Reſpondeo enim primò, quòd Prophetiæ non pertinent ad Miſſam, ſed ad benedictionem fontis, quia leguntur ad inſtructionem Cathecumenorum, *Durand. lib.* 6. *cap.* 81. *num.* 14. & poſt *Alcuin. Gauan. par.* 4. *tit.* 10. *num.* 13. *lit. X.* Secundò non eſſe Introitum, quia Introitus legitur poſt confeſſionem, & Prophetiæ leguntur ante illam. Quòd autem non poſſit his diebus celebrari de Feſto, vide infrà *cap.* 3.

CAP.

CAPVT II.

De Feria ſexta in Paraſceue.

ALtare omninò nudum ſit, & omni ornatu careat, exceptis candelabris cum candelis ex cera communi, & Cruce grandiori cum velo violaceo ità compoſito, vt facilè diſſolui valeat, gradus omnes Altaris nudi ſint, & benè mundati, tres cuſſini coriacei, aut quatuor, ſi Celebrans habeat Presbyterum aſſiſtentem ſupponēdi ante inchoationem officij capitibus Sacerdotis, & Miniſtrorum, & nudum legile, aut plura ponenda in cornu Euangelij pro cantanda paſſione, quia non cantatur in ambone, niſi Dominica Palmarum, vt habet *Cerem. lib.* 2. *cap.* 21. quod fit ob tollendam omnem ſolemnitatem, vt in Miſſa Defunctorum *Cerem. l b.* 2. *cap.* 11. in qua non cantatur Euangelium, niſi in Presbyterio.

Credentia in cornu Epiſtolæ linteo cooperiatur nulla ex parte defluente, in ea collocentur burſa, cum corporale, ac purificatorio, duo ſaltem miſſalia cum nigris operimentis, & cuſſinus eiuſdem coloris, tobalea munda ſuper Altare, thuribulum cum acerra, & incenſo, hamulæ vini, & aquæ, vaſculum cum aqua ad purificationem digitorum, ſtola item lata pro Diacono, qui cantat extremam partem paſſionis, propè credentiam ſedes collocetur omninò nuda.

Propè Altare paratur etiam in loco remoto tapes, & cuſſinus grandior violaceus cum mappula ſericea alba, & lanx pro eleemoſynis, Crux item proceſſionalis nuda cum duobus candelabris cum candelis de cera communi. Aliqui

addunt

addunt pannum nigrum ſupponendum Sacerdoti, & Miniſtris cum procumbunt, ſed ſatiùs eſt benè planum, & gradus mundari ad maiorem mærorem, & ad excludendam omnem feſtiuitatem.

Ad ſacellum paratur aliud thuribulum cum ſua acerra, velum album humerale, baldachinum item album, intortitia, & tabulæ ligneæ.

Hora congrua dato ſigno cum tabula dicuntur horæ candelis extinctis, & ſine cantu, Ad finem autem Nonæ ponuntur cuſſini in ſecundo gradu pro proſtratione Sacerdotis, & Miniſtrorum, qui finita Nona hoc ordine procedunt de Sacriſtia induti nigris paramentis, & quidem Miniſtri cũ planetis plicatis, ſi in Collegiatis inſignibus ſint, ſi autem fuerint in Collegiatis non inſignibus, aut in inferioribus Eccleſijs, in albis cum ſtola, & manipulo Diaconus, & Subdiaconus cum ſolo manipulo. Præibit Thuriferarius, quem ſequuntur Acolythi, omnes manibus iunctis, tum Ceremoniarius, deinde Miniſtri, & Celebrans, qui tres capite ſint tecto; Cum peruenerint ad Altare, capite detecto omnes genuflectunt Cruci, vt docet *Piſc. lib.3. ſect.5. cap.2. num.2.* & poſt eum *Gau. par.4. tit.8. num.*13. cum *Baul. par.4. cap.9. art.4. num.8. Gau.* tamen *& Bauld* docent, Celebrantem non genuflectere; quod eſt directè contra *Cerem. lib.2. cap.*25. vbi habemus Epiſcopum Celebrantem hac die depoſita mitra genuflectere Cruci, etiam ante denudationem, quod modò ſeruatur in Cappella Papali tantummodò poſt Crucis denudationem ex propria conſuetudine. Sacerdos, & Miniſtri genuflectunt, deindè poſitis genibus in plano procumbunt deponentes caput ſuper cuſſinis, & diutiùs orant; Acolythi, & alij genuflectunt, prout etiam Clerici omnes in Choro, ac Populus

Digitized by Google

in Eccleſia, & capite inclinato orant, Miniſtri tamen inferiores alicubi proſtranrur pro aliquo tempore, deinde maturiùs ſurgunt, & extendunt tobaleam ſuper Altare, in cuius latere dextero Ceremoniarius collocat puluinum cum libro; Finita oratione aſcendit Sacerdos cum Miniſtris ad Altare, quod etiam oſculatur in medio (adde etiam cum genuflexione ex ſupradictis) & recedens ad cornu Epiſtolæ legit Epiſtolam voce ſubmiſſa, in cuius fine nõ dicitur *Deo gratias*, *ex rub. gen. par. 1. tit. 10. n. 1.* quod dicendum eſt etiã de ſequenti, & de prophetijs Sabbathi, & aliquis Lector comite Ceremoniario eandem cantat in loco conſueto; Finita Prophetia, & cantato tractu per chorum Miniſtri recedunt à latere dextero Celebrantis vbi ad Prophetiam ſtare debent ex *Cerem. lib. 2. cap. 28.* & deſcendunt vnus poſt alium retro Celebrantem, vt fit ad orationes Miſſæ, & Celebrans dicit orationem extenſis manibus, ac præmiſſo *Flectamus genua &c.* Finita oratione deponit Subdiaconus planetam plicatam, & cantat lectionem, nec in fine oſculatur manum Sacerdotis, hoc enim die oſcula prohibentur *Cerem. lib. 2. cap. 26.* deinde reſumit planetam, quam ſemper tenet vſque ad finem officij. *Gauantus par. 4. tit. 9. num. 12. lit. N.* vult Subdiaconum ſtare in albis, ſicut & Diaconus vſque ad finem officij, tùm ex vſu Cappellæ Papalis, tùm quia Diacono miniſtrante abſque caſula æquum eſt, vt etiam ſine caſula miniſtret Subdiaconus, attamen *Cerem. lib. 2. cap. 25.* docet, Subdiaconum ſtare cum caſula ad totum officium, excepto tempore, quo legit lectionem; Nec valet, quòd Diaconus ſtet in albis, quia etiam in Miſſis Aduentus, & Quadrageſimæ ſtat in albis ab Euangelio vſque ad communionem, tùm etiam quia Sacerdos dum detegit Cru-

cem

cem ſtat in albis, & Miniſtri habent planetas, ergo magis poterit geſtare planetam Subdiaconus, quamuis ſine ca-ſit Diaconus; Cantatur deinde Tractus, & interim parantur tres Diaconi cum ſtolis, & manipulis nigris ſuper alba, aut ſi nigræ ſtolæ &c. non habeantur, violaceis ex *Cerem. lib.* 2. *cap.* 25. dummodò eiuſdem coloris ſint veſtes Celebrantis, & Miniſtrorum; Hi tres procedunt è Sacriſtia hoc ordine, primò Ceremoniarius, deinde qui agit Perſonam Euangeliſtæ, deinde qui turbarum, demùm qui Chriſtum repreſentat, quos ſequuntur tres Cappellani cum cottis, & facta reuerentia Altari ſiſtunt ſe in loco Euangelij medium facientes eum, qui Chriſtum repræſentat, cui dexter eſt Euangeliſta alio à ſiniſtris ſtante; tres Cappellani ſtant contra Diaconos, librumque eis ſuſtinét, modò hic, modò ille, prout nempè Diaconi legere debent; alicubi tamen adhibent tres libros, quos tenent Cappellani, vel collocant ſuper legilia, quorum conſuetudo non eſt reprobanda.

Finito Tractu cantãt Paſſionem, quam legit etiam Celebrãs totam paulò conuerſus ad Diaconos, vt notat *Marcel. lib.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 39. *&* *Cerem. lib.* 2. *cap.* 26. in cornu Epiſtolæ aſtantibus ſibi Miniſtris, prout ad Prophetiam, Celebrans legens *Et inclinato capite tradidit &c.* non genuflectit, præmittit tamen *Munda cor meum*, ſtans ibidem inclinatus verſus Crucem, & finita paſſione, ad quam nõ dicitur *laus tibi Chriſte* ex *rub. gen. par.* 1. *tit.* 10. *num.* 6. conuertitur omninò ad Cantores ſtante Diacono à ſiniſtris Celebrantis, & Subdiacono à ſiniſtris Diaconi in recta linea: Quando Cantores peruenerint ad ly *expirauit* illi conuerſi ad librum, Celebrans, & alij ad Crucem ambobus genibus genuflectunt pro ſpatio vnius *Pater*, omneſque

neſque ſurgunt ſurgente eo, qui Euangeliſtam repreſentat, aut ad nutum Ceremonarij, & Euangeliſta cantat partem, quæ ſupereſt vſque ad *Altera die*, qua finita abeũt Cantores ordine, quo venerant, & tolluntur legilia, illicò Diaconus Miſſæ depoſita planeta, & accepta ſtola latiori collocat librum ſuper Altare, & facit prout in Rubrica, neque ſignando librum, neque oſculandum Celebranti eum offerendo, neque dicendo *Per Euangelica dicta &c.*

Vbi non multi ſunt Clerici, & ſolet Diaconus Miſſæ cantare Paſſionem, hæc obſeruanda ſunt: Circa finem Tractus deponit Diaconus planetam, & accepta ſtola latiori ponit librum in Altari, ac genuflexus dicit *Munda &c.* tum ſurgit, & aſcendit ad Altare, à quo aſportat librum, & cum Subdiacono, & Acolythis, ac Thuriferario vadit ad locũ Euangelij vbi cantat paſſionem, aſſiſtente Ceremoniario ad librum Celebrantis; Cum peruenerit ad partem, quæ cantatur in tono Euangelij abſolutè illam cantat in tono conuenienti, ex *Marcel. lib.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 54. Verùm in hac parte Marcello non aſſentior. Ratio non inefficax eſt, quia die Palmarum, & alijs quibus dicitur Paſſio, Sacerdos celebrans Miſſam priuatam legit paſſionem vſque ad eã partem, quæ cantatur in tono Euangelij tùm, & non prius reuerſus ad medium Altaris dicit *Munda cor meum &c.* & Diaconus cantat vſque ad dictam partem cum alijs Diaconibus, deinde dicit *Munda*, ergo etiam vnico Diacono totam Paſſionem cantante debet eam interrumpere, & præmittere orationem *Munda* illi parti, quæ cantatur vt Euangelium. Iſta omnia ſeruantur etiam die Palmarum, & alijs duobus infra hebdomadam excepto, quòd Diaconus, prout etiam tres Diaconi oſculantur manum Celebrantis, Diaconus petit benedictionem, vtitur thure ad ado-

adoſendum, & librum, antequam cantet, & Sacerdotem poſtquam in fine oſculatus fuerit librum, & reſpondetur in fine Sacerdoti *Laus tibi Chriſte.*

Finita paſſione recedit Diaconus, & Subdiaconus retrò poſt Celebrantem, qui illicò manibus iunctis cantabit primam monitionem, tum dicit cantando *Oremus* aperiens, & iungens manus, & caput Cruci inclinans, Diaconus genuflectens ante alios ambobus genibus cantat *Flectamus &c.* Et omnes etiam Prælati, vt habet *Cerem. lib. 2. cap. de fer. 6.* excepto Celebrante genuflectunt, Subdiaconus ſurgens ante omnes dicit *Leuate*, ſurguntque omnes, & Celebrans cantat primam orationem, & ſic deinceps; Ad finem orationum Acolythi extendunt tapete cum cuſſino, cui ſuperinducunt mappulam ſericeam albam, aut ad gradum Presbyterij, aut ad gradus Altaris ex *Cerem. lib. 2. cap. 25.* & inter primum, & ſecundum gradum collocatur cuſſinus.

Sacerdos cantatis orationibus deſcendit extra cornu Epiſtolæ ad partem poſteriorem Altaris vbi deponit caſulam ope Subdiaconi, & ſurgentibus omnibus in Eccleſia, de manu Diaconi accipit Crucem eiuſdem Altaris, quam facie, vel ad chorum, vel ad Populum conuerſa, vt notat *Cerem. lib. 2. cap. 26.* detegit, vt in Rubrica, & cantat *Ecce lignum &c.* nec genuflectit ad *Venite adoremus*, Crucem autem eleuat ſingulis vicibus vſque ad altitudinem oculorum, vt docet *Marcel. lib. 2. ſect. 1. cap. 51.* quod colligitur etiam ex *Cerem. lib. 2. cap. 25.* vbi habemus vocem altiùs ſemper eleuari, non autem Crucem, vt putat *Gau.* hic; Peracta denudatione, Crucem ſolus portat ad locum adorationis deſcendentibus interim Miniſtris ad locum ſeſſionis, & ibidem ſtantibus. Cætera in Rubrica vide, cui adde omnes

nes adorantes Crucem deponere calceos ex *Cerem. lib.* 2. *cap.* 26. & Miniſtros beneficiatos, ſi in Collegiata celebretur, vbi ſint Canonici, oſculari Crucem poſt Canonicos, vt ex eodem Ceremoniali colligitur hìc, & Celebrantem legere improperia in cornu Epiſtolæ cui aſſiſtũt Miniſtri poſtquam oſculati fuerint Crucem, & interim denudantur omnes Cruces per Eccleſiam, ex *Craſ. lib.* 2. *cap.* 47. Finita adoratione Diaconus Crucem reportat ad Altare omnibus genuflectentibus, coram queis ipſe tranſit, prout etiam fieri debet à Sacerdote Diacono eam ab Altare ad locum adorationis deportante; Aſportantur deinde ab Acolythis tapete, peluis cum pecunijs oblatis in adoratione, & miſſale portatur ad cornu Euangelij.

Circa finem adorationis accenduntur candelæ Altaris, & Acolythorum, ponitur ignis in thuribulo, paratur alter Subdiaconus, ſed abſque manipulo, & Diaconus portat ex credentia ad Altare burſam, & purificatorium, quod ponit propè corporale extractum de burſa, & apertum, ac appoſitum in medio loco ſolito. Fit deinde proceſſio, & Sacerdos miniſterio Diaconi, qui nullum oſculum interponit, ponit thus in thuribulum, quidquid contra ſentiat *Gauantus* hìc, qui opponitur directè *Ceremoniali lib.* 2. *cap.* 23. Deſcendentes omnes ab Altare, aut ante illud tranſeuntes genuflectunt Cruci, excepto Subdiacono cum Cruce, & Ceroferarijs, & itur per breuiorem viam ad ſacellum Sacramenti, primò Thuriferarius, tùm Subdiaconus, & Ceroferarij, quibus exceptis cuncti Cappellam ingrediuntur; portatur interim baldachinum ad oſtium Cappellæ, & reliqua, prout in Rubrica.

Quærunt aliqui, quomodò portandus ſit calix, & reſpondent eleuandum eſſe velum à parte anteriori à Diacono, & Sa-

ſcer-

Digitized by Google

cerdotem deferre illum ſiniſtra, dextera ſuper velo poſita, ſic *Bauld. & Gauant.* ſed *Cerem. lib.* 2.*cap.* 26. dicit,quòd ambabus manibus accipitur calix; ſi ambabus manibus accipitur, ergo non ſola ſiniſtra, ſed iuxtà ſententiam *Piſcar. lib.* 3. *ſect.* 7. *cap.* 4. *num.* 6. accipitur ambabus manibus calix cum paruo velo, vt apud nos eſt in vſu; Vbi viſum eſt inſupèr addere, quòd calix tegitur palla mox patena inuerſa, vt notat etiam *Bauldrius*, non patena poſita, prout fit pro celebratione Miſſæ cum palla ſuper ea, quæ ad nihilum deſeruiret.

Cùm proceſſio reuerſa eſt ad Altare maius, Subdiaconus Crucem deponit in loco conuenienti, & ſpoliatu veſtibus Subdiaconalibus in habitu chorali aſſiſtit ſuo loco. Acolythi deponunt candelabra ſuper credentiam, Clerus genufleᶜtit vſque ad peractam communionem, & funalia ſemper tenentur accenſa vſque ad communionem factā, baldachinum portatur vſque ad oſtium Presbyterij, tum reponitur; Sacerdos autem miniſterio Diaconi deponit calicem ſuper Altare,vt heſterna die,& eum thurificat depoſito priùs velo humerali, & impoſito thure, quo facto aſcendit ad Altare medius inter Miniſtros,vt docet Rubrica. Interim abit vnus Thuriferarius, & portantur hamulæ ad Altare, Diaconus detegit calicem, & accipit patenam, quam tenet eleuatam ſuper corporale, Sacerdos verò calicem accipiens, vergit Hoſtiam ſuper patenam, ac deponit calicem in medio, & recipit patenam de manu Diaconi, ac deponit abſque mora Hoſtiam, quam ſi tangit purificat digitòs, depoſita prius patena non ſubtus, ſed ſuper corporale;Subdiaconus accedit interim ad dexteram Diaconi, quo ponente vinum in calicem,non abſterſum purificatorio, etiam ipſe ponit aquam,& recedit iterum ad

ſiniſtram Celebrantis, qui acceptum calicem à Diacono collocat in medio, prout in Rubrica, quem Diaconus palla cooperit abſque genuflexione.

Fit deinde thurificatio Sacramenti abſque benedictione quidèm incenſi præcedente, ſed cum verſiculis videlicet *Incenſum iſtud &c.* quod habetur per ly *more ſolito*; illud tamen notandum eſt, quòd antequam inchoetur thurificatio Hoſtiæ, & calicis fit genuflexio, eaque finita iterum genuflectit; Incenſatione finita deſcendit in planum vbi tradit thuribulum Diacono, qui illud Thuriferario tradit aſportandum, & lauat manus facie ad Populum conuerſa, miniſtrantibus Acolythis aquam, & Miniſtris ſacris manutergium; Reuertitur deinde ad Altare Sacerdos, & Diaconus ad librum, Subdiaconus autem in planum.

Proſequitur deinde, prout in miſſali, ſed nota non dici: *Suſcipiat*: dicto *Orate fratres* à Celebrante, qui nec ſignat ſe cum patena poſt orationem Dominicam. In eleuatione Sacramenti Sacerdos ſiniſtram tenet ſuper Altare ex *Cerem. lib. 2. cap. 25. & 26.* Miniſtri autem genuflectunt in ſecundo gradu Altaris, nec eleuatur planeta; Fit tamen incenſatio, ſicut facta eſt in proceſſione, & in prima appoſitione Sacramenti in Altare; Deponit eadem manu Hoſtiam ſuper patenam; & facta genuflexione cum Miniſtris erectis accipit Hoſtiam, & Diaconus ad dexteram detegit calicem, in quem tertiam partem Hoſtiæ abſque ſigno Crucis immittit, vt docet *Cerem. ibidem*, quod etiam ſtatuit Sac. Rit. Congregatio, teſte *Bauld. Gauan. & Piſc.* Diaconus tegit calicem, & genuflectunt omnes; Sacerdos dicit orationem, prout in miſſali, Subdiaconus recedit à ſiniſtra ad dexteram, & Diaconus à dextera ad ſiniſtram Celebrantis, qui deinde ſumit Hoſtiam ſtantibus interim

Mi-

Miniſtris profundè inclinatis, & poſt aliquam moram in meditatione Sanctiſſimi Sacramenti accipit cum vino particulam exiſtentem in calice, quem detegit Subdiaconus, & cum eodem calice Sacerdos non ſignat ſe iuxtà decretum Sac. Rit. Cong. quod referunt *Gauant. & Bauld. citati*, contra id quod ſcripſerat *Marcel. lib. 2. ſect. 1. cap. 51.* miniſtrat deinde Subdiaconus vinum, & aquam pro ablutione digitorum non calicis cum in eo ſanguis non fuerit, & aſportantur funalia, ac extinguntur; Sumpta ablutione Sacerdos inclinatus manibus ante pectus iunctis dicit *Quod ore &c.* interim Subdiaconus portat calicem de more ad abacum, & Diaconus claudit miſſale, & deſcendunt in planum vbi acceptis biretis ritu, quo venerant reuertuntur ad Sacriſtiam; Dicuntur poſtmodum Veſperæ candelis accenſis; & interim denudatur Altare, & credentia ab Acolythis.

Minutiores ritus, & ceremonias hic extendi potuiſſem, & circa genuflexiones aliquid exſcribere, ſed ſatis ex dictis dum de Miſſa ſolemni, & de Miſſa coram Sanctiſſimo Sacramento egimus, & ex eo principio ſupra poſito, ideſt quod quotieſcumque aliquis tranſit ante Crucem genuflectere debet vnico tamen genu non ambobus, vt fit Sacramento quiuis facilè arguet, quod opus eſt.

Pro minoribus Eccleſijs eadem parantur, ſed vbi non ſunt Acolythi, & vnus eſt Sacerdos paratur Altare cum burſa, & purificatorio, vaſe vitreo cum aqua in gradu Altaris; Item ad ſacellum burſa cum corporale, ſuper quo ponatur calix dum clauditur capſa; Sacerdos ergo venit de Sacriſtia manibus iunctis, & capite tecto præcedente Miniſtro cum miſſali, niſi collocatum ſit ſuper Altare; Proſternit ſe priuſquam aſcendit ad Altare, & orat, cantat lectionem,

nem, prophetiam, & paſſionem, ſed hanc in cornu Epiſtolæ, deinde orationes, & dicens *Flectamus genua* genufle-ctit; Si adhibeatur aliquis Diaconus tantùm pro cantanda Paſſione, quod non improbatur, debet adhuc à Sacerdote cantari extrema pars in tono Euangelij, præmiſſo *Munda cor meum*, ſemper tamen in cornu Epiſtolæ, ſicuti fit ex Ceremoniali, & Rubrica propria in Miſſa ſolemni, ſi autem officium non fiat in cantu Sacerdos omnia legit.

Dictis orationibus deſcendit in planum, & deponit caſulam, ac redit ad Altare, à quo Crucem accipit, & detegit, vt ſupra, aliquo Aeolytho, aut alio pio viro librum ſuſtinente, deinde collocat ſuper cuſſinum, adorat, reſumit planetam, & legit improperia clara voce, niſi cantentur, tum extendit corporale, & aptat purificatorium, ac collocatur miſſale per Miniſtrum in cornu Euangelij propè medium Altaris, demum reportat Crucem ad Altare, & accenduntur candelæ; Fit deinde proceſſio, & imponit primo thus in thuribulum. Ad ſacellum extendit corporale, aperit capſulam, & thurificat Sacramentum genuflexus, tum accipit velum humerale, & aſcendens extrahit de capſa calicem, quem collocat ſuper corporale, ac claudit capſulam. Cætera non egent explicatione; Finito officio Celebrans aptat calicem, eumque aſportat àd Sacriſtiam, ac demùm denudantur Altaria, & extinguuntur cerei, niſi legendæ eſſent Veſperæ, quibus expletis candelæ extinguuntur.

CA-

Digitized by Google

CAPVT III.

De Sabbatho Sancto.

ORnatur tempeſtiuè Eccleſia ſimplici, & mediocri apparatu, prout fit diebus Dominicis Quadrageſimæ, & Aduentus, vt habet *Cerem. lib. 2. cap. 27.* non apparatu ſolemniori, vt aliqui docent; Baldachinum tamen ſuper altare appenditur album, candelæ ſint ex cera alba, imagines omnes adhuc velatæ, pallium, & conopæum tabernaculi ſubtus album, ſupra violaceum facilè mobile, gradus ad altare omninó nudi, nuda ſedes pro Celebrante, & Miniſtris, ſed in loco apto habeantur tapete, & pannus ad vtrumque cooperiendum; Ante altare in plano contra cornu Euangelij legile coopertum panno albo ſericeo, & auriphrigiato, propè illud magnum candelabrum pro cereo, ac baſis marmorea non longè pro arundine; Retro altare parantur cuſſini coriacei pro Sacerdote, & Miniſtris, legile nudum pro legendis prophetijs, & caſula violacea pro Sacerdote, & *Diacono*, ac manipulum; Credentia linteo cooperitur, ac in eo collocantur omnia iuxtà conſuetudinem, miſſalia tamen duplex habent integumentum ſubtus album ſupra violaceum, item duo cuſſini violaceum, & album, velum humerale album plicatum, candelulæ pro accendendis lampadibus, quæ omnia teguntur vſque ad principium Miſſæ velo violaceo.

In Sacriſtia aptantur paramenta alba, & violacea, non tamen pro *Diacono*, ſed pro Sacerdote erit pluuiale, thuribulum cum igne, & nauicula, bacile cum granis benedicendis, miſſale, vas aquæ luſtralis cum aſperſorio, magnus cereus benedicendus, & arundo floribus, & ſerico ornata habens

in ſummitate tres candelas, quæ in calce vnitæ ſint, & in ſummitate diſiunctæ, vt exprimit figura quæ videtur in Ceremoniali, quod etiam docet *Gauantus* hic, Crux etiã proceſſionalis, & candelabra. Hic etiam poterit aptari vas aliquod cum lignis, in quo accendatur ignis ex *Cerem. lib. 2. cap.* 28. excuſſis fauillis ex ſcilice, vel ex criſtallo, vt habet *Durandus*, materiæ autem ſuccendendæ aptiores ſunt lignis quibuſcumque ob fumum carbones, ſi autem ignis benedicatur ante portam in atrio ibi collocanda erũt paramenta alba pro Diacono, ac violacea pro Subdiacono, ac miſſale pro benedictione, & candela accendenda nouo igne, & laterna ſi opus ſit.

Paratur etiam ad fontem baptiſmalem, vbi ille habetur, parua menſa cum duabus candelis accendendis dum in eo collocabuntur ſacra olea, mappula ad abſtergendas manus Sacerdotis, bacile cum mica panis, ac buccale, vas pro aſſeruanda aqua ad domorum aſperſionem, aſpergilla, & ſtolæ violaceæ pro Sacerdotibus Populo aquam aſperſuris, quòd ſi baptizaturus aliquis erit infantes, aut alios ea addenda ſunt, quæ in Rituali Romano præſcribuntur. Cæterùm mediocriter, non ſumptuosè ornari debet locus fontis, vt correſpondeat colori, qui primariè adhibetur à Sacerdote, & Miniſtris, qui violaceus eſt, & proinde non lætitiam, ſed mærorem deſignans.

Dictis ergo omnibus horis accedit Celebrans ad Sacriſtiam vbi ſtolam, & pluuiale induitur ope Miniſtrorum ſuper alba, Miniſtri autem albam amictum, & cingulum non planetam, vt hic *Gauantus*, quod docet etiam *Cerem. lib. 2. cap.* 28. *& Marcel. lib. 2 ſect. 1. cap.* 57. & benedicit ignem legendo, non cantando orationes ſtante Subdiacono cum Cruce contra Celebrantem, & per ordinem Cle-

ro circa eum, Diacono paulò retrò à dextris, & Acolythis cum incenſo, thuribulo, & aqua poſt Diaconum,& Celebrantem; dum benedicitur incenſum Thuriferarius accepta forcipe ponit carbones ardentes in thuribulum, & tradit nauiculam Diacono completa benedictione, qui cum oſculis ſolitis miniſtrat incenſum Sacerdoti, & ponitur thus in ignem cum ſolita benedictione, atque aſpergitur, ac thurificatur nouus ignis, vt ſupra præcedenti ſectione dictum eſt, & extinguuntur omnes lampades in Eccleſia; Subdiaconus hoc facto deponit Crucem, & accipit manipulum, & planetam plicatam ſi ea vtatur, Diaconus verò manipulum ſtolam, & dalmaticam albam, & accipiunt ille Crucem, hic arundinem, Ceremoniarius candelam accenſam igne benedicto, & procedunt extra Sacriſtiam in Eccleſiam hoc ordine; Primò Thuriferarius cum thuribulo fumigante, impoſito ſcilicèt prius thure à Celebrante, habens à dexteris Acolythum deferentem bacile cum granis benedictis, quod portat eleuatum ambabus manibus, deinde Subdiaconus cum Cruce ſolus, nequaquam autem medius inter Ceroferarios, tum Clerus per ordinem, mox Diaconus cum arundine habens ad ſiniſtram Ceremoniarium geſtantem candelam accenſam; poſt hos Sacerdos, qui ingrediens Eccleſiam biretum deponit, prout Epiſcopus ex *Cerem. lib. 2. cap. 27.* ſurgit hoc tempore, & caput aperit.

Ingreſſo Eccleſiam Celebrante Diaconus inclinat arundinem accendit vnam candelam, & cantatur, ac fit prout in Rubrica. Tradit deinde, dicto tertiò *lumen Chriſti*, vni Acolytho arundinem tenendam, & accipiens de manu Ceremoniarij miſſale genuflectit in ſupremo gradu non præmiſſo *Munda cor meum*, & petit benedictionem à Sacerdote

Digitized by Google

ſtante in latere Epiſtolæ ad altare, cui etiam oſculatur manum, ac præeunte Thuriferario cum thuribulo fumigante ex priori impoſitione thuris deſcendit in planum, locat librum ſuper pulpitum, thurificat, & cantat præconium conuerſus ad Aquilonem, aſſiſtentibus Miniſtris, prout in Rubrica, vertentibus tamen facies, vt Diaconus, ſed facies Crucifixi conuertatur à Subdiacono ad Celebrãtem ex *Cerem. lib. 2. cap. 27.* Inſigens grana incenſi, in modum Crucis id faciat, quæ reſpiciat Celebrantem, & interim Chorus ſedet, non tamen Celebrans, quo facto Acolythus vadit ad deponendum bacile ſuper credentiã, ex qua reportat candelam extinctam ad eundem locum, in quo iterum ſe ſiſtit; Proſequente Diacono cantum ſurgit chorus; Bis adhuc ceſſat à cantu, primò quando accendit cereum cum vna arundinis candela, & omnes iterum ſedent, ſecundò dum Acolythus accendit lampadas vicinas cum candela, quam ipſe Acolythus illuminat igne cerei vel trianguli paulò ante ly *Apis mater eduxit*. Nominatur in fine Papa, Epiſcopus, & Imperator, nulluſque alius niſi de licentia Pontificis, ſede autem vacantẽ Papali, aut Epiſcopali, aut Imperatore defuncto ſiletur eadem ratione, qua omittitur in canone, prout ſuo loco dictum eſt.

Finito præconio collocatur arundo ſuper baſem ſuam, & Diaconus ſequens Subdiaconum, quos præcedit Thuriferarius, & ſequuntur alij Acolythi vadunt retro altare vbi Subdiaconus Crucem, Thuriferarius thuribulum, Diaconus albas veſtes deponit, & accipit violaceas, & reuertuntur ad Celebrantem, qui tunc ope Miniſtrorum induitur, prout in Rubrica, niſi à Ceremoniario interim induceretur quod non diſconuenit.

In-

Interim omnes ſedent in choro, & collocatur miſſale in cornu Epiſtolæ, aſportatur legile cum miſſale, aut collocatur idem denudatum in medio chori, aut ante altare cum miſſale cooperto violaceo velo, & ducitur aliquis Acolythus à Ceremoniario ad cantandam primam prophetiam, ſeù lectionem quam cantat in tono feriali inflectens parū vocem in fine, nec oſculatur manum Celebrantis ex *Rub. gen. par.* 2. *tit.* 6. *num.* 8. ſed illicò genuflectit vſque ad *Leuate* quando dicitur *Flectamus genua*, aliàs illicò abit ſemper manibus iunctis, quas non disiungit, niſi quando cantando eas deponit ſuper librum; Recordetur autem Ceremoniarius, Lectori ſtandum eſſe ad legile vſque ad finem orationis, ex *Cerem. lib.* 1. *cap.* 18. Celebrans legit eaſdem ſubmiſſa voce ex miſſale (nec reſpondetur *Deo gratias*) aſſiſtentibus ſibi ſacris Miniſtris, prout ad introitum Miſſæ, quique ad orationes, quæ etiam cantantur manibus extenſis ex *Cerem. lib.* 2. *cap.* 27. deſcendunt poſt illum, & dicunt *Flectamus genua &c.* & dicta oratione redeunt ad latus Celebrantis, & ſic deinceps Prophetiæ cantantur, & leguntur reſpectiuè; Tractus item leguntur à Celebrante, & cantantur à choro; Finita Prophetia quacumque poterit ſedere in cornu Epiſtolæ in loco proximo gradibus altaris vadens, & rediens per breuiorem viam cū Miniſtris.

Ordo legendi Prophetias eſt, vt incipiant iuniores, ſiue Clerici in minoribus conſtituti, ſiue Sacerdotes, ſiue Canonici, quód ſi pauci ſint, & ſinguli ſingulis dicendis non ſufficiant, vnus plures cantet non continuatè, ſed interpolatè; Interim paratur alter Subdiaconus pro Cruce, & aliquis Sacerdos catechizat baptizandos (ſi aliqui ſint) prout in Rituali, vſque ad ingreſſum Eccleſiæ, nam cætera fiunt benedicto fonte, & baptizantur.

Digitized by Google

Cantatis propheti js, & orationibus deponit Sacerdos planetam, & manipulum, quod etiam deponunt Miniſtri, vt in ſimili docet *Cerem. lib. 2. cap. 25.* & accipit pluuiale, Subdiaconus accipit Crucem, & medius inter Ceroferarios geſtantes cereos accenſos, ac eos præcedente aliquo Acolytho cum cereo benedicto accenſu, quem ambabus manibus tenet procedit ad fontem, ſequuntur Clerici bini, & bini aperto capite cantantes Tractum, tum Sacerdos capite tecto inter Miniſtros ex *Cerem. lib. 2. cap.* 28. qui eleuantes ei fimbrias anteriores pluuialis capite detecto veniunt ad fontem, priuſquam intret in Cappellam fontis legit ſine cantu orationem *Omnipotens ſempiterne Deus reſpice &c.* ſuſtinentibus librum Miniſtris, deinde accedit ad fontem, & dicit ſequentem orationem, & quidem ſine cantu, quod coniicitur ex Rubrica ſequenti, quæ eſt ante præfationem, & eſt: *Eleuans vocem in modum præfationis proſequitur*; ſi eleuat vocem ergo ſubmiſſa voce; & ſine cantu dixerat prius orationem.

Cantat deinde præfationem ſtans inter Miniſtros habens contra ſe Crucem, & à latere dextero cereum benedictū: At quæres num iunctis manibus, *Gau. par. 4. tit. 7. in nu.* 10. affirmat: *Caſtellanus* è contra negat in ſuo Pontif. *par. 3. cap.* 1. cum quo ego ſentio. Ratio cui ego innitor eſt, quia in Pontif. Rom. reformato plures habentur præfationes extra Miſſam, quæ expanſis, & diſiunctis manibus leguntur, & ſignantèr *par. 2. tit. de benedict. camet. & de dedic. Eccleſiæ, de Altar. conſec. de Eccleſiæ, & Altar. reconcil. & alibi etiam*; ergo manibus expanſis legenda eſt; Nec officit, orationem legi manibus iunctis, & ob hoc prefationem legendam non eſſe diſiunctis cum ſit concluſio orationis, non officit inquam, quia etiam in Pontificali

legun-

Digitized by Google

leguntur orationes manibus iunctis,& præfationes diſiunctis,& tamen etiam præfationes notatæ in Pontificali ſunt concluſiones orationis, cum ergo par ſit ratio idem modus ſeruandus eſt in hac, ac in illis. Finita præfatione, & reliquis peractis, prout in Rubrica abeunt proceſſionaliter, ordine quo venerant, ad altare, Subdiaconus reportat Crucem, & Acolythi candelabra ad Sacriſtiam.

Celebrans depoſito pluuiali,& Miniſtri planeta plicata cuncti in albis, ex *Cerem. lib. 2. cap.* 28. procumbunt genuflectentes in plano, caput deponentes ſuper cuſſinos locatos in gradibus altaris,vt dictum fuit heri,& tunc inchoātur Litaniæ, & non ad fontem, vt habet *Bauld. par.* 4. *cap.* 11. *art.* 5. *num.* 1. quod eſt contra Ceremoniale ibidē; Nec geminatur verſus *per ſanctam Reſurrectionem &c.* vt vult *Craſſus, & Piſcara* cum omnis additio etiam minima vetita ſit ex *conſt. Pij V.* Ad verſum *Peccatores* ſurgunt, & acceptis biretis vadunt ad Sacriſtiam præcedentibus duobus ſaltem Acolythis, ibique induuntur paramentis albis; Cantores interim lentiùs proſequuntur Litanias, & Acolythi tollunt omnia violacea de altari, & credentia, deteguntur omnes ſacræ imagines, quod Romæ fieri ſolet ad hymnum *Gloria in excelſis*, teguntur gradus,& ſuppedaneum altaris tapete, & panno ſcamnum Celebrantis, ac circa finem Litaniarum accenduntur candelæ altaris.

Procedit Celebrans cum Miniſtris,prout fit pro Miſſa ſolemni ita tempeſtiuè,vt Cātores non cogantur pauſare,ſed illicò cantare *Kyrie eleiſon*, prout in Rubrica; facit confeſſionem, aſcendit ad Altare, quod more ſolito thurificat & ipſe thurificatur, tum in medio ſtans cum Miniſtris dicit *Kyrie*, quibus à choro cantatis deſcendentibus Diacono, & Subdiacono poſt eum cantat *Gloria &c.* & illicò orga-

na,& omnes campanæ pulſantur dummodò fuerit datum ſignum à Matrice Eccleſia, ante quod nulli licet campanas ſonare ſub certa pœna ſtatuta in *Concil. Later. ſub Leone. X. ſeſſ.* 11. aliàs pulſantur tantum illæ, quæ ſunt in Eccleſia, quæ non ceſſent niſi finito hymno, cætera de more excepto, quòd ad Euangelium Ceroſerarij procedunt manibus iunctis, & ſignant ſe cum Diacono.

Cantata Epiſtola oſculatur Subdiaconus manum Celebranti, qui illico intonat *Alleluia* proſequente choro, repetens deindè ſecundò, & tertiò, choro etiam cantante, pro vt clarè Rubrica. Quæres vtrum dùm cantatur *Alleluia* omnes in choro, & Eccleſia ſtare debeant? Aliqui affirmatiuè ſentiunt quia *Cerem. lib. 2. cap.* 27. docet, quòd Epiſcopus ſtat cantans *Alleluia*, inferunt illi, ergò etiam, Clerus per regulam generalē eiuſdem *Cerem. lib.* 1. *cap.* 18. quòd nempè ſtante Epiſcopo ſtet totus Clerus, ergò etiam quiuis Clerus ſtabit dùm hæc cantantur; Tamen ex eo quòd ſtet totus Clerus in Cathedrali non benè idem arguitur faciendum etiam in alijs Eccleſijs, quòd patet ex eo quia in Miſſa Pontificali ſtante Epiſcopo ad Altare ab offertorio vſque ad finem Miſſæ, etiam omnes de choro ſtare debent ab offertorio vſque ad finem Miſſæ, & tamen non benè infertur ſtandum eſſe in alijs Eccleſijs pro eo tempore cum in Miſſa Pontificali ideò ſtandum ſit, quia Pontifex ſtat, non quia fiat Miſſa ſolemnis; Sic etiam in noſtro caſu. Reſpondeò tamen affirmatiuè ex vſu Cappellæ Papalis, vt docet *Marcel. lib. 2. ſect. 1. cap.* 57. vbi quamuis Papa non cantet *Alleluia*, ſed Subdiaconus Apoſtolicus, vel etiam Cardinalis celebrans, Papa tamen ſurgit, & ſtat ſtantibus cunctis; cætera ex Rubrica.

Cantato *Oremus* illico Subdiaconus vadit ad credentiam, ex

qua

qua impoſito ſibi velo humerali portat calicem de more, & inſuper burſam cum corporale ſuperpoſitam, quem collocat inter medium Altare, & cornu Epiſtolæ, Diaconus autem ſtans ad latus dexterum Celebrantis accipit burſam, & vadit ad medium vbi erat Sacerdos, qui decedens verſus cornu dexterum Altaris cedit ei locum, vt extendat corporale, quo facto Diaconus recedit, & Sacerdos reuertitur ad medium vbi accipit patenam, & alia facit de more.

Dùm Celebrans ſe purificat cantatur in choro *Alleluia*, & primus pſalmus, quæ etiam ſubmiſſa voce poteſt ipſe recitare ex dictis *par.1.ſect.1.cap.3.* tempore opportuno, vt infrà dicam hoc numero, intonat deindè Antiphonam *Veſpere* &c. & imponit incenſum, ac dùm inchoatur canticum facto ſibi ſigno Crucis, vadit ad medium vbi incenſat Altare, & incenſatur à Diacono ipſe, & totus chorus, ac Subdiaconus ſtans propèCelebrantem in cornu ſiniſtro, conuertens faciem ad Diaconum ſtantem ad poſterius cornu Epiſtolæ, thurificatur deindè à Ceremoniario Diaconus in eadem parte, deindè Acolythi, & Populus, ac reportatur thuribulum ad Sacriſtiam; Sacerdos poſt incenſationem dicit cum Subdiacono canticum, *Marcel. lib.2. ſect.1. cap.57.* quo finito per chorum abeuntibus Miniſtris à latere dextero Celebrantis poſt eum, dicit *Dominus vobiſcum*, & orationem, & peragit Miſſam, ac reuertitur in Sacriſtiam.

Reportetur deindè Sacramentum ad Altare maius, & extinguuntur tres candelæ arundinis, quæ amplius ardere non debent, & cereus Paſchalis benedictus, pro quo alia regula ſeruatur, nàm accenditur toto tempore Paſchali vſque ad Euangelium ſolemnis Miſſæ in die Aſcenſionis incluſiuè,

quibus verò diebus ardeat, & ad quas functiones *Bauld.* *par.4. c.11. art.5. num.24.* refert decretum Sac. Rit. Cong. declarantis accendendum eſſe ad Miſſas, & Veſperas ſolemnes in triduo Paſchatis, Sabbatho in Albis, & Dominicis diebus vſque ad Aſcenſionem, in alijs verò diebus præcipuè feſtiuis ſeruandam eſſe conſuetudinem; Poteſt ergo accendi diebus feſtis ad Miſſas, & Veſperas ſolemnes, item ad votiuas ſolemnes, non tamen in paramentis violaceis, aut in alijs luctuoſis actionibus, puta Litanijs maioribus, & minoribus, vt docet *Piſc. lib.2. ſect. 8. cap.8. num.4.* quapropter damnatur abuſus eorum, qui in Miſſis pro defunctis immò in ipſis exequijs eum accendunt, & collocant iuxta cadauer, vt alicubi in noſtra Diœceſi ſeruatur.

In minoribus Eccleſijs vbi vnicus eſt Sacerdos benedicto igne, & impoſito thure in thuribulum deponit violaceas veſtes accipitque albas diaconales, & tenens arundinem ingreditur Eccleſiam, & vadit ad Altare dicens *Lumen Chriſti*, proùt in Rubrica præcedente Thuriferario cum thuribulo, & alio geſtante quinque grana incenſi, ac eo, qui portat Crucem, qui Sodales alicuius Confraternitatis poterunt eſſe, vbi Acolythi non habentur; deponit deindè arundinem ad pedem marmoreum, vel relinquit eam in manibus Acolythi, & accipiens librum genuflectit ante Altare in infimo gradu dicens *Iube Domine benedicere*, & ſubdens *Dominus ſit in corde meo &c.* & accedens ad legile cantat præconium.

Finito præconio ipſe recedit, vel in Sacriſtiam, vel retro Altare vbi depoſitis diaconalibus accipit manipulum ſtolam, & caſulam violaceam, & reuertitur ad Altare, ac incipit legere prophetias, & ſi erit aliquis Acolythus eaſdem in plano ante Altare cantare poterit, & Chorus omnes

tractus

Digitized by Google

tractus; Sacerdos dicens orationes genuflectit ad *Flectamus* &c. quod ipſemet etiam dicit. Lectis prophetijs deponit caſulam, & manipulum, & accipit pluuiale, ac legens verſus vadit ad benedictionem fontis in qua extollit, & deprimit vocem etiamſi non cantet, vt tenet Bauldrius, & ipſe aſpergit aſtantes, & baptizat ſi aliqui ſint, quos catechizauerit ante officium, & introduxerit in Eccleſiam, quòd tamen, vbi vnus eſt Sacerdos, nimis eſt difficile; Reuertitur deindè ad Altare, coram quo depoſito pluuiale procumbit ſi aliquis cantet, vel legat litanias, ſi verò ipſe eas dicat ſtat genuflexus, vt docet *Bauld. par.4. cap.11. art.6. num.* 10. quo caſu non dicit in fine *Kirie eleiſon*, ſed diſcedit ad veſtiendum ſe pro Miſſa celebranda, & iterim paratur Altare, & accenduntur candelæ.

Reuertitur deindè cum Miniſtro gerens ſibi calicem, quo diſpoſito in Altari inchoat Miſſam quæ ſi adſint laici, qui cantent cantari poterit etiamſi reliquum officium celebratum fuerit ſine cantu; Dicto *Oramus*, K*irie*, ſtans in medio dicit *Gloria*; Dicto Euangelio, & *Oremus* diſcooperit calicem, & offert panem &c. Dicto *pax Domini ſit ſemper vobiſcum* omittit *Agnus Dei*, & proſequitur orationes, proùt in Rubrica. Si Miſſa legitur, pro communione dici poterit Antiphona ad *Magnificat* ſine pſalmis ſecundum veriorem ſententiam, niſi vigeat alia conſuetudo, vt diximus ſupra *par.1. ſect.1. cap.3.* ſi verò ſit in cantu ſeruari poteſt Rubrica, & hæc regula teneri poteſt etiam pro Miſſis priuatis non Parochialibus, ſi aliquando celebrari contingat, vt diximus loco citato.

Dubitatur an priuſquam cantetur Miſſa ſolemnis, poſſit celebrari aliqua Miſſa priuata in loco remoto. Et quidem reſpondendum eſt affirmatiuè, tùm quia conſuetudo inue-

Digitized by Google

terata hoc ius tradidit, tùm quia ſi aliqua eſt ratio in contrarium, maximè eſt quia tempus mæroris, & paſſionis adhuc durat, quo celebrare non licet, ſed hæc ratio nullius eſt momenti, quia ſicuti Feria quinta poteſt dici Miſſa in loco remoto poſt ſolemnem, eò quia, quamuis intrauerit paraſceue reſpectu Eccleſiæ, in qua officium abſolutum eſt, non intrauit tamen reſpectu Oratorij priuati, in quo eſt celebrandum, ità quamuis adhuc duret tempus mæroris, & paraſceue reſpectu Eccleſiæ, in qua adhuc per Miſſam non recolitur Myſterium Reſurectionis Domini, attamen non durat reſpectu Oratorij priuati, in quo celebratur Miſſa de Reſurrectione, quæ eſt excluſiua luctus, & mæroris, ergo benè poteſt celebrari aliqua Miſſa ante ſolemnẽm in loco remoto.

Quæres vtrùm ſi dicantur Miſſæ priuatæ, poſſint celebrari de Annunciatione precipuè, ſi hæc ſolemnitas occurrat hoc Sabbatho, *Diana tom. 2. tract. 1. reſol. 75. num. 10. & 11.* docet, non poſſe niſi celebrari de Sabbatho; Ratio autem deducenda eſt ex duabus Rubricis; altera *Breuiar. die Palm.* docente, quòd quodcumque Feſtum cadens in hebdomadam maiorem transfertur; altera *Miſſalis par. 1. tit. 6.* in æditionibus nouiſſimis docente, quòd etiam de Feſtis transferendis pro hoc tempore prohibetur quæcumque votiua, & nedum de Feſto transferendo, ſed etiam pro quacumque graui, & publica neceſſitate.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO III.

CAPVT I.

De Tempore Paſchali.

SAcratiſſima Paſchatis dies nil peculiare habet in Miſſa præter ſequentiam, quæ antiquis temporibus longior erat, quartus enim verſus videlicèt *Dic nobis Maria &c.* germinabatur ante *Angelicos teſtes* & tertiò ante *Surrexit Chriſtus*, poſt quem verſum addebatur decimus, *Credendum eſt magis ſoli Mariæ veraci, quam Iudeorum turbæ fallaci*, nec in fine addebatur vt modò fit. *Alleluia*.

Controuerſia orta erat anno elapſo inter aliquos Parochos Vrbanos, nùm hoc ſancto die ſub ſerò expletis Diuinis Officijs ſepelire liceret cadauera defunctorum. Alij affirmabant, cum id vetitum non ſit, & expletis Officijs Diuinis dies Eccleſiaſtica dicatur peracta; Alij è contra negabant auctoritate *Piſcara lib. 2. ſect. 9. cap. 2. num. 7. & Corſet. tractat. 2. par. 2. cap. 9. num. 6.* & eorum ratio erat, ne tanta diei ſolemnitas funebri, & luctuoſa pompa miſceretur; Vtrique per ſe citabant *Rit. Rom. tit. de exequijs in rub. ante Officium Defunctorum*. Quæſiuit alter eorum à me quid nam de hoc ſentirem.

Reſpondi iuxta patriam conſuetudinē tumulandi cadauera ſine Miſſa vt plurimum, ſepeliri poſſe Veſpere non modò, ſed etiam manè ante inchoationem Officiorum, tùm die Paſchatis, cum etiam Feria ſexta in Paraſceue. Ratio eſt,

Digitized by Google

quia ideò reſeruanda ſunt cadauera in diem ſequentem, nec ſepelienda prædictis duobus diebus, vt cantetur in eorum præſentia Miſſa ſolemnis de Requiem, proùt in *prima* Rub.*de exeq.num.*4. quæ Miſſa in diebus magnæ celebritatis fieri non decet, vt *ibid.num.*5. quòd quoad vtramque partem docet *Durand. lib.*7. *cap.*35. *num.*17. & poſt eum, *Gauant. par.* 1. *tit.*5. *num.*2. *lit.*X. Cum autem Miſſa debeat omninò cantari ſuper corpore antequam tumuletur, vbi talis eſt conſuetudo, vt Durandus, & Gauantus ibidem notant, hinc eſt, quòd Feria ſexta in Paraſceue, in qua ſacrum peragi nequit, & in diebus magnæ celebritatis, ideſt primæ claſſis, in quibus prohibetur Miſſa de Requiem, cadauera ſepeliri non poſſunt; Hìc vero vbi viget conſuetudo ſepeliendi cadauera etiam abſque Miſſa, & Officio, ſequitur quocumque die ea tradi poſſe ſepulturæ, *Corſett. ſupracit.* huius eſt ſententiæ, & quamuis initio *ad num.*6. dicat, excepto die Paſchatis exequias celebrari poſſe, in fine tamen addit, id eſſe intelligendum, vbi viget conſuetudo ſepeliendi Defunctos cum Miſſa, in quo ſenſu intelligendus eſt etiam loqui *Piſcara*, iuxtà quem citatur à *Corſetto*.

Ad eam rationem, quam Aduerſarij afferunt, videlicèt: Nefas videri lętitiam tanti diei luctui, & lacrimis funeralibus commiſceri, reſpondendum eſt, quòd ſicutì natura ſtatuit, quodcumq; temporis ſpatium funeri aptum, & ſupremis fatis ſemper eſſe maturum, ità conſentaneum eſt, nullum eſſe tempus, in quo ſuprema pietatis officia orationibus, & lacrimis perſolui non poſſint.

Dubitatum fuit Mantuæ anno 1680. cadente Feſto S. Marci infrà Octauam Paſchatis, cuius Miſſa cantatur poſt Proceſſionem in Eccleſia, cuius eſt titulus S. Marcus, nùm

dicen-

dicendum eſſet Graduale, Præfatio de Apoſtolis, & *Ite Miſſa eſt*, cum duplici *Alleluia*. Rationes dubitandi circa primum erant, quia in Miſſis Sanctorum tempore Paſchali omittitur Graduale, & videtur conuenire tantúm Miſſæ de Octaua, in qua Graduale dicitur propter recenter baptizatos, vt habet *Durand. lib.6. cap.*88.*n.*10. ſignificat enim luctum,& pęnitentiam, vt ſcribit *Inoc.III. lib.*2. *cap.*31. Sed contraria ratio eſt, quia Graduale poteſt referri ad vocationem baptizatorum, vt *Gau. par.*1. *tit.*10. *in num.*2. *& par.*4. *tit.*11.*num.*3. ſicutì *Innoc.III.* hìc refert idem ad vocationem Apoſtolorum, eorumque ſequelam poſt Chriſtum; Contra has rationes inſtabant aliqui, ſicutì dicitur *Communicantes*, *& hanc igitur de Octaua*, cur non poteſt dici etiam Graduale, cùm non minus ſit propria Octauæ vtraque oratio *Communicantes*, *& hanc igitur*, quàm ſit ipſum Graduale? Rationes dubitandi circa ſecundum ſunt, quia Octaua Natiuitatis non excludens Feſta, excludit tamen quamcumque præfationem, ergò magis Octaua Paſchatis excludens Feſta, excludet etiam præfationes; ſed contraria ratio vrget, quia, vt dicitur in *Rub. gen. par.*1. *tit. de tranſlatione Feſtorum*, non excluditur Miſſa ſolemnis de transferendo, vbi præcipuè ſit Titulus, & concurſus, ergò cùm Miſſa conceduntur etiam acceſſoria ſi habet propria, vt hæc habet præfationem. Rationes circa tertium ſunt, quia duplex *Alleluia* non videtur propriùs Miſſæ de tempore, ſed propriùs temporis; ſic in Miſſali Carmelitico datur duplex *Allelluia* Miſſis per totum tempus Paſchale *Rub. in die Paſch.* ſic *Allelluia*, non modò dicitur in Officio per totam Octauam ad *Benedicamus Domino*, ſed etiam in aſperſione aquæ benedictæ poſt Miſſam principalem, & in

aſper-

aſperſione domorum, & in diſtributione Sacræ Euchariſtiæ, ex *Rit. Rom.* ergò videtur conuenire quibuſcumque Miſſis celebratis infrà Octauam. Contraria eſt, quia Ritus proprius videtur Miſſæ Paſchalis, vt tradit *Corſet. tract. 1. par. 2. cap. 9. num. 2. Gau. par. 4. tit. 9. num. 3.*

Dicendum modò circà primum in hac Miſſa non dicendum Graduale. Ratio præcipua eſt quia, Graduale communiter pęnitentiam. & męrorem deſignat, illud tamen huius Octauæ lætitiam ſignificat, vt ex ipſis verbis patet. *Hæc dies quam fecit* &c. ergò non conuenit dici Gradualia męroris, dum non admittitur niſi Graduale lætitiæ, idem docet *Bauld. par. 4. cap. 12. num. 7.* Conijcitur item non dici Graduale, ex eò quia in Miſſa Lytaniarum, cùm cadunt infrà hanc Octauam, non additur Graduale, quòd quidem à Reformatoribus non fuiſſet neglectum.

Dicendum circa ſecundum, omittendam eſſe præfationem Paſchalem, & cantandam de Apoſtolis; ratio eſt, quia *Rub. gen. par. 1. tit. 12. num. 4.* docet in Miſſis votiuis dici præfationem propriam, ſi habetur, aliàs de Octaua, vel de tempore. Dicendum circa tertium cum *Piſc. lib. 3. ſect. 9. cap. 2. num. 4.* dici duplex *Alleluia*; nec verum eſt, quòd *Gauantus* contrarium doceat, vt tradit *Corſettus*, *& Angelus par. 2. cap. 18.* ſed docet tantummodò, quòd in votiuis ſolemnibus, quæ in violaceis cantantur, non eſt admittenda hæc vox lætitiæ, vt benè etiam ſcribit *Arnaud. par. 4. tit. 11.* ergò intelligendus eſt *Gauantus* omnibus Miſſis votiuis, quæ non celebrentur in violaceis; & ſemiuotiuis ob paritatem rationis, tribuere *Allelluia*.

Quæres vtrum occurrente Feſto Paſchatis cum Litanijs maioribus transferendæ ſint Litaniæ in Feriam ſecundam, vt *Rub. propr. Miſſalis*, vel in Feriam tertiam ſequentem, vt notat

notat *Rubr. Breuiarij in die S. Marci: Bauld. par.4. cap.* 12. *num.*9. ad Feriam ſecundam vult transferri, *Gauan. par.* 4. *tit.* 11. *num.* 10. ex decreto Sac. Rit. Congreg. per quod contrarium cauetur, docet, ad Feriam tertiam eſſe tranſferendam, à quo non eſt recedendum, cùm per decretum ſatis tollatur dubietas, quam parit duplex, ſibique inuicem oppoſita Rubrica. Circa Litanias notandum item eſt, quod ſunt pars Officij, ità vt eas priuatìm recitare teneantur, qui publicis non interſunt, vt ex *Rub. Breuiar. die* 25. *Aprilis, & Fer.* 2. *rogat.* In iis nomina Sanctorum non deſcriptorum non debent apponi, etiamſi ſint Titulares, & Patroni, vt aduertit *Gauantus* ex decteto Sacr. Rit. Congr. *in Comment. Breuiar. ſect.* 9. *cap.* 4. *num.* 10. quòd non modò valet in publicis proceſſionibus, ſed etiã in priuata Litaniarum recitatione, vt notat *Sanchez*, ratio autem eſt, quia Officium, eiuſque ſingulas partes perſoluere tenemur, iuxta modum à Pontifice præſcriptum, à quo quæcumque additio, & diminutio prohibetur. Preces genibus flexis dicuntur, ad orationes ſolus Celebrans ſurgit, vt notat *Bauld. par.*4 *cap.* 12. *num.* 10. Oratio pro Papa, & verſus *Vt Domnum Apoſtolicum*, omittitur Pontifice defuncto, vt in ſimili præcipitur in *Rubr. gen. Mi. par.* 2. *tit.* 8. *num.* 12.

Peracta Proceſſione cantatur Miſſa Litaniarum, non autem de Sancto, etiamſi ſit Titulus, vel Patronus, dummodò cadant Litaniæ in Feriam tertiam, vel ad eam transferantur; Ratio eſt, quia Miſſa, quæ cantatur in hoc caſu de Sancto, cantatur in gratiam Feſti cum concurſu, per quæ omittitur Miſſa Litaniarum, ſed Feſtum cum ſolemnitate concurſus non ſufficit ad cantandam Miſſam de Feſto, cùm idem transferatur, eò quia occurrat cum Paſchali

Domi-

Digitized by Google

Dominica, vel duobus ſequentibus, vt diximus *par.2. ſect.1. cap.3.* ergò in hac occurrentia non eſt dicenda Miſſa S. Marci, ſed Litaniarum, quód eſt extrà controuerſiam. Neque ex allato decreto Sac. Rit. Congreg. & Ceremonialis auctoritate intelligendũ eſt, Miſſam S. Marci celebrandã eſſe etiam in Feſtis Paſchatis, quia Ceremoniale, & Sacra Congregatio loquuntur iuxtà Rubricas, quando ex cauſa ſpeciali ei non derogent. In Collegiatis fit duplex Miſſa altera de Sancto poſt Tertiam, vel de tempore ſi Sanctum transferatur altera poſt Nonam, & proceſſionem, ex *Rub. gen. par.1. tit.15. num.5.* & *ſub Rit. de proceſſionibus prima*, ſed extrà Octauam; extrà Collegiatas Miſſa dicitur de die.

Addendum eſt hìc aliquid etiam pro Litanijs minoribus; videlicèt, quòd ſi in eis occurrat Feſtum nouem lectionem etiam Titularis, & Patroni duæ cantantur Miſſæ, priuatæ verò omnes de Feſto cum commemoratione Feriæ, vt habetur in *Rub. gen. par.1. tit.7. num.2.* Ac vbi vnica cantatur Miſſa de Rogationibus, habebit commemorationem Feſti, vt in priuatis ſit Feria tertia occurrente cum Simplici.

At dices; cur nàm facienda eſt commemoratio Feriarum tertiæ, & quartæ in Miſſis priuatis, cùm facta non ſit in Officio chorali. Reſpondeo extare regulam in *Rub. gen. cit.* & in *Rubr. propr.* quòd ſi in Feriam quartam cadat Feſtum Simplex ſecunda Oratio, omninò erit de Feſto tertia erit de Rogationibus, tùm quia hæc non fuit facta in Officio, vt ait *Gauant. par.4. tit.10. num.14.* & proinde eſt ſemiuotiua, & alia omninò propria; tùm etiam quia Simplex præfertur poſterioribus Ferijs Rogationum, quòd colligitur ex eo quia Feſtum ſimplex occurrens cum Fe-

rijs

rijs tertia, vel quarta habet Officium, & excludit Feriam.

Gauantus loco citato vult, ſi occurrat Simplex cum Feria tertia, poſſe dici de Feſto Miſſam cum commemoratione Feriæ, vel miſsam Feriæ cum commemoratione Feſti, citatque Rubricam propriam; At Rubrica fieri commemorationem Feſti, vult ſi fiat miſſa de Feria, & commemorationem Feriæ, ſi miſſa celebretur de Feſto, ex quo præcisè ſequitur, quòd Feria ſecunda occurrente cum duplici, & ſemiduplici in miſſis facienda ſit commemoratio Feriæ, è contra ſi occurrat Simplex miſſam de Feria, commemorationem fieri de Feſto; Feria tertia ſi occurrat cum Simplici, de Feſto eſt celebranda miſsa, vt cum Officio concordet, cùm Feriæ commemoratione, non autem miſsa de Feria, quæ eſſet ſaltèm ſemiuotiua, quia de ea neque facta eſt commemoratio in Officio; Sumit ergò Gauantus Rubricam pro Feria tertia tantùm. Mihi autem videtur ſermonem habere de ſecunda, & tertia, & ſumenda eſſe, ac ſi diceret: In Ferijs ſecunda, & tertia Rogationum ſi occurrat Feſtum, quod ſibi vendicet miſſam, nè omittas Feriæ commemorationem; ſi occurrat Feſtum, quod miſsam relinquat Feriæ, fac tamen Feſti commemorationem, ex quo fit, Feria tertia dicendam miſsam de Feſto cum commemoratione, ſi cum Feria occurrat Simplex, vel de Feſto ſi occurreret Semiduplex, & hoc maius cum commemoratione Feriæ; & ſic hæc Rubrica planè concordat cum prima miſſalis, *Miſſa quotidie dicitur ſecundùm ordinem Officij*. Quòd ſi volueris facere miſsam Feriæ, vtique facienda eſt commemoratio Feſti primo loco, quia in miſſis votiuis iubemur commemorationē facere de tempore, vt habet *Rub. gen. par. 1. tit. 7. n. 3.*

Non

Digitized by Google

Non eſt hic omittendum, quòd ſi in Vigiliam Aſcenſionis cadat Titulus Eccleſiæ, Patronus, aut Dedicatio nihil fit de Vigilia, ſed fiunt miſsæ tantùm Feſti, & Rogationum, quòd notat etiam *Bauld. par.4. cap.13. num.1.* & ratio deſumitur ex *Rub. gen. Breu. tit.6. num.2.* Miſsa Feſti dicitur poſt Tertiam, Rogationum poſt Nonam, vt fit in Ferijs Aduentus. De Vigilia autem nihil fit, vt habet *Rub. Miſ. par.1.tit.7.num.2.* etiam quia de ea nihil actum fuit in Officio canonicali.

CAPVT II.

De Feſto Corporis Chriſti.

Feria quinta poſt Dominicam Trinitatis occurrit Feſtũ Corporis Chriſti, & hoc habet peculiare, quòd fit in eo proceſſio ſolemniſsima non ante miſsam, vt fieri in Cappella Papali, docet *Marcel. lib.2.ſect.2.cap.15.& 16.* ſed poſt illam, vt habet *Rit.Rom. de proceſ. & Ceremon. lib.2. cap.33.* & communiter tradunt Doctores.

Pro hac ergò proceſſione ornatur Altare apparatu feſtiuo, & ſuper Altare locus aliquis eminentior, vbi ponatur tabernaculum aliquod intus habens corporale ſubſtratum, vel paruam pallam benedictam tàm latam, vt commodè totam baſim tabernaculi geſtatorij excipiat; ſit autem ita aptatum, vt Reliquias Sanctorum, vel Imagines non à lateribus, ſed ſubtus ſe habeat, ad quod tamen Diaconus facilem habeat acceſſum ad collocandam, vel extrahendam pixidem, non enim eſt laudabile, vt aliqui faciunt aſcendere pedibus ſuper Altare, vt altiùs collocetur Sanctiſſima Euchariſtia. Ponatur etiam Vmbella ſuper Altare

tare

tare in altum appenſa, niſi ſoleat ibi detineri, aut ſaltem aliquod conopeum, vbi marmoreum ciborium non impediat.

Paret item Sacriſta Baldachinum portatile ſuper haſtas coloris albi, & quæcumque alia paramenta in loco non remoto, & conuenienti; cereos item, & vas cum prunis ardentibus, veſtes Subdiaconi Crucem geſtaturi, Rituale pro cantanda Oratione, pluuiale pro Celebrante. In credentia collocabit pixidem, ſeù radium vacuum, coopertum tamen albo velo, vt docent *Acta Med. Eccleſiæ*; burſa cum corporali, aut palla in proceſſione deferenda, velum ſuperhumerale, quod continentiam multi dicunt, vt habet *Ceremon. Ambroſ. lib. 1. cap. de Off. Archipresb. in Miſ. Pontif.* duæ hoſtiæ conſecrandæ, duo thuribula cum ſuis nauiculis thure boni odoris plenis.

Curet etiam Sacriſta, vel is ad quem de more, vel Superioris iuſſu ſpectat, vias, per quas proceſſio ducenda eſt, mundari, & floribus, ac frondibus ſterni, & parietes ornari pretioſis pannis, & tapetibus, & vt in altum appendantur vela, quibus ab æſtu Solis defendantur, qui in proceſſione ſunt, ſi id ſoleat fieri. Curet item præcipuè ſi via longa fuerit duas, vel tres menſas ad modum Altarium apponi in loco aliquo decenti, & quantùm fieri poteſt, orneatur etiam baldachino, & velis ſupra, ac circum circa appenſis, ne qui ibi moram trahunt dùm deponitur Sanctiſſimum Sacramentum ardore Solis nimis offendantur; ſuper Altare vnica tobalea, neque benedicta, ſufficiet, ſuper quam extenditur corporale, vel parua palla, & ideò non eſt neceſſe, quòd ponatur ara portatilis, vt alicubi fit, ſicutì ſufficit corporale quando defertur ad infirmos, vbi ponitur ſuper domeſticam menſam. Propè hæc Al-

taria

taria, & alibi, & provt neceſſitas poſtulauerit paretur ignis cum forcipibus ponendus in thuribulis ne vnquam effumare deſinant.

Hac die dicta Tertia fit ſolemnis miſſa de more, Tertia tamen poteſt anticipari, vt habet *Cerem. lib. 2. cap.* 33. & eſt caſus ſingularis ob longam proceſſionem, & calorem. Conſecrantur duæ Hoſtiæ, quarum altera in medio corporalis collocatur, alia à latere dextero alterius vſque ad peractam communionem ſub vtraque ſpecie. Sumpto corpore, vel paulò ante communionem, portat Ceremoniarius, vel Sacriſta oſtenſorium coopertum, quod genuflectendo prius collocat extrà corporale in latere Epiſtolæ, & facta genuflexione recedit; Diaconus verò, etiamſi ſit ad librum facta genuflexione (dum Sacerdos ſumpto corpore ſtat in meditatione Sanctiſſimi Sacramenti) vadit ad dexteram Celebrantis, vbi iterùm genuflectit, ſeruiens provt Subiaconus, qui è contrà pergit à latere dextero in ſiniſtrum, vbi aſſiſtit libro. Sumpto Sanctiſſimo Sanguine, ponit Sacerdos Calicem verſus cornu Euangelij, ſed ſuper corporale, quem Diaconus palla cooperit, & continuò collocat oſtenſorium coopertum ante Sacerdotem; qui illicò genuflectit, & extractæ lanulæ imponit Hoſtiam, lunulamque in vas iterùm ponit, quod adiuuante eodem Diacono claudit, & relinquit in medio; mutant deindè locum Miniſtri, & cætera fiunt de more, additis tamen reuerentijs &c. provt diximus *par. 2. cap. 1. ſect. 6.* Aſtantes Clerici, Ceremoniarius, & alii non genuflectunt, dum Hoſtia ſacra collocatur in tabernaculo geſtatorio, ſed manent inclinati ſicutì ad communionem.

Dum terminatur Miſſa defertur pluuiale pro Celebrante, & indui-

Digitized by Google

induitur in Sacriſtia aliquis Subdiaconus veſtibus ſuo ordini competentibus abſque manipulo, vt portet Crucem, & ordinatur proceſſio; Celebrans extrà cornu Epiſtolæ ſpoliatur à Miniſtris, qui priùs deponunt manipulos, caſula, & manipulo, & induitur pluuiale, ac imponit incenſum in duo thuribula, deindè genuflexus in ſupremo Altaris gradu incenſat Sacramentum, medius inter Miniſtros ſuſtinentes pluuiale, triplici ductu profundè inclinans ſe ante, & poſt, & interìm diſtribuuntur intortitia. Surgens deindè Diaconus poſt acceptum thuribulum accedit ad Altare, & genuflexus accipit ambabus manibus Sacramentum, & tradit illud Sacerdoti genuflexo, ità, vt figura Crucifixi, vertat renes Sacerdoti. Vt primùm Sacramentum reliquerit in manibus Sacerdotis, & eius manus cooperierit velo humerali à Ceremoniario, vt docet Ceremoniale, vel à Diacono prius ei impoſito, ſurgente Sacerdote ipſe genuflectit iunctis manibus, & inclinatur profundè Sacramento, deindè ſurgit, & aſcendente Sacerdote ſuper planum bradellæ (vt dicunt) Altaris, mutant locum Miniſtri, ità vt Sacerdos ſe conuertens ad Populum ſtans propius Altari dum Clerus procedit, Diaconus ſit ad dexteram, Subdiaconus ad ſiniſtram.

Muſici interim, vel Chorus ſurgente Celebrante cum Sacramento, & non priùs incipiunt Hymnum, poſſunt tamen dum incenſatur cantare quintam ſtropham Hymni, vel *O Sacrum conuiuium*, vt ex Inſtructione exponendi 40. horas Romæ, & ſonantur Campanæ.

Procedentes obſeruare debent, vt exceptis Subdiacono, & Ceroferarijs omnes genuflectant verſus Sacramentum, & quidem ambobus genibus, & inclinatione profunda addita, portant autem cereos manu dextera, qui ad dexte-

Digitized by Google

ram ſunt, ſiniſtra, qui ad læuam incedunt, altera interim decenter pectori admota, vel ritualem librum tenente, aut demiſſa; Omnes cantabunt hymnum, & ea quæ in Rituali; Celebrans tamen cum Miniſtris ſubmiſſa voce dicet, quæ ab alijs cantantur, vt in *Cerem. Epiſcoporum lib. 2. cap.* 33. vel pſalmos, & Hymnos.

Si Celebrans vſus fuerit Presbytero Aſſiſtente cum pluuiali in Miſſa, eo vti poterit (vbi talis ſit vſus aliàs enim non mihi facile probatur) etiam ad proceſſionem, vt habet *Marcellus lib. 2. ſect. 2. cap. 16.* qui dexter erit Celebranti, & Subdiaconus niſi ſit Canonicus portabit Crucem; ſi verò ſit Canonicus Aſſiſtens deponit piuuiale, & non aſſiſtit; Diaconus autem, qui incedit à ſiniſtris accipit Sacramentum, tum è manibus Sacerdotis, cum ab Altari. Nec obſtat primò, quòd non deceat eadem veſte miniſtrare Aſſiſtentem, qua induitur ipſe Celebrans, ſecundò Miniſtros ijſdem veſtibus eſſe induendos, vt Diaconus; & Subdiaconus; qui ſimiles veſtes habent: Tertiò in Ceremoniali Epiſcoporum non eſſe Presbyterum Aſſiſtentem, qui aſſiſtit à dextris Epiſcopi Sacram Euchariſtiam ferentis proceſſionaliter: Quartò vſum Cappellæ Papalis eſſe contrarium doctrinæ Marcelli, & in ea adhiberi Diaconum, & Subdiaconum. Non obſtat inquam primum, quia Aſſiſtens Epiſcopo in Veſperis ſolemnibus vtitur pluuiali, quo vtitur etiam Epiſcopus, & Canonicus aſſiſtens in Miſſa cui Epiſcopus ſolemniter intereſt in cappa habet etiam ipſe cappam, quæ ab ea Epiſcopi non differt niſi in latitudine, & amplitudine, & Epiſcopo aſſiſtente Miſſæ ſolemnis cum pluuiali idem pluuiale habet Presbyter aſſiſtens Canonico celebranti vbi eſt talis vſus, vti eſt apud nos; præterquam quod talis fuit conſuetudo cappellæ Papalis, vt ſuperius dixi:

dixi: Non officit ſecundum, tum quia quamuis dalmatica, & tunicella magis aſſimilentur, quam dalmatica, & pluuiale, tamen maximè diſtant, vt notauimus *par.* 1. *ſect.* 4. *cap.* 3. tum quia in Cappella Papali Cardinalis officium faciens in Dominica Palmarum in proceſſione habet à ſiniſtris Diaconum veſtibus ſui ordinis indutum, & à dextris Aſſiſtentem ſine pluuiali cum ſolo ſuperpelliceo, quo caſu differunt veſtes Miniſtrorum magis, quam pluuiale, & dalmatica. Non obeſt tertium, quia cum Subdiaconus in Miſſa Epiſcopali ſit Canonicus non conuenit eum deferre Crucem ſed debet eam deferre alter vt ex *Cerem. lib.* 2. *cap.* 8. colligitur *et lib.* 1. *cap.* 15. & habet *Cerem. Ambroſ. lib.* 1. *cap. de Miniſtris Archiepiſcopi in diuinis officijs*; in Miſsis autem aliorum Sacerdotum Subdiaconus ipſe fert Crucem, vt ex *Rit. Rom. in proceſſione Palmarum, et candelarum*, & Rubrica *Miſſalis* in feſto Purificationis B. *Mariæ*, ac in Dominica Palmarum, & conſequenter Presbyter Aſſiſtens poterit aſſiſtere Sacerdoti. Sed nec officit quartum, quamuis enim in Cappella Papali in proceſſione hac Cardinalis Officium faciens non habeat Presbyterum aſſiſtentem, in proceſſione tamèn ad tumulum vt docuimus *par.* 1. *ſect.* 2. *cap.* 3. ex Rubrica Ritualis Presbyter aſſiſtens miniſtrat à latere ſiniſtro, cum ergo in hac funebri, cur non etiam in ſolemni hac, de qua eſt ſermo aſſiſtet, præcipuè, cum ſimilitudo veſtis non officiat, vt ſatis ſupra probatum eſt:

Quo ad deferentes haſtas baldachini notandum eſt contra vſum aliquorum locorum, præcedentiam eſſe laicalem nõ Eccleſiaſticam, & præcedentiam habere eos qui præcedunt non eos, qui ſubſequuntur, vt laici faciunt, quorum locus eſt dignior, qui magis Eccleſiaſticis approximat, ſic haſta

quæ eſt prior ad dexteram ante Celebrantem eſt nobilior, ſiniſtra ſibi correſpondens, eſt illi in honore item proxima, vt habet *Cerem. Epiſcoporum lib.* 1. *cap.* 14. Notandum ſecundò, conſentaneum eſſe, Clericis primò vſque ad portam Eccleſiæ, tum Clero Regulari, deinde Nobilibus deferendam tradi vmbellam, ſiue baldachinum, & quidem Clerici, vel cottis, & pluuialibus indui poſſunt, vt docet Ceremoniale *lib.* 2. *cap.* 33. non autem ſtola, quæ non eſt veſtis niſi Oratorum, & Sacramenta, aut Sacramentalia miniſtrantium; Nobiles enſes deponãt, & birreta ſiue reticulas capitis, nec non intortitia, accedentes autem, & recedentes ab haſtis genuflectant, vt decet; Thuriferarij cum thuribulis fumigantibus immediatè ante Baldachinum incedant Sacramentum incenſantes, qui dexter eſt ſiniſtra gerit thuribulum, qui ſiniſter procedit dextera tenebit, & illa mouentes contra Sacramentum ſic incenſabunt; magis enim placet hoc genus incenſationis, quod pręſcribit Rituale, quam illud quod alicubi fieri egomet vidi ſcilicèt alternatim Thuriferarios triplici ductu thurificare Sacramentum, vt incenſatur in Altari, ad illud conuerſos interim retrocedendo, quod eſt laborioſum, & non parum periculi, ac difficultatis habet, vt Gauantus docet: *Bauld. par.* 4. *cap.* 9. *art.* 3. *num.* 17. hanc Thurificationem vocat indecentem, quia Sacramentum incenſari vult à ſolis Sacerdotibus; *Rub. par.* 2. *tit.* 8. *num.* 8. docet tamen incenſari à Thuriferario.

Si longior via fuerit, aut in Eccleſijs, aut ſuper Altaribus per vias extructis ſemel, bis, aut ter ſi longus valde ſit circuitus deponi poterit Sacramentũ miniſterio Diaconi, Ceremoniario, aut alio priùs extendente corporale ſuper Altare; Ibidem incenſabit Sacramentum dùm à cantoribus cã-

tabitur.

tabitur: *O Sacrum conuiuium*, vel *Tantum ergo*, vel *O ſalutaris hoſtia*, tum verſus *Panem de Cœlo* cum reſponſione, & oratio deinde miniſterio Diaconi accipit iterum Sacramentum, vt in Cerem. Epiſcoporum, nec benedicit, quod fit peracta tantum proceſſione,& proſequuntur proceſſionem.

Cùm peruenerint ad Eccleſiam Sacerdos aſcendit ad ſecundum gradum, vbi tradit tabernaculum Diacono genuflexo, & eo ſurgente, & paulùm ſic ſtante Sacerdos genuflectit ambobus genibus,& profundè inclinatur Sacramento, quod tùm Diaconus collocat ſuper Altare, & Sacerdos cum Subdiacono deſcendit ad infimum gradum Altaris, vbi etiam genuflectit, vt colligitur ex Ceremoniali Epiſcoporum, & impoſito thure ſtando, iterùm genuflectit,& incenſat Sacramentum cantante interim Choro, vel Muſicis duas ſtrophas, *Tantùm ergo*, & *Genitori* &c. vt in Rit. deindè aſcendens ad Altare manibus adhuc velatis, extremitatibus veli humeralis, vt docet *Romana Inſtruct. pro expon. 40. horarum orat. ſub Innoc.XI. edita*; accipit tabernaculum, quod tenet ante pectus, & conuertens ſe ad Populum à ſiniſtro latere ad dexterum eleuat Sacramentum, & benedicit, deindè deprimit tabernaculum vſque ad pectus, ſicque tenet illud modicùm,vt adoretur, deindè perficit circulum, & deponit illud ſuper Altare; tùm facta reuerentia deſcendit ad infimum gradum, vbi iterùm genuflectit, & deponit velum humerale; Diaconus autem aſcendit ad Altare, & Sacramentum in locum eleuatum collocat, tùm extinguuntur funalia,niſi extincta fuerint immediatè poſt benedictionem, & exeunt è presbyterio genuflectentes ambobus genibus.

Digitized by Google

Sunt plerique, & vt ingenuè fatear, in Diœceſi Mantuana vſus eſt communiſſimus cantandi *Tantum ergo Sacramentum*, dum fit incenſatio, tùm Verſum, deindè orationem, & tandem dum datur benedictio poſtremam ſtropham *Genitori Genitoque*; in quo quam ſiniſtrè agant non eſt, qui non cognoſcat, tùm quia contra Rubricas Ritualis manifeſtè agunt, tùm quia Hymnum interrumpunt verſu, & oratione, quòd eſt contra vſum Eccleſiæ: ruſticalem conſuetudinem vocat Bauldrius; ſanè viris Eccleſiaſticis indignam, & ſapientibus.

Libet hìc addere aliquid pro Veſperis, & quid agendum, quando per Octauam exponitur. Cantantur ergò Veſperę, & dum in Hymno dicitur *Tantum ergo* &c. genuflexi manent, & leguntur etiam Matutinæ cum Laudibus ſtantibus omnibus Clericis capite detecto, aut etiam ſedentibus, ſi Officium nimis in longum protrahatur; vt habet hìc Ceremoniale; Ad *Magnificat* fit Altaris thurificatio hoc pacto. Venit Celebrans cum Aſſiſtentibus, qui genuflectunt omnes in plano, aſcenditque ad Altare cum duobus, quòd oſculatur in medio genuflectens, & conuertitur ad latus Epiſtolæ, vbi imponit thus, quod etiam benedicit, quia Altare eſt incenſaturus, deindè genuflectit in ſupremo gradu, & accepto thuribulo abſque oſculis incenſat triplici ductu Sacramentum cum profunda humerorum inclinatione ante, & poſt, tùm dans thuribulum Aſſiſtenti aſcendit ad Altare, quod facta prius genuflexione thurificat de more. Nec audiendi ſunt illi, qui ſtantes in hoc caſu Sacramentum incenſant, eò quia à ſtante in Feria ſexta in Paraſceue incenſatur cum Altare, aut alij, qui tantum Sacramentum incenſant non Reliquias, vel Altare; Non priores, quia faciunt expreſsè con-

contrà diſpoſitionem *Ceremonialis lib.* 1. *cap.* 23. *lib.* 2. *cap.* 33. & Miſſalis Feria quinta, & ſexta maioris hebdomadæ, nec non Ritualis Romani *de proceſſione in Feſto Corporis Chriſti*, qui docent, Sacramentum incenſari genibus flexis; Non poſteriores, quia primò eſt expreſsè contra Ceremoniale Epiſcoporũ loco citato, ſecundò, quia ſexta Feria in Paraſceue, tunc nempè cum omnes ferè ſolemnitates omittuntur, non tantùm incenſantur oblata, ideſt Sacramentum, ſed etiam Altare, ergò à fortiori incenſandum erit Altare, etiam in noſtro caſu, quod docent omnes Doctores, qui de hoc tractant negotio. Finita Altaris incenſatione reuertuntur ad locum ſuum Celebrans cum Aſſiſtentibus, & fit generalis omnium incenſatio in Choro, & Eccleſia, vt probauimus ſupra *par.* 1. *ſect.* 3. *cap.* 3. cætera de more.

Quæſiuit quidam in locis, vbi Veſperæ cantantur cum minori ſolemnitate, & officium faciens ſolet accipere pluuiale ad capitulum, quem vſum ſeruandum eſſe ſtatuit *Sacra Rit. Congr.* 1. *Septembris* 1607. vbi nam ſit thurificandus Celebrans. Reſpondeo, quòd hæc conſuetudo eſt etiam in noſtris Collegiatis, & Cathedrali Mantuana, in quas ritum thurificandi Clerum, & Populum nondum introducere potui cum Clerus ſuis conſuetudinibus adhęreant firmiùs quam, par eſt, & pro eis, qualeſcumq; ſint, in arenam deſcendere, & in mortem ire ſint ſemper, vt dicunt, parati. In hoc ergò caſu Celebrans incenſandus erit in latere Epiſtolæ, prout diximus de Miſſa ſolemni coram Sanctiſſimo Sacramento *par.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 1. dummodò orationem dicat ad Altare, vt apud nos fit, aliàs eadem regula recurrit. Et hæc ſatis de Feſto Corporis Chriſti.

CAPVT III.

De Commemoratione omnium Defunctorum.

DIe ſecunda Nouembris fit Commemoratio omnium fidelium Defunctorum, niſi fuerit Dominica, quo caſu transfertur ad Feriam ſecundam, vt habet *Rub. Breniar. in Feſt. omnium Sanctorum, & Miſſal. die 2. Nouembris*, quòd ſi rursùs Feria ſecunda impediatur Feſto de præcepto, ad Feriam ſequentem, quæ erit quarta Nouembris transferendum eſſe Officium, docet *Gauant. in Comment. Breniar. ſect. 7. cap. 13. num. 2.* Hac die omnes Miſſæ priuatæ ſunt de Requiem, ex *citata Rubrica*, in Collegiatis tamen Conuentualis poſt Tertiam erit de Octaua, & præterea tempore apto alia de Requiem.

Dubitauere nonnulli núm liceret hac die votiuam ſolemnem celebrare pro publica cauſa; ſed ego non video, cur in dubium reuocetur, cùm nulla obſiſtat ratio pro parte negatiua; Non quidèm obſtat Celebritas ſub ritu duplici, cum exceptis ſolemnitatibus primæ claſſis, & Ferijs eas ſolemnitates exlcudentibus ſemper poſſint celebrari votiuæ ſolemnes, ex *Rub. gen. par. 1. tit. 6. num. 1.* & hæc dies neque excludat Feſta primæ Claſſis, neque ſit inter ea annumeranda, cùm ipſa excludatur à Dominica, & quocumque Feſto. Neque obſtat mœſtitia, & luctus Eccleſiæ orantis pro Defunctis, quia ſicutì licèt, imò Collegiatæ tenentur celebrare Miſſam de Octaua in albis cum *Gloria in excelſis*, ità etiam ex iuſta cauſa poterit cantari alia

alia Miſſa etiam cum *Gloria*, *&* *Credo*; Neque per hoc irrogatur iniuria Defunctis, aut abſque ordine proceditur, ſicut præcedenti die expletis Officijs Feſti perſoluendo Veſperas Defunctorum non fit iniuria Sanctis, neque inordinatè aliquid geritur.

Quærendum modò, an Miſſa Defunctorum cantari debeat poſt Nonam, vel poſt Vigilias? Ad quod reſpondendum eſt, quòd aliter in quibuſdam, aliter in alijs Eccleſijs agendum eſt; Vel enim ſumus in Collegiatis, & alijs, in quibus Officium diuinum perſoluitur in Choro, vel non; Si primùm; ſiuè dicantur manè Matutinæ, & Laudes pro Defunctis poſt Laudes diei, vt iubet *Rub. Breu. die 2. Nouembris*, ſiuè pridie dicantur poſt Veſperas, vt tradit *Cerem. lib. 2. cap.* 10. quòd in Cathedralibus tantùm ſeruari poſſe, tradit *Gauant. in Coment. Breuiar. ſect. 9. cap. 2. num.* 16. ex *Decr. Sacr. Rit. Congreg.* Miſſa cantatur poſt Nonam; & ratio poſterioris manifeſta eſt, quia nempè non poteſt dici poſt Vigilias, cùm hæ perſoluantur veſperè, & nullam habeat correlationem cum Officio diei infrà Octauam, ob quam cauſam votiuæ cantantur poſt Nonam, ex *Rub. gen. par.* 1. *tit.* 15. *num.* 5. Ratio prioris eſt, quia hac die Miſſa ſolemnis de Requiem eſt principalis, & *citata Rubrica hic num.* 3. tribuit ei hanc horam. Si ſecundùm; Miſſa cantatur poſt Vigilias; Ratio eſt primò, quia Rubrica præſcribens horam canonicam ante Miſſam non obligat, niſi Collegiatas, vt diximus *par.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 3. ergò Eccleſiæ non Collegiatæ non obligantur ad hoc tempus ſeruandum; Secundò, quia non poterit cantari poſt Nonam, cùm Nona in ijs Eccleſijs publicè non dicatur in Choro, ergò poſt Vigilias cantanda eſt, vt habet *Gauant. par. 4. tit.* 15. *num.* 18. & vt ipſa ratio con-

uincit

uincit; Ratio autem eſt primò, quia quantùm fieri poteſt non eſt ſeparandum Officium publicum ſecundùm aliquam ſui partem à Miſſa eiuſdem ordinis, item publica ideſt Conuentuali, cuius illud eſt præparatio, vt poſt *Francol.* tradit *Gau. par.* 1. *tit.*15. *in num.*2. provt de facto ab Eccleſia non ſeparatur Conuentualis, ergò neque ab Officio Defunctorum Miſſa ſolemnis de Requiem, quam vt plurimùm illud præcurrit, vt docet *Rit. Rom. de exeq. praeſ. & abſ. corp. & Rub. gen. cit. num.*3. Secundò, quia non eſt aſſignabile tempus aptius ad hanc Miſſam, quam hoc, quod præſcribitur in Rituali, & Rubricis, provt conuenientiùs Miſſæ huius diei, ergò poſt Vigilias eſt perſoluenda.

Quomodo Officium perſoluatur, habes in *Rub. die* 1. & 2. *Nouembris*; Quænam ſolemnitates in Miſſa omittantur, vide in *Rub. par.*2. *tit.*13. per totum, quam nos breuitati ſtudentes omittimus, cùm explicatione non indigeat: Dubitauerunt aliqui num eſset genuflectendum ad orationes in hac Miſsa; Rationes dubitandi erant, quia eſt Miſsa ſub Ritu duplici, & quia non genuflectimus poſt Cantica ad Veſperas, & Laudes; Hoc tamen non officit, quo minus genuflectamus; Primò, quia non minus eſt ſub Ritu duplici Miſſa, quæ celebratur præſente corpore ſiuè in tertio, ſeptimo, trigeſimo, & Anniuerſario, cùm Officium ſit duplex, vt colligitur ex *Rit. Rom. de exeq.* & conſequentèr Miſſa, præcipuè cum his diebus vnicam habeat orationem, quod eſt proprium duplicis, vt colligitur ex *Rub. gen. Miſ. par.*1. *tit.*15. *num.*3. & tamen genuflectimus etiam in illis, vt colligitur ex *Rub. par.*1. *tit.*17. *num.*5. quæ indefinitè loquitur de omnibus Miſſis Defunctorum, & expreſsè docet *Marcel. lib.*2. *ſect.*2.

*cap.*26.

Digitized by Google

cap. 26. & colligitur ex *Bauld. par.* 5. *ex* 2. *lib. Ceremon. cap.* 10. *art.* 1. quòd ſit ad mœrorem deſignandum, vt hìc poſt *Rabanum*, docet *Gauantus*. Secundò, quia expreſsè *Cerem. lib.* 2. *cap.* 11. docet eſſe genufleċtendum. Tertiò, quia in ſeptimo, trigeſimo, & hac die &c. non ideò omittimus preces, vt non genufleċtamus, ſed quia ſunt indebitæ Officio duplici, ex quo ſequitur, quód omiſſis precibus, neque genufleċtamus eo tempore poſt cantica, cùm non habeatur ea pars; quæ requirit genuflexiones; In Miſſa autem cùm non omittantur Orationes, neque debet omitti genuflexio, cùm non deſint illæ partes, quæ requirunt genuflexiones.

Finita Miſſa ſolemni, fit generalis Abſolutio, provt docet *Cerem. lib.* 2. *cap.* 11. iuxtà regulam traditam à nobis *par.* 2. *ſect.* 4. *cap.* 4. ſed quia alicubi eſt conſuetudo circumeundi proceſſionaliter Eccleſiam, & ad ſingula ſepulcra, ſingulas abſolutiones faciendi, quam multi reijciunt, & ſignanter *Cerem. Canon. Regul. Congr. S. Saluat. cap.* 34. monendum primò eſt, quòd vltimo loco tantùm, in medio ſcilicèt Eccleſiæ circa caſtrum doloris, cantandum eſt. Reſp. *Libera* &c. & facienda eſt abſolutio cum oratione; *Abſolue*, quæ habetur inter Pſalmos Graduales, ſed in numero plurali, vt docet *Rub. gen. par.* 2. *tit.* 13. & *Cerem. lib.* 2. *cap.* 11. & in fine addendum *Requiem*, cum verſu *Requieſcant in pace*.

In præcedentibus autem abſolutionibus cantari poſſunt, vel Reſponſoria Noċturnorum, videlicèt leċtionum Matutinarum, vt docet *Gau. par.* 4. *tit.* 15. *num.* 19. & legimus in *Pontif. par.* 3. *de Off. poſt Miſſam Def.* in quo prætereà habetur etiam Reſp. *Subuenite*, & docet *Cerem. Cleric. S. Pauli lib.* 2. *cap.* 11. & quidem cantantur non tantùm addendo

dendo ſingulis Reſponſorijs *Requiem æternam*, vt fit in tertio, & ſexto, ſed etiam poſt Requiem, & ante orationem Kirie &c. *Pater noſter* &c. provt habetur in *Rub. gen. par.2. tit.13. num.4.* ſed ſemper in numero plurali, vt infrà dicetur *Bauld. par.4. cap.18. num.16.*, non tamen addendum eſt *Requiem* &c. poſt orationem, vt docet ipſe *Bauldrius, & Cerem. Cleric. S. Pauli*; Ratio eſt, quia in Pontificali citato in abſolutione Pontificali, quæ fit per quinque Prælatos, quatuor iuniores Prælati facientes priores Abſolutiones præmittunt quidem orationi ſingula, quæ docet *Bauldrius*, non ſubdunt tamen verſum *Requiem*, & fortaſsè ne videatur vna abſolutio diſcontinuari ab alia, cùm ex omnibus vna ſolemnis reſultet, quæ ratio militat etiam in noſtro caſu; Vel poterit cantari, vt alicubi fit, quod etiam ſcribit *Corſet. tract.2. par.2. cap.11. num.2.* Sequentia *Dies iræ dies illa*, ſubdendo ſingulis ſtrophis *Requiem*, *Kirie* &c. Hoc autem præcipuè poterit fieri, vbi tot habentur ſepulcra, quibus non ſufficiant verſus Lectionum, aut abſolutionis Pontificalis, ſi adſit talis conſuetudo immemorabilis, quæ provt laudabilis non tollitur per regulas Ceremonialis (& ob paritatem rationis dic etiam per regulas Miſſalis) vt declarauit *Sac. Rit. Congr. in vna Brunduſina* 17. *Septembris* 1611 *& in vna Hidrunt.* 30. *Ianuar.* 1616. quod locum habet in omnibus locis Chriſtianitatis, vt eadem declarauit *in vna Elboren.* 17. *Iunij* 1606. In ijs abſolutionibus prioribus ter aſpergitur ſepultura abſque circuitione, & ter thurificatur, vt docuimus *par.2. ſect.4. cap.4.* in vltima tamen, quæ fit ad tumulum circuitiones non omittuntur, provt ſupra dictum eſt *par.2. ſect.4. cap.4.* Orationes deſumuntur ex ijs, quæ poſitæ ſunt poſt Miſſas de Requiem

dum-

Digitized by Google

dummodò non ſecretæ, vt *Cerem Cleric. Regul. Sancti Pauli hìc*.

Quæſtio eſt non omittenda, vtrum hac die cuncti Sacerdotes teneantur ſacrificium Miſſæ applicare pro omnibus Defunctis ità, vt Cappellanus, qui ſingulis diebus tenetur celebrare iuxtà intentionem Teſtatoris, debeat tamen hac die non pro Fundatore, ſed pro omnibus Defunctis Miſſam facere, *Dian. tract. de celebr. Miſ. reſol.* 64. docet poſſe: *Gauant. par.* 4. *tit.* 15. *num.* 18. poſt *Fraxinel. Arnaud. par.* 4. *tit.* 15. *num.* 53. *Bauld. par.* 4. *cap.* 18. *num.* 16. *Tobias Loñer par.* 4. §. 2. *num.* 12. affirmatiuè reſpondent *Tambur.* è contra negatiuè *lib.* 3. *de ſacrif. Miſ. cap.* 2 §. 1. *num.* 9.

Probat, quia non eſt imponendum onus, niſi de eo clarè conſtet, quod vtique non conſtare ſatis mihi certúm videtur, etiamſi probabilitate non careat, vt hìc fatetur etiam *Tamburinus*.

Objicit deinde primò, quod poſſunt dicere Aduerſarij: conſuetudine introductum eſſe, vt omnes Sacerdotes ſacrificium applicent pro Defunctis; & reſpondet, vel eam conſuetudinem non adeſſe, vel non apparere, an introducta ſit cum animo obligandi. Et ego quidem ſciſcitatus à pleriſque Sacerdotibus, vtrum ea die applicarent ſacrificium pro Fidelibus Defunctis, aut iuxtà ſuam obligationem, multi iuxta obligationem ſuam, alij dixere iuxtà intentionem dantis ea die eleemoſynam, alij Cappellani iuxtà intentionem Eccleſiæ, itàvt ſi Eccleſia vellet ſacrificium offerri pro omnibus Defunctis ipſi pro ijs celebrarent intendentes facere, quod ſibi debitum eſt, non pauci etiam, qui nullam habebant obligationem ſe ex ſua deuotione pro Defunctis ſacrum facere; ex quo manifeſtè colligitur

non

non adeſſe hanc conſuetudinē applicādi hac die ſacrificiū pro Defunctis. Quòd ſi etiam inualuiſſet hæc conſuetudo; Proculdubio vel introducta eſſet à Sacerdotibus cum animo ſe obligandi, vel ex mera deuotione, & charitate, ac liberalitate, vel ex errore, credentes ſcilicèt, Eccleſiam ad id eos obligare; Primùm quidèm non conſtat, neque eſt probabile, quòd Sacerdotes voluerint ſibi hoc onus imponere, nemo enim præſumitur velle ſibi laqueum inijcere, vt ait *Bonac. de Leg. diſp.1. quæſt.1. punct. vlt.* §. 3. *num.*21. cùm autem ſimus in dubio, melior debet eſſe conditio Sacerdotum, pro quibus eſt præſumptio, vt docet *Bonacina*, præcipuè cùm ſit extra controuerſiam, quòd non tenemur ſeruare conſuetudinem in ijs, quæ ex ſola deuotione, & liberalitate fieri conſueuerunt, vt idem *Bonacina*, vti eſt in caſu noſtro; Ex ſecundo certùm eſt nullam obligationem oriri, vt dixi modò; Si tandem conſuetudo ex errore profecta eſt, nullam vim habebit; Ratio eſt, quia neque præceſſit, neque fuit vnquam animus ſe obligandi, ex eo enim, quòd Sacerdotes putant ſibi iniectam eſſe obligationem non intendunt niſi huic ſatisfacere, non nouam inducere, aut eandem innouare, nemo enim primò ponere intendit, quod iam poſitum eſt, ergò de primo ad vltimum: Vel non viget hæc conſuetudo, vel ſi viget, non habet vim obligandi:

Obijcit ſecundò: Ex titulo prioris Miſſæ, quod eſt: *Miſſa in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum*, colligitur, quòd omnes debeant pro Defunctis celebrare; & reſpondet, hunc titulum ſignificare, quòd hæc Miſſa non alia ex ſequentibus debeat celebrari. At ego. Addant quoque Rubricam *die 2. Nouembris*, & eſt: *Hac die fit Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, & dicitur*

Miſſa

Miſſa Requiem, quæ eſt prima &c. At quidnam conſequitur? Profectò nil aliud quàm; Ergò nulla alia Miſſa de Requiem debet celebrari quàm iſta, ratio eſt, quia Rubrica ait, dicitur Miſſa, ergò dicendo eam Miſſam ſatisfit Rubricæ, quód ſi diceret, applicatur etiam Sacrificium tunc etiam id præſtandum eſſet.

Sed dices, ſi diceretur ſola dicta Miſſa abſque applicatione fructus Sacrificij ſequeretur, non dici Miſſam pro Defunctis, ergo non fieret Commemoratio pro omnibus Defunctis. Reſpondeo primó, data ſequela antecedentis, nego conſequentiam, ratio negandi eſt, quia ad faciendam Commemorationem, & ad orandum pro Defunctis ſufficit Miſſa de Requiem, in qua pro omnibus oramus, vt patet. Reſpondeo ſecundò, diſtinguendo ſequelam; Non dicitur Miſſa pro Defunctis, ideſt Miſſa de Requiem prima, vt docet Rubrica, quæ eſt Miſſa in gratiam Defunctorum, ſiuè pro Defunctis, nego ſequelam; ideſt non applicatur fructus Sacrificij concedo ſequelam, & nego conſequentiam, ob rationem datam in priori reſponſione. Reſpondeo tertiò abſolutè, negando ſequelam, & ratio eſt, quia dicitur Miſſa de Requiem prima, vt modo peculiari ſuffragium exhibeatur Defunctis per eas orationes, & vt fructus ſaltèm accidentalis præter generalem cedat Defunctis, ergò dicitur pro Defunctis. Probatur conſequentia, quia, dicitur Parochus pro ſuis ouibus ſacrificium offerre, vt præcipit *Trident. ſeſſ. 23. de reform. cap. 1.* quamuis non applicet Sacrificium, ſed tantummodò quia vniuerſaliter pro ijs oret in ſacrificio, vt benè *Tamb. lib. 2. cap. 3. §. 16. num. 5.* ergò à pari etiam celebrat pro Defunctis, qui non modò vniuerſalitèr orat pro ipſis, ſed etiam ritum peculiarem pro Defunctis vſurpat,

pat,

Digitized by Google

pat, & omnem fructum accidentalem pro illis applicat. Reſpondeo quartò, ſi diceretur Miſſa abſque applicatione fructus &c. diſtinguo antecedens; abſque applicatione fructus, vel ſpecialiſſimi, vel ſpecialis, non celebraret pro Defunctis concedo antecedens; abſque applicatione ſpecialis, vel ſpecialiſſimi nego antecedens, & conſequentiam; Ratio eſt, quia Sacerdos poteſt applicare fructum ſpecialiſſimum omnibus Defunctis, quem eſſe alteri applicabilem, docent plures Doctores apud *Dian. tract. 1. de celebr. Miſ. reſol. 38.* in quantùm ſatisfactorius eſt (nam alio modo animabus Purgatorij non proſumus *Becan. de Sacram.*) per quem plùs auxilij habebunt Defuncti, quam ſi pro eis applicaretur fructus medius, vt tradit *Tobias Lonner par. 2. tit. 21. num. 5. poſt S. Thom.* ſed ſiuè maior ſit, ſiuè æqualis, ſiuè minor ſit, vt alij putant eſt fructus applicabilis, ergò, ſicutì Parochus dicitur ſacrificium offerre pro oũibus, eò quòd pro eis generaliter oret, & dicitur quis offerre ſacrificium pro Paulo, quia fructum ſpecialem Paulo applicat, ſic dicendus eſt celebrare pro Defunctis, qui partem maiorem, ſpecialiſſimam videlicèt, pro eis applicat, & non modò pro eis generaliter orat, verùm etiam peculiares orationes pro eis legit.

Reſpondeo tamen, quòd Eccleſia fortaſsè voluit, Sacerdotes celebrantes applicare ſacrificium, & pro Fundatore, cui ex iuſtitia applicandum eſt, & inſuper Defunctis ex charitate, quod non eſt abſurdum, cùm vnum ſacrificium vni pro ſtipendio, & alijs ex gratitudine poſſit applicari, vt tradit *Diana tract. de celebr. Miſ. reſol. 41. num. 9. & 10.* quod quidem non eſt vetitum à Sac. Congregatione ſub Vrbano Octauo.

Inſtabis incertum eſt, quòd fructus ſpecialiſſimus ſit appli-

cabilis

cabilis alteri, quàm ipſi Sacerdoti, vt idem tradit *Tambur. lib.*3. *cap.*1. §. 3. *num.*67. quod colligitur ex eo, quòd Sacerdos non poteſt applicare alteri eum fructum, & alteri ſpecialem pro duabus eleemoſynis, quia pro certa ſtipe dat fructũ incertum, ergò non poſſet dici, Sacerdotẽ celebrare pro Defunctis, qui offert hunc fructum ſpecialiſſimum ſub hac incertitudine; Reſpondeo, quòd nullum eſt opus bonum, quod non ſit applicabile ſecundùm partem ſatisfactoriam, ergò idem dicendum eſſe etiam de parte ſpecialiſſima Sacerdotis, cùm non ſit ſufficiens fundamentum dicendi in contrarium; Quòd nullum ſit fundamentum demonſtratur; Vel enim eſt, quia fructus generalis non eſt per Sacerdotem applicabilis alicui in particulari ex inſtituto Chriſti, vt hìc ait *Tamburrinus*, ergò & ſpecialiſſimus. Vel eſt quia declaratum eſt, Sacerdotem non poſſe accipere ſtipendium pro applicatione fructus ſpecialiſſimi; Ad primum ergò reſpondeo negando conſequentiam. Ratio eſt, quia fructus hic generalis iam à Deo, & Eccleſia non relinquitur in poteſtate Celebrantis, cùm ſit datus alteri, fructus autem ſpecialiſſimus cùm cedat ipſi Celebranti, iam eſt in eius poteſtate, quoad vim ſatisfactoriam cuicumque maluerit applicare, ſicutì licet intereſſentibus ſacro, qui pèrcipiunt de fructu generali ſuum fructum, quà ſatisfactorius eſt animabus Purgatorij applicare (vt communiter fit) non niſi ideò quia ipſis cedit, & in eorum eſt poteſtate. Ad ſecundum dico, quòd ideò pia Mater Eccleſia noluit, ſacrificium Offerentem accipere poſſe ſtipendium vnum pro fructu medio, aliud pro ſpecialiſſimo, primò quia noluit, Sacerdotem ſe facilè priuare virtute ſatisfactoria ſui ſacrificij, ſed omninò priùs placare Deum pro ſuis pec-

catis, iuxtà illud S. Pauli ad Hebræos 7. *priùs pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi*, & alibi 5. *& propterea debet quemadmodum pro populo, ità etiam & pro ſemetipſo offerre pro peccatis*.

Secundò, vt omnis etiam ſuſpicio auaritiæ à Sacerdotibus tolleretur. Tertiò, vt maximum ſimoniæ vitium excluderetur, nàm certùm eſt, ſimoniacam labem incurrere eum, qui exigit, & accipit ſtipem tanquam pretium ſpiritualis fructus Miſſæ, vt elſe communem ſententiam, docet *Tambur. lib.*3. *cap.*1. §1. *num.*1. non igitur prohibuit Eccleſia applicari fructum ſpecialiſſimum, quia non ſit in ſe applicabilis, quòd eſt contra *S. Thomam loco cit. apud Lonner*. Ergò de primo ad vltimum Sacerdos applicans pro Defunctis partē fructus ſpecialiſſimam verè pro Defunctis dicitur celebraſſe.

Obijcit tertiò, Orationem eſſe pro omnibus Defunctis, ergò etiam applicationem fructus ſacrificij, & reſpondet negando conſequentiam, & quidèm iure negat, quia applicatio Miſſæ non ſit in oratione, ſed vel ante Miſſam, vel in priori *Memento*, vt diximus *par.*2. *ſect.*3. *cap.*5. & idem *Tambur. lib.*2. *cap.*2. §. 10. *num.*4. *Gauant. par.*2. *tit.*5. *in n.*3. *Arnaud. par.*2. *tit.*5. *num.*1. vel etiam in poſteriori, vt aliqui docent. Cùm ergó Oratio nullam habeat neceſſariam connexionem cum applicatione, ſequitur profectò orationem generalem cum applicatione pro particulari perſona poſſe conuenire; Dixi, neceſſariam connexionem, quia ex ſuppoſitione, quòd Sacerdos velit applicare Miſſam, vel pro eo, cuius facit memoriam in aliqua ex tribus, vel quinque, aut ſeptem Orationibus, habebitur tunc connexio inter orationem, & applicationem, ſed arbitraria Sacerdoti.

Obijcit

Objicit quartò. Eccleſiam intendere, vt omnes Defunɛti adiuuentur ſacrificio Miſſæ; Et reſpondet; Eccleſiam id intendere, vt conſilium, non vt præceptum. Ego tamen reſpondeo primò, quòd intendit hoc, vt præceptum Cathedralibus, & Collegijs, quæ tenentur ſacrum facere pro Defunctis ſolemne, etiam ſingulis Kalendis menſium non impeditis, provt extat *Rub. par.* 1. *tit.* 5. *num.* 1. & prò hac die Rubrica poſt primam Nouembris. Reſpondeo ſecundò, quòd intendit, vt præceptum reſpectu ſingulorum Sacerdotum, quòd dicant Miſſam de Requiem primam, vt ſaltèm fructu accidentali Miſſæ adiuuentur Defuncti; ſiquidèm pro cunctis oratur in Introitu, orationibus, Tractu, Sequentia, Offertorio, & Communione, & ſic augentur preces pro illis, quæ non augerentur, ſi diceretur Miſſa de Octaua, vel alia, quàm prædicta de Requiem. Sed fortaſsè etiam conſilium exhibere intendit Sacerdotibus, vt ipſi ex charitate nulla accepta mercede ſacrificium offerant, aut applicent fructum ſpecialiſſimum pro eiſdem animabus, ſi ob paupertatem cogantur applicare illud pro dante ſtipendium.

Objicit quintò. Præſumendum eſſe, quoſcumque Fundatores Cappellaniarum voluiſſe Miſſam hodiernam omnibus Defunctis prodeſſe; Et reſpondet voluiſſe non obligaſſe. Ego tamen; quidquid ſit, quòd aliqui potuerint id voluiſſe, quòd tamen incertum eſt, quia in extremo ſuæ vitæ conſtituti ſibi non alijs conſulere procurant, & proindè in dubio melior eſt conditio poſſidentis, vt *Bonac. cit. num.* 21. *&* *diſp.* 2. *quæſt.* 4. *punct.* 7. *num.* 13. & communiter alij; dico, vel Teſtatores fuerunt viri docti, vel ignari; Si primùm ergò non eſt probabile eos voluiſſe priuari fructu huius Miſſæ, cùm ſciant præcipuè Defun-

ctos per Miſſas legatas à quibuſcumque Teſtatoribus; & per quaſcumque alias iuuari; Si ſecundùm, ergò non eſt probabile, niſi ſibi intendiſſe prouidere in fundatione Cappellaniæ, & ſuis proximis primariò, nàm ſecundariò intendunt etiam prodeſſe omnibus animabus Purgatorij, vt ex mults chirographis Fundationum omnibus eſt videre.

Cęterùm facilè ego non ſuaderem ſententiam *Fraxinelli*, & *Gauanti* Cappellanis vt ſupra, quamuis probabilis exiſtat. Ratio eſt, quia communis eſt Doctorum ſententia, quòd tunc poſſumus ex duabus ſententijs rationabilibus certa, & probabili, ſiuè magis, & minus probabili ſequi etiam probabilem relicta certa, & minus probabilem, magis probabili relicta, quando non agitur de damno tertij, ſiuè non verſamur circa facti naturam, conditionem, aut modum, quod etiam Sanctiſs. D. N. INNOCENTIVS XI. confirmauit, damnando inter propoſitiones reiectas primam, & ſecundam, *die* 2. *anno* 1679. ſed in hoc caſu agimus de damno tertij ideſt Fundatoris, ergò debemus ſequi certam relicta probabili; Atque ea ratio, & ſententia, quæ obligat Sacerdotes ad Miſſæ celebrationem pro ſtipe accepta eſt certa, aut ſaltèm magis probabilis, ergò hanc tenemur ſequi relicta oppoſita: Subſumptum probatur: ratio per quam conuincitur, Sacerdotē teneri celebrare pro Fundatore, deducitur ex pacto, ex quo inſurgit obligatio Iuſtitiæ, quæ obligatio eſt certa; Rationes autem aduerſariorum ſunt præſumptiones incertæ, & minùs probabiles fundatæ in charitate. Ergò illa eſt magis obligatiua, quàm hę, cùm certum ſit in concurſu duorum præceptorum, quorum aliud charitatis ſit, aliud iuſtitiæ obligare præceptum Iuſtitiæ, & ceſſare præceptum charitatis.

Hæc

Hæc, vt demonſtrarem non eſse ſententiam certam, quam *Fraxinellus*, & *Gauantus* tuentur, dixi; quòd ſi aliquis etiam de noſtra dubitet, celebret applicando ſacrificium, vel Fundatori, ſi Fundatori cedit iure, vel Defunctis, ſi talis ſit intentio Eccleſiæ.

Quæſiuit quidam Parochus, cuius in Parochia cadauer ſepeliendus erat hac die,nùm Miſſam priorem, vel Miſſam, quæ ponitur in die obitus ſibi decantanda eſſet, cùm in ſua Eccleſia adſit conſuetudo ſepeliendi cadauera cum Miſſa, & Officio; Rationes dubitandi erant, quia hac die iubemur dicere Miſſam huius diei, & in die obitus præſcribitur etiam Miſſa peculiaris.

Reſpondi tamen, & Officium, & Miſsam, vt in die depoſitionis cum reſtrictione, quam ponam in fine, cantandam eſſe ſuper cadauer in Eccleſia adductum; Ratio eſt, quia hæc Miſſa habet rationem votiuę ſolemnis, ſed vt ſuprà vidimus, poteſt hac die cantari votiua ſolemnis; Ergò etiam hæc, cum votiuæ ſolemni æquiparetur; Præterquamquod deciſum eſt quacumq; die cantari poſse Miſſam de Requiem, & quidem, in die depoſitionis, vt habet *Rit. Rom. de exeq. rub.* 2. poſt Reſp. *Subuenite*, quia nullum corpus ſepeliendum eſt abſque Miſsa, vbi eſt in vſu; quòd antiquiſſima conſuetudiue firmatum eſse propè apud omnes docet *Durand. lib.*7.*cap.*35.§.17.*&* *Gau. par.*1.*tit.*5.*in num.*2.*lit.X.* & non abſque Miſsa quomodocumque, aliàs ſufficeret Miſsa Dominicæ, & cuiuſcumque Feſti, quando ijs diebus aliquis tumulandus ſit, ſed non abſque miſsa conuenienti de Requiem, vt *Rit. Rom. tit. de exeq. in rub. gen.* quæ eſt miſsa, ac in die depoſitionis, vt modò dictum eſt, ſed hoc non fit profectò ob aliam cauſam, niſi vt exhibeatur ſuffragium Defuncto

per ſacrificium, & compleatur Officium per miſſam, ergó neque hac die deducendus eſt aliquis ad ſepulturam abſq; miſſa depoſitionis. Probatur conſequentia, quia dato etiam, quòd miſſa præſcripta per Rubricam miſſalis, ſcilicèt ſecundam Nouembris, pro omnibus Defunctis ſit de præcepto, non ſequitur tamen, quòd omittenda ſit miſſa depoſitionis, cùm de ea item extet præceptum; *Rit. de exeq. cit.* ſicutì eò quia diebus Feſtis, & Dominicis miſſa propria ſit de præcepto, & votiua non poſſit celebrari, vel de Requiem, non ideò prætereunda eſt miſſa depoſitionis, quòd extet alia Rubrica, per quam conceditur, ergó non eſt deducendus cadauer ad ſepulturam hac die abſque miſſa depoſitionis.

Neque dicas præſumendum eſse, quòd hac die cunctæ miſſę applicandæ ſint in ſuffragium Defunctorum omnium; Reſpondeo enim primò, quòd ſatis ſupra demonſtratum eſt, non haberi certum fundamentum ad id præſumendum; Reſpondeo ſecundò, quòd præſumendum eſt, & quidem potiori ratione, quòd, etiamſi cunctæ miſſę offerendæ ſint pro omnibus, in hoc tamen caſu nolit pia mater Eccleſia denegare hoc ſuffragium vnius ſaltèm miſſæ Defuncto, & quidem propria die depoſitionis, quam inſuper Hæredes non ex charitate, ſed data ſtipe procurant celebrari. Reſpondeò tertiò, quòd etiam ſi fructus miſſę omninò hac die cederet omnibus Defunctis, poſset tamen dici miſſa pro vno, quia, vt ſupra viſum eſt, applicatio ſacrificij nullam habet connexionem cum orationibus; nec conſequenter cum alia quauis parte, cùm non ſit maior ratio de vna, quàm de alia.

Conuenientiùs tamen reſtringenda videntur modò dicta ad hoc, quòd ſcilicèt dicatur oratio quidem depoſitionis,

ſed

ſed Epiſtola, & Euangelium, prout in Commemoratione omnium Defunctorum, quæ Miſſa adhuc erit Miſſa dupoſitionis, quia diſtinctiunm miſſarum de Requiem eſt ſola oratio, cùm introitus, Tractus, & Sequentia, Offertorium, & Communio ſint ſemper eædem, vt patet, & Epiſtola, ac Euangelium vnius miſſæ ſint etiam communia alijs miſſis, vt docet Rubrica ante orationes communes Defunctorum.

Quæres, vtrum Sacerdotes, qui nullam habent Cappellaniam, ſed pro eo celebrant, qui manualem tribuit eleemoſynam teneantur hac die celebrare pro Defunctis, itàvt ſi nullum inueniant, qui ſtipendium eis offerant, niſi pro applicatione ſacrificij ad fauorem cuiuſdã certæ Perſonæ, cogantur ea die abſque eleemoſyna ſacrum facere?

Ex reſolutione præcedentium quæſtionum patet reſponſio, nam ſicutì poſſunt celebrare pro vno in die depoſitionis, nec conſtat, quòd Eccleſia velit applicari omnia ſacrificia Beneficiatorũ pro Defunctis, ſed longè probabiliùs eſt contrarium, ergò poſſunt celebrare pro quocumque, qui det illis ſtipem; Aduerto inſuper nunquam dubitatum eſſe, an Sacerdos accipiens eleemoſynam hodiernam à Franciſco v.g. poſſit applicare ſacrificium iuxtà intentionem Franciſci, ſed vtrum habentes beneficium, quòd exigat Miſſam quotidianam, teneantur pro ea die applicare ſacrificium pro omnibus Defunctis, quod eſt valdè diuerſum; In poſteriori enim caſu non videtur graue damnum ex omnibus miſſis vnius anni detrahere vnam pro animabus purgantibus, præcipuè cùm præſumatur non eſſe contraria voluntas eiuſdem Teſtatoris, in priori autem voluntas dantis eleemoſynam expreſsè contraria eſt, nec relinquit locum præſumptioni, & grauis fieret iniuria, etiam

Digitized by Google

fructu vnius Miſsæ fraudando aliquem, qui vnam tantummodó Miſsam habet; Reſpondi ergó licere eis accipere eleemoſynam; Ratio, cui innitor eſt, quia; de iure Sacerdoti celebranti debentur alimenta ex Altari, *Becan. de Sacramentis cap.* 25. *par.* 2. *quæſt.* 14. poſt *S. Thom.* & quidem de iure naturali, & Diuino miniſtrans ſpiritualia, recipit temporalia, *Paul. ad Rom.* 15: 27. & Prima ad *Cor.* 6. 11. *Luc.* 10. 7. quod ita verum eſt, vt etiamſi Sacerdos diues ſit, & alimentis non egeat, nihilominùs ſtipendium ei debitum eſt, vt *Becanus ibidem*; Ergò etiam hac die poterit accipere eleemoſynam, & conſequentèr applicare ſacrificium, vt ſupra.

Quæſiuit à me quidam Sacerdos explicationem quorundam dubiorum in Miſſis defunctorum, quæ quia non ſunt ità vulgaria, vt in futurum omnibus pateant, hìc pono.

Cur ponatur Pſal. *Te decet hymnus* &c. poſt deprecatam pacem Defunctis. Reſpondeo, quód Auctor Miſsæ orationem hanc ex motiuo non miſericordiæ, ſed charitatis theologicæ ſe inſtituiſſe probauit, ſi quidem oſtendit ſe deprecari purgantibus veniã non ob aliã cauſam, quàm ob relationem, quam ad Deum habent, & laudes Deo rependant; & eſt ac ſi dicat: *Pater Clementiſſime miſerere animarum harum, eaſque patriæ cœleſti dignare donare, propter gloriam nominis tui, hæ etenim, quæ modò tartareis in clauſtris detinentur hymnum tibi, æternum concinent, cum eos Ciuitate ſancta dignaueris, quod modò non poſſunt, quia mortui non laudabunt te Domine, neque omnes, qui deſcendunt in infernum, qui in amaritudine annos ſuos recogitant, & pacem non habent à facie peccatorum ſuorum. Exaudi Pater pijſſime orationem meam, & vt veniat ad laudandum te Populus hic tuus, quem ſanguine Vnigeniti tui redimiſti, extende manum tuam*

de

de alto, & libera eum à perſequentibus, & affligentibus eum? Hoc autem genus orandi aptiſſimum eſt ad obtinendum quod à Deo expetitur.

Quid ſibi velit: *mereantur euadere iudicium vltionis*: in tractu, cum iam iudicatæ ſint animæ in exitu à corporibus; Reſpondeo, quòd iudicium non ſemper ſignificat ſententiã, vel actum iudicandi, prout vulgariter intelligitur, ſed aliquando ſumitur etiàm primò pro Actu trium Perſonarum, ideſt, Actoris, Iudicis, & Rei, in quo ſenſu viſus mihi eſt locutus fuiſſe *Iob. cap.* 31. *Si contempſi ſubire iudicium cum ſeruo meo, & ancilla mea, cum diſceptarent aduerſum me*: ſecundò pro ipſo ordine iuris. Tertiò pro diſcretione, vel ingenio, in quo ſenſu locutus eſt Pſalmiſta dicens *Pſal.* 71. *Deus iudicium tuum Regi dà.* Quartò pro Iuriſdictione, ſcilicet pro condemnatione: Sextò pro vltima voluntate: Septimo pro opinione, ſeù credulitate prout Pſalmiſta *Pſal.* 118. *Iudica iudicium meum, & redime me*; Octauò pro ſententia iuxta illud *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui*, ideſt à ſententia, vt colligitur ex *Bellarm. Pſal.* 118. *ad lit. Hain.* Nonò Pro deliberatione, & examine, vt ly *Iudica iudicium* ideſt ſcrutare, & examina: Decimo pro auctoritate. Vndecimò pro arbitrio boni viri. Duodecimò pro iudicio boni viri, quod omne docet *Maranta tract. de ordine Iudiciorum par.* 1. ſumitur etiam aliquando pro Miſericordia iuxta illud *Pſal.* 118. *ſuper iudicia iuſtificationis tuæ*, ideſt ſuper tuam miſericordiam, vt colligitur ex Lyrano hìc; Aliquando etiam pro ipſa lege *Pſal.* 118. *lit. Nun.* & ibi Bellarm. *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum*; aliquando etiam ſumitur pro ipſa executione ſententiæ, & pro ipſa pœna *Epla* 2. *Pet. cap.* 2. *Quibus iudicium iam olim non ceſſat, & perditio*

eorum

Digitized by Google

eorum non dormitat; iudicium ideſt pœna; ad quam condemnabuntur, vt docet Lyran: & ibidem: *Non portant aduerſus ſe execrabile iudicium* ideſt pœnam; Sumitur ergo in noſtro caſu quo ad vltimum ſignificatum, & idem eſt, ac ſi diceret; Mereantur euadere pœnam Purgatorij, vel pœnam, & vltionem.

Quid ſibi velit in offertorio; *De pœnis inferni*. Reſpondeo, ſignificare de pœnis Purgatorij liberari Animas purgantes, Purgatorium autem dicitur Infernus, quia locus eſt inferior nobis, ſicuti etiam Infernus dicitur locus, ad quem animæ Sanctorum Patrum migrabant ante Chriſti mortem *Reg. lib.* 3. *cap.* 2. & *Eccleſiaſt. cap.* 9. *apud Inferos, quo tu properas*. Idem habetur in Symbolo Apoſtolico, & S. Athanaſij.

Quid &c. *de profundo lacu* Reſpondeo idem eſſe ac de profundo carcere ſic Daniel cap. 6. & *miſerunt eum in lacum Leonum. Allatuſque eſt lapis vnus eſt poſitus eſt ſuper os laci*, & Genes cap. 40. & *hic innocens in lacum miſſus ſum*, ideſt carcerem, quo nomine metaphoricè Purgatorium nuncupamur.

Quid, *de ore Leonis*? Reſpondeo idem ſignificare ac de viribus Diaboli, qui dicitur Leo. *Petr. Epiſtola* 1. *cap.* 5. ſicuti hoſtes potentes dicuntur Leones à Pſalmiſta *Pſal.* 34. & 76. *à Leonibus vnicam meam*; Animæ enim purgantes torquentur igne infernali, & à Dœmonibus tantò acrius, quantò citiùs euadere debent ex loco tormentorum.

Quid. *Ne abſorbeat eas Tartarus*. Reſpondeo primò Tartarum ſumi aliquando pro Inferno damnatorum, vnde *Pet. Epiſtola* 2. *cap.* 2. loquens de Angelis apoſtaticis ait; *detractos in Tartarum tradidit cruciandos*; inde *Verg. Aeneid.* 6.

Digitized by Google

Tum Tartarus ipſe
Bis patet in præceps, tantum tenditque ſub vmbras
Quantus ad ætherium cœli ſuſpectus olimpum.

Et ſupra

Tartareum ille manu cuſtodem in vincla petiuit.

Hic autem ſumitur pro Purgatorio; ſicuti ſupra vidimus Inferni numine Purgatorium venire; Reſpondeo ſecundò *ne abſorbeat eas Tartarus* idem eſſe ac, ne detineat eas Tartarus, ſicuti idem eſt, *nè cadant in obſcurum*, ac ne detineantur in obſcuro; exemplum habes in *Pſal. 68. Non me demergat tempeſtas aquæ, neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum*, ſuper quo quærunt Bellarminus, & Lyranus, quomodò petat nunc non mergi. Cum iam ſupra dixerit, ſe merſum eſse; & concludunt, per ea verba petere nè detineatur, & vt poſſit inde exire; *Obſcurum* dicitur ſcilicet Purgatoriū; totus enim Infernus eſt locus, vt ait *Iob. cap. 10. tenebroſus, & opertus mortis caligine, terra miſeria, & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & ſempiternus horror &c. & Apocal. 10. vinculis æternis ſub caligine reſeruauit*. Hæc ego; Scio tamen non deeſſe graues Auctores, qui dicant repræſentari animas purgantes tempore ſeparationis à corpore, & antè iudicium inter quos *Gobat tract. 3. num. 172. vſque ad* 175. *Tambur lib. 2. cap. 2. §. 7. num. 7. Dian. de Cel. Miſ. reſol.* 72. ſed hæc mea expoſitio magis conueniens videtur, & propria.

Cur oramus; vt *Signifer Sanctus Michael repræſentet &c.* Reſpondeo, quòd Sanctus Michael creditur cōmuni opinione ducere Animas Beatas in Cęlum iuxta illud: *cui tradi-*

dit

Digitized by Google

dit Deus animas Sanctorum, vt perducat eas in Paradiſum exultationis, ſiue id præſtet per ſe, ſiuè per Angelos, cuius ipſe eſt Princeps vt in *Apocal. cap.* 12. ſiué orationibus, & præſidio morientes defendat, & viuentes à tentationibus iuxta illud *Archangele Michael veni in auxilium Populo Dei.* Dicitur autem ſignifer, ideſt Princeps, & Dux. Dicitur autem in lucem Sanctam, ideſt in æternam gloriam, quæ exprimitur nomine lúcis, *& lucem habitat inaceſſibilem Paul. ad Rom.* 1.6. & iuxta illud *Epiſtola* 1. *cap.* 1. *ſi autem in luce ambulamus ſicut, & ipſe eſt in luce* & Pſal. 109. *in ſplendoribus Sanctorum, et dedit illi claritatem æternam Dominus &c. Sap. cap.* 10.

Quid. *Quam olim Abrahæ promiſiſti & ſemini eius*, Reſpondeo, quòd vita, & gloria æterna dicitur promiſſa Abrahæ, quia prómiſſa eſt credentibus omnibus *Marc.* 16. quorum pater fuit Abraham, *Paul. ad Galat.* 3. *Et ſemini eius* intellige non per naturam, ſed per gratiam iuxtà illud Pauli ibidem; *Qui ex fide ſunt, ij ſunt filij Abrahæ.*

Quid. *Fac eas Domine de morte tranſire ad vitam?* Reſpondeo, idem eſſe ac, Fas eas de pœnis, quæ ſunt morte ipſa deteriores, & de loco mortis ad tuam gloriam aduocari, iuxtà illud. *Redimet Deus animam meam de manu inferi* Pſalm. 48. & in Cant. Annæ 1. Reg. 2. *deducit ad inferos, & reducit*; qui autem ſit locus mortis explicat Pſalmiſta in Pſal. 48. *ſicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos*, & Paul. ad Epheſ. 2. mortuos dicit eos, qui peccatis grauãtur; Quæ verò ſit vita explicat *Ioan.* 11. eſt enim ipſe Ieſus qui de ſe dicit: *Ego ſum Via Veritas, & Vita*, vel eſt ipſa gloria cæleſtis, quia ſi pæna damnatorum mors eſt, ergò à contrario gloria Beatorum eſt vita, exemplum habes in

Pſal.

Pſal. 36. *Quoniam apud te eſt fons vitæ.*

Quid. *Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Hieruſalem?* cur dicit Sion, & Hieruſalem. Reſpondeo Sion, & Hieruſalem eſſe ſynonima, & accipi hìc pro Paradiſo, exemplum habes in Epiſtola Paul. ad Hæbr. 12. *Acceſſiſtis ad ciuitatem Dei viuentis Hieruſalem cæleſtem*, & Apocal. 21. *Et illi canentes iungimur almæ Sionis æmuli*, & *Benedicat tibi Dominus ex Sion*, ideſt de cælo, vt ibi *Bellarm. Pſal.* 127. Idem ergo eſt ac ſi diceret *Te decet hymnus Deus in cælo, & tu laudaberis in gloria tua.*

Quæſitum fuit, vtrum quidam Parochus poſſet diebus duplicibus celebrare Miſſam ſolemnem de Requiem cum officio pro vno, qui pluſquam centum officia mortuorum cum decem Miſſis pro ſingulis in ſuffragium animæ ſuæ continuatè perſoluenda legauerat: Ex dictis *par.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 4. patet ſolutio, ibi enim docuimus iuxtà mentem Sac. Rituum Congregationis, poſſe in duplici non feſtiuo fieri Miſſa de Requiem ad implendam Teſtatorum voluntatem, ergo etiam in caſu noſtro poteſt celebrari Miſſa de Requiem, quamuis non ſit legatum perpetuum, cum tamen ſit diſpoſitio Teſtatoris. Pro officio autem reſpondeo, quód & in duplici minore per annum, & maiori, imò ſecundæ, & primæ claſſis poteſt etiam mane perſolui. *Gau. ſect.* 9. *cap.* 11. *num.* 26. *in Comment. Breuiarij* concedit poſſe celebrari officium in duplici etiam maiori, non tamen vlterius; At cum totum hoc officium ſaltem in Cathedralibus dici poſſit in feſto omnium Sanctorum, quod eſt duplex primæ claſſis poſt Veſperas, cur non poterit dici etiam quocumque die duplici eiuſdem ordinis dummodò non impediat officium diei? Dices in

die omnium Sanctorum dicitur poſt perſolutum officium Sanctorum, ideſt poſt ſecundas Veſperas, quando nempè dies Eccleſiaſtica pertranſiſſe cenſetur. Reſpondeo primò, falſum eſſe, quòd dicatur poſt perſolutum officium nã dicitur inter Veſperas, & Completorium, ergo vtique infra duas partes officij Sanctorum, & conſequenter non adhuc terminata ſolemnitate, ſiue die eccleſiaſtica Sanctorum. Reſpondeo ſecundò, quòd ſicuti celebratis Veſperis poteſt dici ſub ſero, cur non etiam dicta prima diei poteſt perſolui mane, cum non minus non impediatur officium diei manè per vigilias, quam ſerò per veſperas, & vigilias ſimul. Aliquis non audebit concedere, poſſe dici officium in duplicibus primæ, & ſecundæ claſſis ne minuatur ſolemnitas diei. At ego: non minuitur ſolemnitas diei omnium Sanctorum per veſperas, & vigilias Defunctorum, ergo neque minuitur quæcumque ſolemnitas per recitationem eiuſdemmet officij in Parochiali, vel ſummo manè. vel ſub ſerò.

At dices. Voluntas Teſtatoris eſt, vt dicatur officium Defunctorum, & Miſſa de Requiem, ergo debent ſimul dici ijs diebus, quibus vtraque poſſunt, quia etiamſi feſtis diebus, & Dominicis non celebretur officium cum Miſſa, non tamen dicuntur diſcontinuari ab alijs officijs, ſicuti, qui Miſſas triginta Sancti Gregorij celebraret hebdomadibus Paſſionis, Maiori, & Paſchatis non dicitur eas interrumpere omittendo celebrationem tribus diebus vltimis maioris hebdomadæ, vt ait *Gau. par. 1. tit. 5. in nu. 3. lit. D.* Reſpondeo, quòd Teſtator non expreſſit, ſe velle Miſſam de Requiem, quamuis dixerit, ſe velle Miſſam celebrari in ſuffragium animæ ſuæ, & cum officio Defunctorum,

rum, & proinde ſatisfieri voluntati Teſtatoris celebrando Miſſam de tempore, quæ æquiualet Miſſæ de Requiem, & quamuis continuarentur huiuſmodi Miſſæ celebratæ diebus non feſtiuis, conſultiùs tamen eſt, eas celebrari citiùs ſub ritu conuenienti de tempore, quam tardiús, vt celebrentur de Requiem, vt extra controuerſiam eſt, quod etiam præſumendum eſt voluiſſe Teſtatorem.

Sed maius dubium eſt; An poſt celebratam Miſſam de tempore facienda ſit abſolutio, prout eſt in vſu in noſtra Diœceſi. Pro cuius reſolutione noto primo, quòd alicubi Abſolùtio eſt compars Miſſæ, ſiue fiat ante Euangelium, vt in Cappella Papali ſicut dixi *par. 2. ſect. 4. cap. 4.* ſiue poſt Euangelium, vt ibidem dictum eſt. Secundò aliquando eſſe complementum officij, quando ſcilicet celebrato officio præſente corpore non fit Miſſa, ſed Abſolutio immediatè poſt officium, vt tradit *Rit. Rom. de exequijs rub. vltima*. Tertiò nullam aliquando habere relationem ad officium, vel Miſſam, vt habemus *in Pontif. par. 3. tit. de Viſitat.* vbi docemur fieri abſolutionem pro defunctis, ſiue poſt Miſſam quæ de tempore, vel de Spiritu Sancto celebratur, ſiue ante Miſſam prout Doctores docent de Viſit. tractantes. *Reſta in Directorio Viſitat. & Viſitand. par. 2. cap. 2. Gauant. §. 8. num. 9. Cerem. Ambroſ. lib. 1. cap. de Viſitat. & de Viſitat. infer. Fuſch. lib. 1. cap. 4. nu 10. Salodius, & Piſc. lib. 1. ſect. 10. cap. 8. num. 5.* Dico ergo primò, quòd abſolutio poteſt fieri poſt Miſſam, ſicuti patet ex tertio notando; ſiue poſt officium tamquam pro eius complemento, vt ex ſecundo notando; Dico ſecundò neque poſt officium, neque poſt Miſſam eſſe obligationem de Abſolutione facienda, non primùm quia Rituale

tuale iubet fieri Abſolutiones præſente corpore; Non, ſecundùm quia *Rub. gen. par. 2. tit.* 13. præcipit Abſolutionem fieri ſolùm poſt Miſſam de Requiem.

CAPVT IV.

De die natalitia Domini Ieſu Chriſti.

MIſſa vigiliæ Natiuitatis Domini Ieſu vnicam habet orationem, & eſt ſub ritu duplici, vt eſt officium chorale incipiendo à Laudibus. Dies eſt ita priuilegiata, vt et diem Dominicam (ſi in eam cadit) excludat, tùm quoad miſſam, vt habet Rubrica miſſalis, tùm quoad officium, vt docet *Rub. Breuiar. ante vigiliam,* et inſuper quæcumque alia Feſta, Titularis, Patroni, et Dedicationis, vt ex *Rub. Breuiar. tit.* 10. *num.* 1. Admittit tamen commemorationem Dominicæ, quamuis non Euangelium in fine, ea ratione, quam diximus ſupra *par. 2. ſect.* 1. *cap.* 2.

In Miſſa huius diei in Dominica occurrentis non fiunt genuflexiones, adorationes &c. quia etiamſi ſit Miſſa Vigiliæ non eſt tamen cum ieiunio. Cantanda item eſt non poſt Nonam, quia Vigilia eſt ſeparata à ieiunio, ſed poſt Tertiam. Aliqui putant dicendam eſſe poſt Sextam, ſicuti vidimus ſupra *hac ſectione par. 2. cap.* 1. fieri in Vigilia Aſcenſionis, ſed contrarium tenendum eſt, quia ideò tribuitur Vigiliæ Aſcenſionis Miſſa poſt Sextam, quia æquiparatur Feriæ per annum, eò quod ſit ferialis in officio, & ſit abſque ieiunio, Vigilia autem Natalitia neque habet officium feriale, neque ieiunium, & inſupèr eſt in Dominica, in

in quã Miſſæ cantantur ſemper poſt Tertiam, vt docet citata Rubrica.

Die Natalitia D. N. tres Miſſæ celebrantur, prout in Miſſali; Conuentuales tamen diſtribuuntur hoc ordine, videlicet prior poſt Matutinum dicto *Te Deum*, ac oratione vſque ad *Fidelium animæ* excluſiuè, dummodò media nocte elapſa, altera in Aurora dicta Prima, vt docent *Rubr. Miſſal. par. 1. tit. 15. num. 4. & Breuiar. in die Nat.* Tertia dicitur poſt Tertiam, vt *Rubr. miſſal. hic*. Notandum tamen eſt poſt primam Miſſam dicendas eſſe Laudes, vt docet *Rubr. Breuiar. hic*, quas multi omittunt, & ſignantèr in Cathedrali noſtra, & in noſtris Collegiatis Mantuæ ob ſolam contrariam conſuetudinem, quam etiamſi plurimùm laborauerim nondum tamen corrigere potui.

In Miſſis Conuentualibus Celebrans cum Miniſtris debet genuflectere per totum verſum *Et incarnatus eſt*, non ad ſedem, vt Epiſcopus, ſed in infimo gradu Altaris, vt ſuo loco docuimus.

Ablutiones digitorum in prima, & ſecunda Miſſa tùm conuentuali, cùm priuata fieri debent in aliquo vaſe, vel calice alio ab eo, in quo celebratum fuit; calix autem Miſſæ hauſto diligenter ſanguine non relinquendus eſt ſuper corporale in ſolemni nec in credentia, ſed per aliquem in ſacris conſtitutum reportandum eſt ad Sacriſtiam, vbi corporali ſuppoſito ſeruetur pro ſecunda Miſſa; & idem fiat in ſecunda pro tertia; ablutiones autem ſeruantur, vt ab aliquo, vel ab eodem Sacerdote ſumantur poſt tertiam Miſſam, vel in tertia eadem poſt primam ablutionem, vt docet *Rub. gen. par. 3. tit. 11. num. 4.* Aliqui tamen mecum ſuper aſportatione calicis differentes, hoc indecenter

fieri dictitabant, volentes per aliquem Sacerdotem cum ſtola, & luminibus accenſis deferri ad Sacriſtiam, vel includi in tabernaculo, donec ſpecies conſecratæ exſiccentur; ſed neutrum eſt in vſu, nec aliquis Doctorum id tradit; primùm nihilominus non eſt diſconueniens; ſecundùm eſt ſuperfluum, vt colligitur ex *Rub. gen. par. 3. tit. 10. n. 14.* vbi traditur, quòd particula conſecrata &c. vt ibi, ſeparata ponatur in loco decenti, & ſacro, nec præſcribitur tabernaculum, ſufficit autem locus tutus in Sacriſtia, quamuis ſi in tabernaculo calix Miſſæ includatur laudabilitèr agetur, iuxtà *Rub. gen. cit. num. 6. & 7.*

Quamuis in duabus prioribus Miſſis omittantur ablutiones, dicuntur tamen orationes, *Quòd ore ſumpſimus, & Corpus tuum Domine*, quia etiamſi illę ſoleant dici dum purificantur calix, & digiti, non ſpectant tamen ad ablutiones, ſed ad præcedentem communionem, cui referuntur, vt patet ex ipſis verbis orationum; præterquamquod *in Rub. gen. par. 3. tit. 10. num. 10.* habemus, quòd ſi Hoſtia delabatur in calicem omittuntur quidem ſigna, ſed non verba, quæ cum ſignis dici debent, ergo à pari omiſſis ablutionibus non debent omitti orationes præſcriptæ ad ablutiones.

Cæterùm Sacerdotes non tenentur celebrare Miſſas omnes hac die, ſicuti neque Cappellani, onus habentes celebrandi quotidie, & vnicam eleemoſynam ſingulis diebus recipientes, ſed neque Parochus, vt cum pluribus docet *Dian. tract. de cel miſs. reſol. 64. & 100.* quod tamen limitandum eſt, ſi Parochiani omnes Miſſæ celebratæ interfuerint. Item tres omnes Miſſæ nocte fieri poſſunt, vt cõmunitèr docent Doctores, teſte *Diana reſol. 98. & 99.* Nec valet quòd in Rubrica aſſignentur horæ ſingulis huiuſmodi

iuſmodi Miſſis; horæ enim aſſignantur tantùm conuentualibus, quod patet ex *rub. gen. par. 1. tit. 15. num. 19.* aliàs cuncti Sacerdotes dictis horis tenerentur celebrare.

Quæſitum mihi fuit, vtrum Sacerdos, qui guttulam vini in conſecratione diſcontinuatam, & poſt conſecrationem ſpeciebus conſecratis immixtam, & vnitam bibit in prima Miſſa vnà cum ſanguine, an poſſet ſecundam, & tertiã celebrare. Reſpondi affirmatiuè primò, quia non eſt ſatis certum, quòd guttulæ diſcontinuatæ à toto non conſecrentur, vt *Gauant. par 2. t. t. 7. in num. 5. lit. G.* & colligitur ex *Dian. de cel. miſs. tract. 1. reſol. 110. & 111.* & in dubio melior eſt conditio Celebrantis; ſecundò quia ſicuti qui guttulam aquæ in os cadentis deglutit non prohibetur celebrare, vt communitèr docent Doctores, & *Rub. gen. par. 3. tit. 4. num. 3.* quia defluit in ſtomachum per modum ſaliuæ, cui in maiori copia eſt immixta; ita etiam qui guttulam vini immixtam ſpeciebus conſecratis ſumit, reputatur ſumere ſpecies ſacramentales, præcipuè cum hæ ſint etiam in maiori quantitate, quàm ſit ſaliua in ore. Tertiò quia non minus eſt controuerſum, quòd aqua appoſita in calice conuertatur in ſanguinem, quam guttula diſcontinuata, ſed licet ſecundam, & tertiam celebrare, etiamſi ſumpſerit totum id, cuius pars incertum eſt an fuerit tranſubſtantiata, ergo idem dicendum eſt ſi ſumatur in caſu propoſito totus ſanguis cum incertitudine reſpectu modicæ guttulæ diſcontinuatæ; quòd autem incertum ſit vtrum aqua conuertatur in ſanguinem, aut remaneat adhuc aqua poſt cõſecrationem. Vide *Tannerum, Dicaſtillum, De Lugo, Dianam*, alioſque qui de hac materia agunt.

Sed maius dubium eſt, vtrum Parochus, qui in prima Miſſa poſt mediam noctem celebrata, coram minus medietate Populi ſumpſit purificationem calicis, nec alius adſit Sacerdos, qui poſſit acciri ad celebrandum, vtrum inquam poſſit alias duas celebrare? Negatiuè reſpondet *Diana cit. reſol.* 93. *num.* 12. & expreſſiùs *reſol.* 92. Affirmat *Gobat. tract.* 4. *caſ.* 19. *num.* 330. *& deinceps*, primò, quia ſicuti licet inconfeſſo Sacerdoti Miſſam facere, ne Populus priuetur Miſſa, & ſatisfaciat præcepto, quod eſt ſine controuerſia, ergo etiam licebit non ieiuno; Conſequentia probari poteſt ſic: Confeſſio præmittenda eſt de iure diuino, & ieiunium de iure eccleſiaſtico, ſed diuinum in dicto caſu non obligat, ergo à fortiori, neque in præfato caſu obligabit eccleſiaſticum, cum illud magis obliget quam iſtud, vt conſtat ex *Rub. gen. par.* 3. *tit.* 4. *num.* 5. *& tit.* 10. *num.* 3. Verùm hæc ratio non videtur conuincere, quia defectus confeſſionis ſuppleri poteſt per actum contritionis elicitum ante celebrationem (intellige tamen vbi neceſſitas adſit celebrandi, nec habeatur copia Confeſſarij) vt communitèr Doctores, & expreſsè *Tridentinum ſeſſ.* 13. *cap.* 4. *&* 11. & *Rub. gen. par.* 3. *tit.* 8. *num.* 3. per quod fit, Celebrantem poni in gratia, ad quod de iure diuino tenetur, cum ſancta ſanctè tractanda ſint, & homo prius probare ſe debeat, quam panem ſanctum manducare, vt tradit *Paul.* 1. *ad Corinth.* 2; defectus autem ieiunij non poteſt per aliud ſuppleri, vt patet, cum neque per diuinam omnipotentiam fieri poſſit, quòd ieiunus ſit is, qui ieiunium fregit, quamuis & Deus, & Eccleſia poſſint Sacerdotem diſpenſare, vt etiam non ieiunus ſacrum faciat.

Efficaciùs ergò probatur ſic: licet excommunicato, ſuſpen-

ſo, vel interdicto Sacerdoti in caſu neceſſitatis celebrare, vt docet *Azor lib.* 10. *cap.* 13. *quæſt.* 6. & poſt eum *Gauant. par.* 3. *tit.* 8. *in num.* 1. *&* 5. dummodo graue ſcandalum, aut iactura famæ, aut graue aliud damnum timeretur, ergo etiam licebit celebrare non ieiuno; Probatur conſequentia, quia huiuſmodi cenſurarum impedimentum grauius eſt defectu ieiunij, vt per ſe patet, ergo ſicuti licet celebrare excommunicato &c. licet etiam non ieiuno. At dices R*ub. gen. par.* 3. *tit.* 8. *num.* 5. docet huic defectui occurri per actum contritionis, vt ſupra diximus de peccato; Reſpondeo maximam eſſe diſparitatem inter ſolum peccatum, & cenſuram, quæ regulariter eſt annexa peccato, vel eſt eius pœna, ſiquidem peccatum per contritionem elicitam, cum voto confeſſionis tollitur, & conterens ſe, conſtituitur in gratia; cenſura veró non tollitur per actum contritionis cum voto confeſſionis, quamuis tollatur peccatum, cui eſt annexa, cuiuſque tantùm in gratiam requiritur contritio, vt certum eſt; Solum itaque contritio in noſtro caſu facit Sacerdotem cenſuris impeditum non peccare etiamſi excommunicatus celebret in caſu neceſſitatis. At ego infero; licet celebrare durante cenſura, quæ eſt grauius impedimentum, quam fractio ieiunij, ergo à fortiori licebit cum ſolo impedimento ieiunij, dummodo ſint conditiones requiſitæ, & ſupradictæ, ideſt periculum vel vitæ, vel famæ, vel grauiſſimi alterius generis damni; quod rationabilier item, non leuiter timeretur.

Inſtabis: Præceptum eccleſiaſticum aſtandi ſacro non eſt tam graue, vt in concurſu præcepti de ſeruando ieiunio, cenſeatur obligare Sacerdotes ad repetendum ſacrum etiam non ieiunos, ergo Parochus non poterit, vt Popu-

lus interſit Miſſæ, alias duas, vel vnicam etiam celebrare, præcipuè cum præceptum in tantum obliget, in quantum Populus poteſt parere. Reſpondeo, ex hoc capite non licere Sacerdoti aut Parocho non ieiuno celebrare, ſed licere tantum ob euadendum graue ſcandalum, ideſt non plebis oblocutionem, & vulgaria dicteria, ac ſacraſmos ridiculos, ſed graue Populi damnum ſpirituale; vel periculum vitæ, aut famæ, in quibus caſibus *Suarez*, *Tanner*, *&* *Anglem*, vt *Gobat ibidem* refert, docent contra Nauarrum poſſe ſacrum fieri etiam à non ieiuno. Dixi: non plebis oblocutionem, dicteria lædentia &c. quia quamuis *Gobat.* exiſtimet horum periculum ſufficere, mihi tamen magis placet ſentire cum *Corduba quæſt.* 142. poſt alios multos Doctores, qui admirationem, & conſequenter hæc dicta ridicula non ſufficere aſſerunt ad celebrandum cum aliquo impedimento.

Contendunt quidam rubricarum Studioſi, in ablutione, quæ fit in duabus prioribus Miſſis, adhibendam eſſe cum vino aquam, eò quia in tertia Miſſa idem præſtetur; ſed neque præceptum vrget, neque ratio conuincit; non præceptum vt patet, nec ratio, quia in tantum fit digitorum ablutio, in quantum ſi fortè aliquod fragmentum apicibus digitorum adhæreat non diſperdatur, ſed cadat in vas cum ablutione, ad quod vel ſolum vinum ſufficit, vel ſola aqua. At dices cur nam poſt ablutum calicem in omnibus alijs Miſſis vtimur aqua, & non ſolo vino? Reſpondet *Gau. par.* 2. *tit.* 10. *in num.* 5. *lit. Z.* hoc ad humilitatem fieri; Eſt etiam vlterior reſponſio & eſt, vt ſpecies ſacramentales, quæ remanent in calice, nec ſumptæ fuerunt à Sacerdote cum priori ablutione, quod eſt probabiliſſi-

diſſimum, tum quia commiſcentur per totum vino ablutionis, tum quia per illud, quippe quod eiuſdem ſpeciei, non corrũpuntur, ſed cõſeruantur, vt ait *Card. de Lugo diſp. 10 ſect. 3. 45. de Euch.* & per aquã inſenſibiliter diſſoluũtur, & abſumũtur; In hoc enim maior reuerentia cognoſcitur erga Sacramentũ; præſtat namque proculdubio ſpecies ſacramentales inuiſibiliter abſumi, & corrumpi per qualitates aquæ contrarias, quam exſiccari in purificatorio nõ niſi poſtquam, & manibus attrectatæ fuerint, & digitis adhæſerint, immò etiam muſcæ aliquid de eis ebiberint. Quòd autem facilè ſpecies ſacramentales aqua immixtæ abſumantur, & corrumpantur eſt, quia aqua contrarijs qualitatibus agendo in ſpecies, & in vinũ ablutionis per totam aquam diffuſum, & proinde impar ad obſiſtendum, introducit in momento diſpoſitiones ad mutationem, per quod fit breui, & vinum corrumpi, & ſpecies, ac conuerti in aquam, facilè enim ſymbula mutãtur in ſymbula, vt ait *Ariſt. 2. de generat. text. 25.* remanentibus etiam aliquibus accidentibus prioris formæ *2. de generat. text. 24.* quæ in noſtro caſu erunt aliqualis ſapor, & odor. Vide ergo quam modicum vinum infundas, & multum aquæ, vt citiùs agendo ob minorem contrarij reſiſtentiam, vinum & ſpecies immutet.

Reſtat poſtremò notandum pro Eccleſijs vbi titulus eſt S. Ioannes, Sancti Innocentes, S. Silueſter &c. quòd in huiuſmodi Eccleſijs non fiunt commemorationes deſcriptæ in Miſſa S. Silueſtri, SS. Innocentium &c. ſed ſola Natiuitatis. Ratio deſumenda eſt ex Officio *in rub. gen. tit. 9. n. 4.* vbi habemus, in primis Veſperis, & Laudibus Feſti principalis non eſſe faciendas commemorationes de Octaua,

& die infra Oct. [quæ tamen fiunt de die infra Octauam Natiuitatis Domini, Epiphaniæ, & Corporis Chriſti, quocumque Feſto occurrente vt *Rub. hic num. 6. & tit. 7. num. 3.* in vtriſque Veſperis, & Laudibus] Cum ergo commemorationes Miſſæ ſequantur ordinem, & numerum commemorationum officij, vt diximus ſuo loco, conſequens eſt vt in Miſſa nulla admittatur commemoratio prçterquam de Natiuitate, vt ſit in Officio, quod additum eſt ad cauendos errores pleroſque in huiuſmodi Eccleſijs Mantuæ.

FINIS.

IN-

Digitized by Google

INDEX

Rerum Notabilium, quæ in hoc Opere continentur.

A

ABacus ſiue Credentia, qualis, vbi, quid in eo collocetur. pag. 129.
Abbates titulares non ſunt Prælati, & genuflectunt ad confeſſionem in Miſſa ſolemni. 308.
Ablutio digitorum, quæ fit in Miſſa, cur modiciſſimo vino,& cum multa aqua fieri ſuadeatur. 439.
Ablutiones digitorum, quæ fiunt in duabus prioribus Miſſis diei Natalis. Calix quomodò aſſeruandus. 433.
Pro Abſolutione ad tumulum Miniſtri deponunt manipulos, nec in ea oſculantur manum Celebrantis; Abſolutio generalis in commemoratione omnium Defunctorum poſt Miſſam ſolemnem. 412.
Abſolutio quæ fit per *Libera me &c.* aliquando eſt complementum Miſſæ, aliquando Officij, aliquando, eſt abſoluta, nec ad aliquid refertur. 431.
Abuſus in Miſſis primis Sacerdotum. 330. 331. ſi ſit ſine cantu poſſunt ei concedi duo Clerici cum ſuperpelliceis, & quatuor, aut ſex candelæ. 333. ſi ſit conſuetudo recipiendi oblationes recipiantur in aditu Presbyterij. 334. an poſſit ante Miſſam cantari *Veni Creator ſpiritus*. 335. Adhortatio ad nouos Sacerdotes ad præparationem pro Miſſa prima. 335. & deinceps.
Acolythi dicunt Hymnum, Symbolum, *Sanctus*, & *Agnus Dei* inter ſe ſubmiſſa voce dum dicuntur à Celebrante, & reſpondeant ad confeſſionem. 251.
Alleluia an dicatur ad *Ite Miſſa eſt* in Miſſis ſemiuotiuis, & votiuis infra octauam Paſchatis, & in quibus abſolutè non poſſit dici. 394.

Alta

Alta voce quæ recitentur à Sacerdote. 295. & quæ ſubmiſſa, & cur. 299. & quomodo, *ibidem*.

Altare in quo eſt expoſitum Sacramentum ad ſuffragium Defunctorum, albo pallio &c. ornetur, & Sacerdos albis veſtibus veſtiatur. 320.

Altare quid ſit, an ſtipes ſit lateritius neceſſariò; an ſi ſuper eo non conſecrato celebretur, fiat aptum in futurum ad celebrationem. 126. an per ſubtractionem Reliquiarum execretur, vel per fractionem ſigilli &c. An lapis in multas partes bipalmares diſſectus ſit aptum in ſingulis ſuis partibus ad celebrationem. 127. Ornatus Altaris. 127. 128. Plures candelæ duobus non competunt niſi Epiſcopis. Crux an debeat habere imaginem Crucifixi, an requiratur in Altari in expoſitione Sanctiſſimæ Euchariſtiæ. 128. An ſuper Altare Sanctiſſimæ Euchariſtiæ requiratur baldachinum, vel conopeum ſufficiat. 140.

Anniuerſarium. Septima, trigeſima defunctorum quomodò transferantur. 190.

Anniuerſarium coronationis, & creationis D. Papæ, & conſecrationis, ac electionis Epiſcopi an poſſit transferri. 185. 186. Et quid agendum.

An anticipetur Dominica occurrens cum duplici, cuius Miſſa non poteſt reſumi in hebdomada ſequenti. 212. 213.

Anticipatio officij Dominicalis cur fiat. 213.

Apoſtoli quot ſint. 215. 216. Apoſtolorum Apoſtoli. 216.

Applicatio ſacrificij an poſſit fieri in ſecundo *Memento*. 262. 263.

Archiepiſcopi nomine veniunt etiam Patriarchæ, ſiue Primates. 238.

Aſperſio aquæ benedictæ diebus Dominicis quomodò, à quo, quibus, & quomodò fiat. 354. 355.

Attentio interna, & externa quid ſit. 297.

Auctoritates Sanctorum Patrum ſunt regula remota Rituum. 15.

Auctorum ſententiæ, quæ expreſsè ſunt contra Rubricas, quando, nàm ſint repellendæ. 17.

Aurora quid ſit. 301. Crepuſculi nomine quid veniat. 301.

Bene-

Digitized by Google

B

Benedictio cum Sacramento quando detur in fine proceſſionum. 405. Et nihil intereà cantatur. 406.
Benedictio olim dabatur in Miſſis Defunctorum. 233. Datur ſemper dicto *Placeat*, excepto vnico caſu. 332. quæ nam reuerentia fiat, & quibus ante benedictionem. Vide in verb. *Reuerentia*.
Burſa corporalium non benedicitur. 144. ſuper ea non ſudarium non biretum deponitur. 146.

C

Calix quid ſit. 141. an ſolo vſu conſecretur. 143. an cadente ſuperficie aurea execretur, quid ſi denuò deauretur, aut cuppa à pede ſeparetur. 142. an cuppa poſſit eſſe ſtamnea.
Calix tenetur á Diacono duobus digitis, dum Sacerdos facit Cruces. 261.
Calix an poſt communionem velandus ſit á parte anteriori. 265. vſque ad 269.
Candelæ benedicendæ. Vide in verb. *Purificationis dies*.
Calceatis pedibus celebrare an teneamur ſub mortali. 148.
Canones Pontificum, & Conciliorum ſunt regula remota rituum. 14.
Caput ad quæ aperiatur in ſymbolo. 250.
Cappellanus aſſiſtens cui detur, eius munera. 58. & habitus. 58. & 60. quomodo cum Sacerdote procedat, miniſtret, eat, & ſedeat. 61. 62. 63. 64. & deinceps, quomodò reuerentiam faciat Altari. 60. an ſit dignior Miniſtris. 60. Doctores qui de Aſſiſtente agunt. 60. quomodo pacem ferat. Vide in ver. *Pax*. in abſolutione ad tumulum, an, & quomodo accedat. 68.
Cappellani an teneantur applicare ſacrificium pro omnibus defunctis die ſecunda Nouembris. 413. vſque ad 420. vbi vide multa non deſpicienda, & quænam ſententia ſit tutior. 420.
Caſula quid, qui, quomodo vtantur, cur plicatam adhibeant Miniſtri, & quando &c. 153. 154.
An Celebrans ſedens ad Tractum ſurgat, & accedat ad Altare, vt benedicat Diacono, an ſedens benedicat. 54.

Ceremonia vnde nomen traxerit. 1.

Ceremonia quid ſit. 1. & in quo differat à Ritu. 2. an habeat ſignificationem. 3.

Ceremoniæ à quo inſtitutæ fuerint. 2.

Ceremoniæ ſunt documenta ignaris, & fomentum charitatis. 3.

Ceremoniæ quæ fiunt in Miſſa ſolemni ab Introitu vſque ad Euangelium incluſiuè. 238. & deinceps à Symbolo vſque ad Canonem. 250. à Canone vſque ad Conſecrationem. 255. De Canone poſt eleuationem vſque ad orationem Dominicam. 259. De communione vſque ad finem Miſſæ. 264.

Ceremonialis aliquæ regulæ pertinentes ad Sacerdotes non Prælatos. 10.

Ceremoniale quando pro Prælatis, quando pro non Prælatis ſit intelligendum. 10.

Ceremoniale, & Rubrica non opponuntur. 19.

Ceremoniale Epiſcoporum an ſit regula pro Sacerdotibus non Prælatis, & ſuppleat defectum Rubricæ Miſſalis. 9.

Ceroferarij quales, quomodo procedant, non extinguunt candelas in Miſſa ſolemni, vbi eas deponant. 73. 74. ſubmiſſa voce cum ſacris Miniſtris reſpondent Celebranti, vbi ſunt in Miſſa, *ibidem*. Quomodo procedant pro cantando Euangelio. 75. Alter portat ampullas ad Altare, ambo miniſtrant ad lotionem manuum. 75. Quando accedant ad accipienda funalia pro eleuatione, & quando recedant. 76. In Miſſis defunctorum, & in abſolutione ad tumulum quomodo ſe gerant. *ibidem*.

Chorus cur ſurgat ad *Pax Domini* in Miſſis Defunctorum, & Vigiliarum &c. 258.

Cineres quonam ritu benedicantur. 346. & diſtribuantur. 347. Paranda. *ibidem*. Si vnicus ſit Sacerdos. 348. Ordo procedendi. 341. & diſtribuendi. 348.

Cineres aridi ſunt diſtribuendi feria quarta Cinerum. Et publicè pœnitentibus, & omnibus intereſſentibus benedictioni. 12.

Cingulum Sacerdotale quale, cuius coloris. 150. 151.

Circumſtantiæ Miſſæ ſolemnis. 22.

Circuitiones per tumulos in abſolutione die commemorationis omnium Defunctorum, an ſit toleranda, & quomodò fiat, & quid in ea cantetur. 412.

Col-

Digitized by Google

Collare, an deponatur ante Miſſam. 150.
Color Altaris, & Officij ſibi correſpondent. 154. in Miſſis votiuis priuatis qualis in Altare, & in Sacerdote, & in votiuis ſolemnibus, votiuis ſimplicitèr, in votiuis ſecundùm quid. 155.
Color violaceus, an adhiberi poſſit pro nigro; Epiſcopi eo vtuntur, ſed non in Miſſis de Requiem, Papa in Officijs Defunctorum, quo colore vtatur. 156. an veſtes omnium quatuor colorum adhiberi liceat. 158. Color auri, an æquiualeat cunctis coloribus. *ibidem*.
Commemorationes, quæ exarantur in Miſſis S. Silueſtri. Sanctorum Innocentium &c. an omnes fiant in proprijs Eccleſijs S. Silueſtri, & Sanctorum Innocentium. 444.
Commemoratione Defunctorum cadente in Dominica, aut alio Feſto quid agendum. 408.
Die Commemorationis omnium Defunctorum, an liceat cantare votiuam ſolemnem. 408.
In Commemoratione Defunctorum, qua hora cantetur Miſſa de *Requiem*. 409. 410.
In Commemoratione omnium Defunctorum, an genuflectatur ad orationes Miſſæ. 410.
Die Commemorationis omnium Defunctorum, an liceat celebrare pro vno ſuper eius cadauer tumulandum. 421.
Commemorationes in Feſtis primæ Claſſis, an fiant. 188. & quæ prohibeantur. *ibidem*. quo ordine fiant. 209. aliquando fiunt in Officio, non in Miſſa, & è contra 209. Commemorationes ſunt in duplici differentia. 209. Commemorationes Feriarum Quadrageſimæ, Vigiliarum &c. fiunt in Miſſis priuatis, etiamſi cantetur Miſſa de Feria Feſto occurrente. 212. Commemoratio Simplicis occurrentis cum Feſto duplici, & Feria maiori &c. an fiat in Miſſa ſolemni de Feſto. 212. de Simplici fit Commemoratio etiam in votiua, ſed priuata. 212.
Communis conſenſus Eccleſiæ eſt Regula proxima Rituum non ſcripta. 15.
Communio Cleri, vel Laicorum in Miſſa. 273. quis pixidem extrahat in ſolemni. Vide in *V. Genuflexio*. Sacerdos quomodò ſtet, dum fit confeſſio. 275. an Diaconus teneat patenam ſub mento Communicantium. 276. hoſtijs in eadem Miſſa

conſe-

Digitized by Google

conſecratis meliùs eſt vti, & cur *ibidem*. An Beneficiati Oratoriorum Parocho inſcio, vel reluctante poſſint communicare confluentes ad ea Oratoria publica. 277. & quid ſtante conſuetudine immemorabili pro Beneficiatis, vide cætera. 280. 281. 282.

In Communione Epiſcopi, an fiat confeſſio à Miniſtro, & abſolutio à Sacerdote. 283. 284.

Communicantes, & hanc igitur oblationem de Octaua non omittitur, etiamſi omittatur præfatio. 232.

Concordantia Miſſæ cum Officio in quo ſita ſit. 171.

Confeſsio in Miſſa. 195. aliquando dimidiatur. *ibidem*. aliquando omittitur tota. *ibidem*. an dimidietur Feria quinta in Cœna Domini. 169. in Miſsis de Paſsione Domini celebratis tempore Paſsionis. Vide in *V. Miſſa Paſſionis*.

Conſuetudo quando obliget. 17.

Conſuetudo vt legem abroget, quæ eſſe debeat. 281. 282. 283.

Conſuetudines legitimæ ſingularum Eccleſiarum ſunt regula proxima non ſcripta pro illis. 16.

Conſuetudines laudabiles, quæ non opponantur vſui Vniuerſæ Eccleſiæ poſſunt retineri. 16.

Conſuetudo, quæ ſit obſeruanda, peculiaris ne loci, an vniuerſalis Eccleſiæ. 16.

Conuentuales Miſſæ diei Natalis quomodò diſponantur. 432.

Corporale, ex qua materia. 143. an benedicatur. 144. quibus ornamentis affici liceat. 145. an in eius anteriori parte liceat pingere acu Crucem. *ibidem*. eius plicatura, & quid ſignificet. *ibidem*.

Corporis Chriſti ſolemnitas, & apparatus. 398. 399.

Cotta an ſit neceſſaria Sacerdoti ad celebrandum. 148.

Crucis denudatio, & adoratio in Paraſceue. 373. 374.

Cruci exhibetur reuerentia cum genuflexione Feria ſexta in Paraſceue. 369.

Cruces, quæ fiunt cum hoſtia. 260. quæ fiunt manu non inconuenientia, ſuper oblatis, & cur 262.

Crucifer cum Acolythis tranſiens ante Sacramentum initio proceſsionum non genuflectunt. 401.

Dal-

D

DAlmatica, quæ, in quo differat à tunicella. 153. 154.
Decreta, vel Deciſiones relatæ ab aliquo Auctore non ſunt ſufficientèr propoſitæ, vt obligent, ſed faciunt ſemiplenam fidem. 14.
Decreta Sac. Congreg. Rituum ſunt regula rituum. 13. & an tutum ſit ea ſequi, etiam in caſibus ſimilibus.
Deciſiones Rotæ in materia Rituum, an ſint Regula Ceremonialis. 14.
Decreta Sac. Congregationis Rituum quamnam obligationem inducant. 13. & quibuſnam circumſtantijs affici debeant. *ibidem*.
Denudatio Altarium quomodo fiat. 361. 364. quomodo procedatur, *ibidem*, & deinceps.
Diaconus vbi ſtat dicto *Sanctus*, ſi detur Presbyter Aſſiſtens. 257.

E

EPiſcopus, qui nominetur in Canone. 255.
Epiſcopo aſſiſtente ſolemnitèr Miſſæ in Diœceſi, quæ parentur. 320.
Epiſtola quomodo cantetur. 240.
Epiſtolam, an deceat cantari per Celebrantem, ſi non adſit Lector. 37.
Euangelium quomodo legatur à Sacerdote in ſolemni Miſſa, & qui aſsiſtant. 241. quomodò & vbi cantetur, & quo ordine procedatur. 243. & deinceps.
Euangelium Vigiliæ cur non dicatur in Miſſis Feriarum Quadrageſimæ. 169.
Expanſio palmarum ſuper oblatis quomodo fiat. 255.
Explicationes, & interpretationes quorundam dubiorum in Miſſis Defunctorum. 424. vſque ad 429.

F

FEriæ Aduentus occurrentes cum Duplici, aut Semiduplici, an duas Miſſas habeant. 214. 215.

Feriæ

Feriæ Aduentus ſunt minores Ferijs Temporum, Vigiliarum, & ſecunda Rogationum. 215.
Feriæ in quibus dicuntur duæ Miſſæ. 167. 210. 211. an diebus infrà Octauas vna ſufficiat occurrentibus cum aliqua Feria Quatuor Temporum, & Vigiliarum &c. 167. an infrà Octauam Corporis Chriſti. 168.
Feria ſexta in Paraſceue pro minoribus Eccleſijs. 377. 378.
In Feria ſexta maioris hebdomadæ quomodò ornetur Altare. 368. Paranda pro officio Miſſæ. 368. & deinceps.
Feria quinta maioris hebdomadæ, an plures Miſſæ fieri poſſint; & an finita ſolemni in Matrici Eccleſia poſſit quis celebrare in ſacello priuato. 365. 366. ſi occurrat in hac Feria aliquod Feſtum de præcepto, an meliùs ſit celebrare plures Miſſas, & an de Feſto, vel de Feria. 367.
Fractio Hoſtiæ. Vide in *V. Hoſtia*.
Fructus Miſſæ ex opere operato ſemper eſt idem, ſub quouis ritu. 192. Fructus ex opere operantis deſumitur ex deuotione celebrantis. 192. Fructus interceſſionis. 193.

G

Generales, & Prouinciales Mendicantium, an poſſint ſedere ad latus Euangelij in Miſſa ſolemni. 129. 130. & deinceps. An verè ſint æquales Epiſcopis 131. 132. 133. & *vide* æqualitatem 134. cur in eodem latere ſedeant Abbates. 135. & deinceps. Generales &c. non poſſunt vti Baldachino, & Sede, nec ſumere paramenta de Altari, nec vti anulo. 135. 140.
Genuflexi manent Laici ad Miſſam tantùm priuatam; ambobus genibus procumbendum ad *Flectamus genua*, ad *Leuate* omnes ſurgunt. 305. 306. in ordinum collatione ordinandi ſemper genuflectunt regularitèr. 307. ſtandum ad orationes in Miſſis Rogationum. 308.
Genuflexio ambobus genibus fit quando in genuflexione immorandum eſt aliquantulùm. 236. 239.
Genuflexio fit antequam ponatur Hoſtia in patena pro Communione. 273. & priuſquam tangatur pixis. 274. quis eam extrahat de tabernaculo in Miſſa ſolemni. 275.

Genuflexio, an fiat à Diacono ſe vertente, vt dicat *Ite Miſſa eſt*. 265.
Non Genufleſtunt Acolythi ferentes Crucem, & cereos ſimul tranſeundo ante Sacramentum. 305.
Genuflexio quando, & quomodo facienda 116.
Gloria in excelſis. Vide in *V. Hymnus Angelicus*.
Graduale, an dicatur in Feſto S. Marci, cùm ſit Proceſſio ad eius Eccleſiam infrà Octauam Paſchatis. 394.

H

Hanc igitur oblationem. Vide in *V. Communicantes*.
Haſtæ Baldachini. Vide in *V. Præcedentia*.
Hymnus Angelicus quando dicatur. 190. 178. 200. 201. cur dicatur in Feria quinta in Cœna Domini. 190.
Hora celebrandi, quæ. 301. pro dando viatico. 302. vbi tota nocte lucet Aurora, quando liceat celebrare. 303. quando celebranda Miſſa de Vigilia ſine ieiunio *ibidem*; quando Miſſa Defunctorum. 304. Miſſa de Sancto transferendo. 304.
Horæ minores quomodo perſoluantur in maioris hebdomadæ triduo. 369.
Hoſtia extracta ex lunula oſtenſorij ſumitur poſt epotum ſanguinem. 288.
Hoſtia quando dicatur mactata. 262. an Hoſtiæ fractio ſit pars ſacrificij. 263.

I

Ignis quo loco accendatur, & vbi &c. in Sabbatho Sancto 380. & eius benedictio. *ibidem*.
Incenſatio Sacramenti pro Proceſſione, vbi facienda. 401.
Incenſatio quibus Reliquijs debeatur. 102. & quibus Imaginibus Sanctorum. 103. & in quibus incenſationibus, 103. Reliquia inſignis, vel Imago Sancti poſita in medio Altaris, an thurificetur, & quomodo. 104. 105. quid de Imaginibus Angelorum, & an verè ſint Imagines eorum. 106. Oblata quomodo thurificentur. 107. quoties fiat in Miſſa ſolemni, quoties in

in media. 108. quid aduertendum in incenſatione, & in benedictione incenſi. 110. Quot ductibus incenſetur Parochus 110. 111. quot Clerici. 111. & deinceps; in Collegiatis, quot Beneficiati, & non Beneficiati. 113. quot Dominus Loci. *ibidem*, quot Populus 72. incenſatio, an fiat expoſito Sanctiſſimo Sacramento. 113. quinam honor ſit. 114. quid ſignificet, quos effectus producat, *ibidem*.

Impoſitio thuris pro Euangelio. 241.

Intortitia quando teneantur accenſa vſque ad Communionem. 258. 259.

Intortitia quomodo deferantur in Proceſſionibus. 402.

Introitus quando omittatur. 198.

K

KYrie ſi omittatur. Vide in *V. Omiſſio*.

L

LAicos, an deceat cantare in Choro, & miniſtrare incenſum, vbi non ſint Clerici. 37. 38.

Legati, qui. 237. alij Miſſi, alij nati. *ibidem*. omnes habent iuriſdictionem ordinariam. 238.

Litanijs nulla fit additio Sanctorum. 395.

Litaniæ maiores occurrentes die Paſchatis, ad quam transferantur, an ad Feriam ſecundam, vel ad tertiam ſequentem. 394. 395.

Ad Litanias Sabbatho Sancto quid obſeruandum. 385.

In Litanijs maioribus translatis à die Paſchatis, quæ Miſſa cantetur in Eccleſia S. Marci. 395.

Diebus Litaniarum minorum occurrente Feſto nouem lectionum quot Miſſæ cantentur in Eccleſijs Collegiatis, & quomodò diſtribuendæ. 396.

M

MAnuum coniunctio quomodò fiat. 123. quid notandum in manuum extenſionibus. 123. in eleuatione, & in expanſio-

panſione, *ibidem*, in qua an pollices formare debeant Crucem. 124. & an ſupra manus, an ſubtus *ibidem*. quomodò teneantur in orationibus, & præfationibus, quomodò pectus percutiatur. 125.
Magiſter Ceremoniarum qualis. 77. quàm neceſſarius 77. quid præcipuè curare debeat. 78. Pro Miſſa ſolemni, quæ præuideat; locus eius in præcedendo, eius miniſterium. 79. An ſedeat. 80. quomodò ducat, & reducat Celebrantem ab Altari ad ſedem, & è contra; Subdiaconum ad Epiſtolam, & Diaconum ad Euangelium. 80. Quando comitetur aliquem. 81. quando aſſiſtat ad librum. 80. & 81. In aquæ aſperſione quomodò ſe gerat. 83. vide cætera.
Mandatum, & eius ceremoniæ. 363. 364.
Martirium S. Ioannis Apoſtoli, & Euangeliſtæ, & Natiuitas quando recolantur. 217.
Matutinæ in feſto Corporis Chriſti. 406.
Miniſter vnus adhibetur in Miſſa priuata. 41. etiamſi Celebrans ſit Abbas, & Vicarius Generalis. 41. eius veſtis. Munus in veſtiendo Sacerdote, quomodò deferat miſſale, quomodò reuerentias faciat Altari, & reſpondeat Celebranti 41. 42. Vide hìc etiam principaliora eius munera. Pro Communione Laicorum quid agat. 45. quæ obſeruet præſente Epiſcopo loci, aut aliquo Sac. Rom. Eccl. Card. &c. *ibidem*.
Miniſtri ſacri, an obligentur per Rubricas Miſſalis. 5.
Miniſtri Miſſæ ſolemnis, priuſquam ſe induant, lauant manus; quomodò Celebranti miniſtrent in Sacriſtia; Ordo procedendi. 47. 57. & quo ordine genufleꝺtant Sacramento clauſo in cuſtodia, vel patenti. 47. quomodò reuerentiam faciant. 48. 55. etſi ſint Sacerdotes. 55. quis det birretum Sacerdoti, & quomodò aſſiſtant incenſanti Altare 48. quando manus oſculentur Celebranti. 49. 50. 51. 52. 53. & coram eo genufleꝺtant 53. & cum eo ſedeant 55. ad ad *V. & incarnatus*, an genufleꝺtant ſi ſedent. 56. quomodò ſtent ad Euangelia lecta à Celebrante 57.
Miſſa coram Epiſcopo extrà Ciuitatem celebrata cum Diacono, & Subdiacono. 321. vſq; ad 328. ſine Miniſtris in cantu. 329. ſine cantu. 330. Paranda. 321. Exceptio Epiſcopi à Clero, &

modus cum deducendi, per quem porrigatur aqua luſtralis, quæ reuerentia fiat à Clericis. *ibidem*. Confeſſio Miſſæ. *V. Deus tu conuerſus*, à quibus dicatur. 332. Incenſum à quibus miniſtretur. 323. & quomodo, & à quibus miniſtretur. 323. & quomodo 324. 325. 326. 328. non fiunt circuli. 324. Clerici miniſtrantes poſſunt ſedere ſi ſit vſus. 326. Euangelium quomodò cantetur. 225. poſt illud an fiat incenſatio. 326. Pax quomodò, & per quem feratur. 326. Epiſcopus benedicit, & leguntur indulgentiæ. 326. quot ductibus fiat incenſatio. 329. Finita Miſſa ſit reuerentia Epiſcopo. 330. dum venit, & recedit Epiſcopus pulſantur organa, & campanæ. 330. Aſſociatur à Clero. 328.

Miſſa noui Sacerdotis. Vide in *V. Abuſus*.

Miſſa pro gratiarum actione priuata quot, & quas orationes habet. 173. 174. & quas quando dicatur de S. Maria, *ibidem*.

Miſſa conſecrationis Epiſcopi quando dicatur. 175.

Miſſa conſecrationis, & electionis Epiſcopi; Coronationis, & Creationis Papæ in Anniuerſario, an præcipiatur ſolemnis, an etiam priuatæ. 176.

Miſſa Venerabilium virorum non deſcriptorum in Kalendario, ſed tantùm in Martyrologio, an dici poſſit; Et an de Venerabilibus perſonis, quæ habentur pro Beatis per tempus immemorabile, & quando 177. & quomodò. 174.

Miſſa in Feſto Corporis Chriſti. 400.

In Miſſa votiua media, an dicatur vna oratio, & Symbolum. 40.

Miſſa votiua ſolemnis, cui competat Symbolum, Hymnus; & vna oratio, quæ ſit. 39. 40.

Miſſa in Paraſceue. 370.

Miſſa Sabbathi Sancti ſolemnis. 385. & deinceps; cantata ſine Miniſtris.

Miſſa conuentualis eſt, quæ celebratur in Collegiatis toto conueniente Clero. 25.

Miſſa Paſſionis, & de Cruce celebrata tempore Paſſionis, an habeat Pſalmum *Iudica* &c. 169. An ſit Miſſa de tempore Paſſionis æquiualenter, & reductiuè. 197. 198.

Miſſa ſolemnis Sabbathi maioris hebdomadæ habet Litanias etiã in Parochialibus. 26. ſed Veſperæ non cadunt ſub præcepto,

quam-

Digitized by Google

quamuis ritè dicantur. 31.
Miſſa priuata Sabbathi maioris hebdomadæ, an habeat Veſperas ex vi Rubricæ. 31.
Miſſa an ſit vox hebrea, vel latina. 32. & cur ſacrificium diceretur Miſſa. 33.
Miſſa ſicca quæ? & vbi nam celebrari poſſit. 33. 34.
Miſſæ definitio 33. eius partes integrales. 34. 35. Miſſa ſolemnis quæ? 36. Miſſa Media, quæ, & eius ritus. 36. 37.
Miſſa Beati non canonizati, quando dici liceat. 178.
Miſſale quid, an benedicatur, ſine eo celebrare an ſit mortale. 159. an qui ex eo coram ſe poſito Miſſam non legit, peccet lethaliter. 160. 162. ex eo omnes Miſſæ partes non leguntur, *ibidem*. & 161. partes Miſſæ legendæ ex vi Rubricæ, & quæ ex vi Ceremonialis. 161. Sacerdos, qui non poteſt legere, an nihilominùs poſſit celebrare. 162. cur tutiùs ſit pro nouis Sacerdotibus legere totam Miſſam, quàm non. 164. cætera vide vſque ad 165.
Miſſam de quodam Beato cupienti facere cuidam Archiepiſcopo conceſſit Sacra Rituum Congregatio facto priùs verbo cum Sanctiſſimo. 180.
Miſſæ de Sancto transferendo, quibus diebus non poſſit dici. 182.
Miſſa votiua ſolemnis, quibus diebus dici non poſſit. 182.
Miſſa de Sancto transferendo, quo ritu dicatur. 182. 183. 185.
Miſſæ priuatæ de die, an habeant commemorationem de Feſto, quòd transfertur. 184.
Quam Miſſam celebrabit accedens ad Eccleſias Regulares, in quibus fiunt Miſſæ de Beato conceſſæ ſolis Regularibus. 179. Et quid ſentiendum de Epiſcopo Ciuitatis. *ibidem* vſq; ad 181.
Miſſam de Requiem, an liceat celebrare pro viuis, proponitur quæſtio. 192. reſoluitur. 194.
Miſſæ votiuæ, & priuatæ quando conuenientiùs dicantur, & cur 170. 171. cauſa ſufficiens dicendi votiuas. 172. Votiuæ ſimpliciter, quæ. *ibidem*, quæ votiuę ſecundùm quid. 173. Quot ſint ordines votiuarum in Miſſali 173. 175. Miſſæ propriè quando fiant votiuæ. 176. & quid ſeruandum in ijs, *ibid.* & 177.
Miſſæ duæ quando dicantur. Vide in *V. Feriæ*, & 182. & cur di-

cantur. 213. & deinceps.
Miſſę aliæ ſunt alijs longiores. 298.
Miſſæ de Feria Quadrageſimæ occurrente quouis maximo Feſto debent cantari, 110. 111.
Miſſæ duæ non cantantur in Dominicis occurrentibus cum Duplici. 212.
Miſſæ viuorum non celebrantur pro Defunctis. 163.
Miſſæ viuorum propriè dictæ quęnam ſint. 193.
Miſſę Defunctorum non omnes votiuę, ſimplicitèr. 186. 187. & quę. An pręſente corpore in Feſto duplici dum durat Officium poſſint dici plures Miſſę. 187. 188. abſente corpore in duplici quando liceat celebrare de Requiem. 188. 189. Celebrans de Requiem ad Altare priuilegiatum in Feſto duplici, an liberationem animę obtinere poſſit. 189. Vnam Miſſam de Requiem pro alia quando, & quomodo dici poſſit. 189. quęnam Miſſa pro Defuncto Papa, Cardinalibus, & Epiſcopis. *ibidem.* Miſſa quotidiana de Requiem cur habeat tres illas orationes. 190. Miſſę de Requiem quando ſunt de pręcepto. 191. & quid ſi dies ſit impedita. 192.

N

Die Natiuitatis, an teneantur Sacerdotes ter celebrare, & an Parochi, an omnes poſſint fieri nocte. 433.
Die Natiuitatis, qui guttulam vini lapſam in ſpecies Sacramentales ebiberit in prima Miſſa, an poſſit vlteriùs celebrare. 435.
Die Natiuitatis dicuntur orationes, *Quod ore ſumpſimus*, cum ſequenti in omnibus Miſſis. 434.

O

OBlatio quando, & de quibus fiat in Miſſa, & à quo introducta. 270. quę in Canonizationibus, & ordinationibus, & coronationibus. 271. in Eccleſia Mediolanenſi offerunt Veglones. 271. Modus tenendus. *ibidem*. Sacerdos ſtans, aperto capite &c. 272.
Occurrentia propria Feſtorum quę ſit. 221. & deinceps.

Digitized by Google

Octauæ non ſunt eiuſdem generis. 169.
Offertorium quando omittatur. 228.
Officium Defunctorum, quibus diebus dicere liceat vt ſatisfiat legatis. 429.
Officium an teneatur dicere in Choro Parochus in triduo maioris hebdomadæ. 25.
Omiſſio alicuius partis facta à Miniſtro ſuppletur ab ipſo Sacerdote. 199.
Oratio pro Papa ſi dicatur an poſſit dici etiam pro Eccleſia. 207. in votiua de S. Petro vbi ponatur oratio de S. Paulo. Oratio *A cunctis* quæ Sanctos admittat ad literam. N. 208.
Orationes in Miſſis quotidianis de Requiem quæ pro certa Perſona celebrantur, quæ. 190. an ſecundo loco in Miſsis Sanctorum poſſit poni, oratio Defunctorum ſi tertia ſit ad libitum. 202. Oratio *Deus qui ſalutis æternæ* quando dicatur. 203. Infra octauas Paſchatis, & Pentecoſtes, quot. 204. Ferijs quintis per annum vbi ex indulto celebratur Miſſa de Sacramento, quæ orationes. 233. in Dominicis infra Octauas *ibidem*. In ſimplicibus,& Ferijs *ibidem* Orationes votiuæ vbi inueniantur. 206. quænam oratio in Ferijs Temporum concordet cum Officio. *ibidem* in votiua ſolemni pro gratiarum actione, quæ. 174. oratio omiſſa in collecta quomodo ſuppleatur. 206.
Orationes propriæ Defunctorum fiunt aliquando pro viuis, & quæ. 194.
Ad Orationes in fine Litaniarum maiorum, vel minorum ſtandum ne ſit an genuflectendum. 395.
Oſtenſorium cum Sacramento quomodo porrigatur à Diacono Sacerdoti & è contra. 359. 360.

P

Palla parua, quæ, qualis, quomodo benedicatur. 144. an duæ adhiberi poſſint. 146. quibus ornamentis affici poſſint. 145.
Palmarum in benedictione quæ legere teneatur Sacerdos. 348. Miniſtri vbi ſtant in benedictione. 349. ad præfationem 349. quo habitu detur palma Sacerdoti. 349. quæ ſeruanda in proceſsio-

ceſſione. 350. ſi ſit vnus Sacerdos. 350. & deinceps,
Papa, & Epiſcopus celebrans Sabbato Sancto an legat Veſperas 28.
Parochus, qui in Miſſa nocte Natiuitatis ſumpſit purificationem inaduertenter, vtrum alias Miſſas poſſit facere, vbi non poſſit Populus, qui nocte non interfuit, audire aliam Miſſam. 436.
Parochus quà Parochus non tenetur perſoluere Officium in Choro niſi Veſperas in Feſtis. 24.
Parocho inuito nullus poteſt prædicare. 280. poteſt tamen abſoluere eius Parochianos. 282.
Particula conſecranda an poſſit apponi in Altare inchoato Canone. 231.
Patena quid. 142. cætera hic vide.
Patroni Ciuitatis Mantuæ 217. eiuſque diſtrictus.
Patroni inferiores, ſunt Superiores Titularibus. 217.
Paſſio quomodo, & á quibus cantetur, & vbi. 371. quomodo legatur à Celebrante ibidem, & 372.
Pax datur cum mutuo amplexu. 92. quomodo feratur, & quibus detur. 92. an ſtent, vel genuflectant. 93. Inſtrumentum pacis quale. Quomodo detur in Miſſa media. 93. in Miſſis priuatis quomodò, quando miniſtrat Cappellanus. 94.& deinceps leges Doctorum placita. Vſus dandi pacem Eccleſiæ Ambros. 96. Epiſcopi, tantùm in ſua Eccleſia; dant pacem ſuis Sacris Miniſtris in Miſſa Pontificali. 98. Cappellanus aſſiſtens cum pluuiali quando accipiat pacem, & an eam deferat. 100. 101.
Pixis quando deferatur ad Altare, & per quem in Miſſa ſolemni. 252.
Pixide an poſſimus vti pro Calice ad ſeruandam Hoſtiam pro feria 6. maioris hebdomadę. 356. 364.
Pixidis purificandæ norma. 285. Gauantus defenditur. 286. Coninch non improbatur. 287.
Planeta non adhibetur tantùm in Miſſa. 29.
Pluuiale cum manipulo an poſſint in aliquo caſu ſimul adhiberi. 351. & deinceps vbi quid ſignificent.
Pluuiale an benedicatur, qui eo vtantur. 149.
Pluuiale non habens vtitur ſtola in benedictionibus,& abſolutionibus,

nibus, & proceſſionibus, an tranſuerſa in modum Crucis. 344. 345. & an eadem vtatur in communione Sacerdos. ibidem, an Miniſtri eſſe debeant etiam ipſi in albis, & quomodo cum eo ſine pluuiali exiſtente procedant. 345.
Præcedentia inter deferentes haſtas baldachini eſt laicalis. 403. 404.
Præfatio in benedictione fontis an cantetur manibus expanſis. 384. 385.
Præfatio de Apóſtolis dicitur in Miſſa Sancti Marci infra Octauam Paſchatis. 394.
Præfationes quot. 230. Præfatio Natiuitatis Domini dicitur in votiuis ſolemnibus tantùm per Octauam. 229. Miſſa Vigiliæ cadens infra Octauam habet præfationem communem. 229. Feſtum translatum habens propriam præfationem non dat eam diei à quo transfertur. 230. Præfatione peracta an liceat apponere particulam conſecrandam. *Vide in V. Particula.*
Præparatio ad Miſſam per quinque Pſalmos, &c. an poſſit fieri pro Defunctis. 288. cur non dicantur ab Epiſcopo ſolemniter celebraturo de Requiem. 289.
Presbyter aſſiſtens an aſſiſtat Sacerdoti dum fit proceſſio in Feſto Corporis Chriſti, & vbi. 402.
Presbyter aſſiſtens vbi aſsiſtat. 290. Ordo procedendi, & quando fiat proceſsio. 291. Ordo faciendi abſolutionem ad Altare. 291. Caput tumuli quod, oratio abſolutionis. 292. An Chorus genuflectat ſi eleuetur Sacramentum proximè dum fit abſolutio. 293. & qui ſtent, & quando. 293. An abſolutio facta ad Altare fiat ante vel poſt Euangelium S. Ioannis. 294.
Priuilegium non extenditur ab vno ad alium etiamſi adſit ſimilitudo rationis. 179.
Priuilegium conceſſum Regularibus extenditur à Papa ad Epiſcopos. 181.
Priuilegium extenditur à Perſona ad Perſonam cum aliàs eſſet eluſorium. 180.
Proceſsio Feriæ quintæ, & ſextæ maioris hebdomadæ. 359.
Proceſsio quæ fit Feria ſexta in Paraſceue. 374.
Proceſsio Sacerdotis pro Miſſa ſolemni ad Altare. 238.

Pro-

Proceſsio Sabbathi Sancti 381. ante præconium. Ad Fontem. 384. in minoribus Eccleſijs. 324.
Prophetiæ à quibus canteneur & vbi, vbi aſsiſtant Miniſtri Sacerdoti legenti. 383.
Prothonotarij non genufleɑunt ad confeſsionem in Miſſa ſolemni. 308.
Proſtratio Sacerdotis, & Sacrorum Miniſtrorum. 369. an proſtrentur etiam alij Miniſtri, ibidem.
Purificationis die cadente in Dominicis ſeptuageſimæ, ſexageſimæ, & quinquageſimæ, quot Miſſæ dicantur. 337. 338. & poſt quam horam fiat Proceſsio. 340. Paranda pro benedictione 340. Benedictio quomodò fiat. 341. Orationes an cantentur 341. Diſtributio à quibus, quo ordine, & habitu. 342. Canonici, & Prælati quomodo accipiant candelas, & quomodo alij 342. 243. Proceſsio. 243.
Purificatorium, quid ſit. 145. alicubi tres adhibentur & male 144. an benedicatur ibidem.

R

Reformandi Miſſalis præcipuus Finis. 7.
Regularum proximarum ſibi contrariantium quænam tenenda, & quid in hoc notandum. 18.
Regulæ Rituum quot ſint, quæ ſcriptæ, quæ non ſcriptæ 8.
Regulæ rituum dirigendorum in Miſſa rubris characteribus ſcribebantur. 19.
Regulæ rituum ſcriptæ. 8. vſque ad 15. Non ſcriptæ. 16.
Regulæ remotæ Rituum. 14. 15. & quando eas tutum ſit ſequi. 15. 16.
Reliquiæ Sanctorum an thurificentur in quacumque incenſatione Altaris 18.
Reuerentia per inclinationem fit Epiſcopis, & Prælatis Superioribus à Sacerdote antequam benedicat, & cum genuflexione exhibetur Papæ. 233. Reuerentia Sacramento cum eleuatur vel eſt in Altari quomodo. 236. Epiſcopis, & Principibus quomodo fiat iu acceſſu, & receſſu ab Altari. 237.

Reue-

Reuerentia quotuplex?. 115. ad quæ fiat profundá inclinatio . 117. ad quę media 116. ad quę tantum caput deprimatur . 115. & deinceps Reuerentiarum ſex Regulę pro Miniſtris.
Ritus qui in actione conſiſtunt nec ſunt ſignificatiui, an negligantur abſque peccato. 6. 7.
Ritus, qui cadunt ſub pręcepto, & non cadunt dignoſcendi Regula. 3. & 4.
Ritus quid ſit, & in quo differat à Ceremonia. 2.
Rogationum tertiæ, & quartę cur fiat commemoratio in Miſsis cum facta non fuerit in Officio. 396.
Roma, requiſito prius voto Sacræ Rituum Congregationis, decidit controuerſias ſuper ritibus exortas. 14.
Rubrica quid ſit. 19.
Rubricarum diuiſio, & quænam ad Miſſas ſolemnes, quę ad priuatas ſpectent. 20. 21. quę ad ſimplices Sacerdotes, quæ ad Prælatos. 22. quę ad perſonas ſingulares, quæ ad Collegia. 22. quæ ad Parochiales. 23.

S

SAbbatho maioris hebdomadę occurrente cum Feſto de pręcepto an poſsint fieri plures Miſſę, & an de Feſto. 367.
Sabbatho Sancto an poſsint fieri Miſſæ priuatæ in Oratorio priuato ante ſolemnem. 389. 390. & an debeat eſſe Miſſa de Sabbatho. ibidem.
Sabbatho Sancto quę parentur. 379.
Sacellum pro aſſeruanda Euchariſtia Feria quinta maioris hebdomadę quomodò ornandum. 357.
Sacerdotes obligantur per Bullam Pij ad ſeruandos Ritus Miſsalis. 4.
Sacerdos qui non poteſt legere an poſsit celebrare. Sacerdotes noui legere omnes Miſsę partes conſultius debent. *Vide in V. Miſſale.*
Sacramenta non adminiſtrantur licite niſi ab habente iuriſdictionem, vel à Delegato, vel priuilegiato. 279.
Sacramentum in proceſsione Feſti Corporis Chriſti poteſt deponi

ſuper

ſuper Altaribus in via, & quomodò. 404. 405.
In Sacramenti expoſitione pro publica cauſa quæ Miſſa cantetur 311. in ea non ſedetur. 312. quomodo fiat Thurificatio. 312. 317. 318. non facile celebretur antè illud expoſitum. 314. genuflexio ad *Et Verbum caro* fit verſus Sacramentum.
Sacrificium quando dicatur peractum. *Vide in V. Hoſtia*.
Sanctus an dicatur etiam à Subdiacono ad latus Celebrantis. 56.
Sandalijs antiquitus, & ſotularibus vtebantur in Miſſa Sacerdotes, vt nunc Epiſcopi. 148.
Secreta. *Vide in V. Alta voce*.
Sedere quando poſſit Celebrans cum Miniſtris, & quo ordine ſedeant. 309. & an Acolythi. 310.
Semiduplex Officium quando ſit. 166.
Sententię Auctorum ſunt regula remota Rituum. 15.
Ex ſententijs duabus contrarijs Auctorum, quę obſeruanda ſit. 17.
Sepeliri poſsunt cadauera die Paſchatis, & alijs primę claſsis vide. 391. 392.
Sequentia Miſsę Paſchalis breuior antiqua. 391.
Signum Crucis tribus modis fit manu in Miſsa. 84. fit tribus digitis. 86. non deſcribitur apice auricularis ex ſenſu Rubricæ *ibidem*. Crucis lineę nō ſunt reales ſed intentionales *ibidem* procedunt ab intellectu, & á manu tamquam à cauſis principali, & inſtrumentali *ibidem* illa pars manus deſcribit Crucem, quę ad id ab intellectu aſsumitur 87. Hoſtię pars quęnam formet quinque Cruces. *ibidem*. Quomodo fiat Crux. 88. debet eſse palmaris. 89. Manus ducta ſemper recta poteſt formare Crucis lineas ęquales 89 lege experientiam 9. Crux benè fit ſi ſatis ſenſibiliter manu exprimatur. 91.
Simbolum quando dicatur in Octauis S. Ioannis Baptiſtæ, & Laurentij. Dicitur in Feſtis Compatronorum. *ibidem* dicitur in translationibus inſignis Reliquię. 118. in Anniuerſario electionis, & conſecrationis Epiſcopi, etiamſi fiat tantum commemoratio. 218. 219. die conſecrationis Altaris, etiam portatilis. 219. Vide. 220. 221: caſum propoſitum, an dicatur in Miſsa Pontificali de Sancto, cui aliàs non competit. 222. dicitur etiam

Digitized by Google

in votiuis ſolemnibus; etiam in paramentis violaceis dumodò celebretur in Dominica 223. Simbolum exigit Dominica ratione ſui non Officij quod celebratur. 223. tranſlata Dominica, an habeat Simbolum in Miſſa, & an Feſtum tranſlatum. 223 dicitur diebus quibus recolitur Myſterium contentum in Symbolo. 225. probabilius non dicitur in Miſſa ſemifeſtiua infra aliquam Octauam. 127.

Simplici occurrente cum Ferijs tertia, & quarta Rogationum; de quo facienda ſit Miſſa, & de quo commemoratio. 397.

Spatium temporis conueniens Miſſæ priuatę. 298. 299.

Stola quomodo aptanda, an ſit ornatus colli, vel veſtis, quomodò imponatur Epiſcopis. 151. 152.

T

PRo Tabella Secretarum an haberi poſsit liber ante ſe. 165.

Tabernaculum geſtatorium quomodo Celebrans à Diacono accipiat pro proceſsione facienda. 401. & Diaconus à Sacerdote in fine proceſsionis. 405.

Tertia anticipari poteſt die Corporis Chriſti. 400.

Thuribulum fumigans an præferatur Sacerdoti ſolemniter procedenti ad celebrandum. 108. 109.

Thuriferarius qualis, vnus in Miſsis adhibetur. 68. quomodò ferat nauiculam, & Thuribulum miniſtraturus incenſum, vel proceſsurus, quomodo det Thuribulum Diacono 69. & nauiculam, quomodo incenſet Perſonas. 70. Si duo Acolythi pro Thuribulo, & nauicula adhibeantur quomodò onera inter ſe diſtribuant 70. quos præcedat in proceſsione ad Euangelium. 71. In incenſatione deficiente incenſo, an aliud addatur. 72. vide hic alia eius munera. Submiſsa voce reſpondet, vt Sacri Miniſtri. 74.

Tranſlatio Feſti vide *V. Miſſa.* Tranſlatio Anniuerſarij. vide *V. Aniuerſarium.* vide *V. Symbolum.*

Tunicella quid ſit in quo differat à Dalmatica. 153. 154.

Rossi.

Velum

V

VElum Calicis non benedicitur. 144. an reflecti poſsit in parte anteriori. 146.
Venialia non poſsunt relaxari à Sacerdote non approbato. 279.
Veſperę an ſint pars Miſsę diei Sabbathi maioris hebdomadę. 26. vſque ad 30.
Veſperæ in Sabbatho Sancto. 387. 389.
Veſperę in Feſto Corporis Chriſti. 406. 407.
Veſtes Miſsales. 149. eſse debent benedictæ, integrę &c. *ibidem* Amictus Crucem habet in medio quam ſi non habet nec pollice ei imprimi debet. 149.
Veſtis vſualis an talaris eſſe debeat. 147. vide cętera de media veſte.
Vigilia Aſcenſionis occurrente cum Feſto primę claſsis quot Miſſæ cantentur, & quomodò ſint diſtribuendæ. 398.
Vigilia occurens infra Octauam habet Miſsam, non Officium. 166.
Vigilia Natiuitatis D. IESV eſt duplex, eius Miſsa dicitur poſt Tertiam, & ſtandum ad orationes. 432.

Digitized by Google

Auctor ad Lectorem beneuolum.

A Ccidit planè mihi in mendis huius operis euellendis, quod ariſtarum lectoribus in campo contingit, qui truncos calamos qua maxima poſſunt ſolertia colligentes, tot tamen luſtratis in ſulcis ſpicas relinquunt, vt auiculis Cæli ſemper ſit extra accipere. Factum eſt etiam non rarò ex litera vnius ſpuriæ circumciſione tot illegitimas inſurrexiſſe, quot ex trunca arbore iniuriam reparantes Agricolæ tenelli erumpunt rami; Attende ergò qui hæc legis, & excipe (vbi aliqua errata inueneris) ſententiarum ſenſum, magis quàm erroneam literarum imaginem, & interim ad hæc inferiùs exarata attende ac Vale.

Errata	Corrige
Pag. 97. linea 12. Pax	Pacem
pag. 259. De Canone poſt Communionem. *in tit.*	De Canone poſt conſecrationem.
Dele Pag. 90. linea 17. tranſuerſa ducatur recta & non	

Digitized by Google